UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ. Iesv, Cvrsvs Theologicvs

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand. VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

Liber Primvs. De Deo Vno, & Trino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-94815

Visual Library

R. P. MARTINI

DE ESPARZA ARTIEDA,

SOC. IESV,

CVRSVS THEOLOGICI

TOMVS PRIMVS.

LIBER PRIMVS.

DE DEO VNO, ET TRINO.

QVÆSTIO I.

Vtrum Deum esse, sit per se notum?

VIDETVR esse per se notum 1. Quia illæ veritates sunt per se notæ, quarum cognitio, & assensus non discursu, & disciplinâ comparatur, sed omnibus naturaliter, ac necessariò inest. Talem autem esse cognitionem, & assensum existentiæ Dei constat ex claris testimoniis Gregorij Nazianzeni orat. 24. quæ est in aduentu Ægyptiorum Damasc. lib. & c. 1. de fide, aliorúmque Sanctorum PP. apud Fasolum q. 1. art. 2. à n. 9. Et confirmatur ex illo Iob. 36. 25. *Omnes homines vident eum*; Id est, omnibus hominibus naturaliter innotescit clarè, tanquam videntibus, Deum esse, vbi videndus est Hieronymus. Ergo Deum esse, est veritas per se nota.

2. Conceptu, & nomine Dei ab omnibus intelligitur, & significatur id, quo melius concipi nihil potest, vt docent disertè August. lib. 1. doct. Christ. c. 7. initio, & fine; Bernard. lib. 5. de considerat. ad medium, & Richardus de Sancto Victore lib. 1. de Trinitate cap. 20. Apparet autem sponte ex terminis, maius esse, quod est in re, & in intellectu simul, quàm quod est solùm in intellectu. Ergo apprehendenti Deum, ac proindè percipienti adesse in intellectu id, quo melius cogitari non potest, protinùs apparet ex terminis Deum esse à parte rei. Quo fundamento vtitur pro hac parte Anselmus in lib. contra insipientem, & in Prosol. c. 3. & 4. & post Anselmum Albertus Magnus, Abul. Altis, & alij nonnulli.

3. Aliquæ veritates sunt per se notæ, vt constat ex 1. Post. cap. 3. Nulla autem veritas potest cuiquam esse per se nota, quin eidem sit per se nota essentia veritatis. Atqui Deus est ipsa essentia veritatis, vt habetur ex 14. Ioan. 6. *Ego sum via, veritas, & vita.* Eodem ferè recidit; per se notum esse, dari veritatem à parte rei. Quia illud est per se notum, cuius negatio continet in se affirmationem eiusdem. Propositio autem negans dari veritatem à parte rei, eo ipso affirmat verum esse non dari veritatem à parte rei; ac proindè affirmat eo ipso dari veritatem à parte rei; Quandoquidem abstractum includitur formaliter in suo concreto. Cùm ergo Deus sit ipsa veritas, per se notum est dari Deum à parte rei.

4. Per se notum est dari ens necessarium à parte rei. Per se notum namque est quodlibet esse, vel non esse, necesse esse. Et similiter est per se notum, quodvis necesse esse, vel esse identificatum cum ente necessario, vel fundari in ipso ente necessario; Cum omne necesse esse, aut per se ipsum tale sit, aut ratione alicuius necessarij essentialiter præsuppositi. Per se igitur notum est, dari ens necessarium à parte rei. Ens autem necessarium omnes dicimus Deum.

Articulus 1. Respondetur. Veritas per se nota, vt colligitur ex loco indicato Posteriorum, dicitur illa, cuius termini rectè apprehensi determinant se solis intellectum ad assensum ipsius; sicut præmissæ euidentes, cuicumque legitimè innotescunt, determinant

minant ad assensum conclusionis. Tales veritates sunt; Quodlibet esse, vel non esse; Omne totum esse maius sua parte. Quia videlicet impossibile est illis non assentiri cognoscentem quid sit esse, & quid non esse: quid sit totum, & quid pars. Consequenter veritas per aliud nota, seu non cognoscibilis, nisi per aliud, est illa, ad cuius assensum, præter legitimam terminorum apprehensionem, opus est aliquo alio principio. Tales veritates sunt: Petrus existit; Stellæ sunt pares. Quia cognito quid sit Petrus, & quid existere: quid sit stella, & quid numerus par, adhuc de illis dubitari potest.

Art. 2. Hinc sit, eandem veritatem posse esse per se notam secundùm se, & respectu alicuius: simulque comparatiuè, & respectu alicuius alterius esse notam tantùm per aliud. Quia nimirum termini ipsius sunt inuicem essentialiter connexi, atque vni innotescunt quidditatiuè, alij verò minimè. Quæ differentia eiusdem veritatis accidere potest etiam respectu eiusdem intellectus diuersimodè instructi pro diuersis temporibus. Vnde rursus colligitur aliquas veritates esse per se notas sapientibus, quas insipientes, non nisi per aliud cognoscere possunt. Quia videlicet sapientes cognoscunt quidditatiuè plures terminos, quos non ità cognoscũt insipientes. Colligitur denique eamdem veritatem etiam respectu eiusdem intellectus, & pro eodem tempore posse esse per se notam sub vno conceptu, & sub alio non nisi per aliud. Quia aliqua eius prædicata cognoscuntur quidditatiuè, & perfectè, incognitis, aut non sic cognitis aliis prædicatis. Ita hominem esse animal est per se notum pluribus, quibus non est per se notum hominem esse agens liberum, aut esse subiectum capax beatitudinis æternæ.

Art. 3. Nomine Dei communiter intelligitur ens optimum maximum; seu summum, & infinitum bonum; primum principium, & vltimus finis rerum omnium; Author & gubernator totius vniuersi; supremus Iudex viuorum, & mortuorum, & similia. Certum iam est esse per se notam respectu nostri existentiam Dei sub multiplici conceptu reipsa conuertibili cum iis prædicatis, quæ modò enumerata sunt; licet non sit per se nota conuertibilitas cum ijsdem. Per se notum namque est, aliqua esse possibilia, vt quodlibet esse vel non esse; alia verò impossibilia, vt idem simul esse & non esse. Eiusdem rationis est, dari aliquem finem vltimum hominis, & bonum beatificum respectu eiusdem; cùm omnes absque discursu necessariò velint esse beati, atque ideò assequi bonum suum beatificum, suúmque vltimum finem. Quod fieri non potest absque præuio assensu ex sola terminorum apprehensione concepto, quòd detur bonum beatificum, & vltimus finis. Omnium autem possibilium, & impossibilium tùm possibilitas, tùm impossibilitas est identificata realiter, & conuertibilis cum Deo, vt dicetur infrà. Idémque dicetur de vltimo fine, & bono beatifico in qnæstionibus de Beatitudine. Verùm non est per se nota identitas hæc, & conuertibilitas, constituentibus nonnullis beatitudinem, & vltimum finem in diuitiis, inque aliis eiusmodi; & opinantibus aliis repugnantiam, & non repugnantiam rerum extra Deum esse. Quæritur ergo; an sit per se notum Deum esse sub aliquo ex prioribus illis conceptibus, aut sub aliquo alio, cuius conuertibilitas cum illis sit per se nota.

Art. 4. Dicendum est cum D. Thoma q. 2, art. 1. aduersus Scotum, & alios, veritatem istam, *Deus est*, esse per se notam secundùm se; id est (nè sit quæstio de vocibus, qualis irrepsit nonnullis contradicentibus D. Thomæ) tantam, & talem esse connexionem à parte rei inter hoc subiectum *Deus*, & prædicatum istud *esse*, seu *existere*; quanta, & qualis connexio datur inter ista subiecta, *quodlibet*, *totum*, *homo*; & ista prædicata, *esse vel non esse*, *maius sua parte*, *animal rationale*. Quia Deus essentialiter est suum esse, suaque existentia, & summa actualitas exercita, vt patebit q. 3. & 4. atque adeò subiectum huius propositionis, *Deus est*, connectitur essentialiter cum suo prædicato. Quâ connexione nulla maior esse potest, ac proinde nec magis ex se sufficiens ac idonea, vt apprehensiones terminorum se solis necessitent intellectum ad assensum propositionis. Ergo si cui intellectui non est per se notum Deum esse, id non prouenit ex defectu connexionis inter subiectum, & prædicatum, vt sunt in se à parte rei, sed ex defectu intellectus non valentis apprehendere sufficienter, seu quidditatiuè, aut subiectum, aut prædicatum, aut vtrumque. Quæ est intentio realis D. Thomæ, quidquid sit de vocibus, quibus vtitur, & nos vtimur cum ipso, & cum communiori loquendi modo cæterorum.

Art. 5. Dicendum est rursùs cum eodem D. Thoma, cum Scoto, & aliis communiter aduersus D. Bonauenturam, & paucos alios, eamdem veritatem non esse per se notam respectu nostri. Quia dum sumus in via, non possumus cognoscere Deum, nisi per species rerum creatarum. Vnde manifestum est Deum tùm secundùm se, tùm secundùm quælibet prædicata propria ipsius, innotescere nobis non per se, ac immediatè sed mediatè tantùm, & per illud quoad simplices apprehensiones ipsorum. Simplices autem apprehensiones mediatæ circa vnum obiectum subortæ ex speciebus alterius obiecti non possunt esse claræ, perfectæ, & sufficientes ad conuincendum intellectum, circa obiectum mediatè apprehensum, quoad excessum ipsius, respectu obiecti immediatè cogniti, sed tantùm quoad prædicata vtrique communia. Alias enim superarent perfectione repræsentandi virtutem, & actiuitatem sui principij: quod est impossibile. Licèt ergo sit nobis per se notum, quoad assensum, Deum esse, vel non esse; quod est ipsi commune cum creaturis; non tamen est per se notum Deum esse, seu Deum ex suo conceptu esse determinatum, vt existat, miniméque indifferentem, vt non existat. Quia hæc, ex suo conceptu, determinatio ad existendum constituit excessum Dei respectu creaturarum, non secùs, ac esse omnipotentem, æternum, &c. Veritas ergo existentiæ Dei solùm per discursum innotescere nobis potest, non secùs, atque hæc alia eius prædicata. Quod confirmabitur variis testimoniis q. sequenti, præsertim art. 2. & 3.

Ad 1. Vt dicatur cognitionem Dei inesse omnibus naturaliter, sicut dicitur à sanctis PP. omnésque videre Deum, vt habetur in libro Iob, sufficit omnibus inesse principia aliqua per se nota conuertibilia reipsa cum Deo, ex quibus per demonstrationem facilè obuiam, ac vix perceptibilem, omnes, aut ferè omnes necessariò assequuntur eam cognitionem, seù potius incidunt in ipsam, provt qu. sequenti apparebit reipsa contingere. Hic igitur est sensus Sanctorum PP. & interpretum illius loci, Quibus certè curæ non est; an existentia Dei sit per se nota secundùm rigorem logicum, & definitionem Philosophi; an verò moraliter solùm, & æquiualenter.

Ad 2. Propositiones, quarum subiectum est terminus complexus, non possunt esse per se notæ, nisi in sensu conditionali, apud eum, cui non est per se nota cohærentia, & connexio mutua terminorum simplicium, ex quibus constat ille complexus. Quia non potest esse notior connexio prædicati cum subiecto, quàm connexio partium subiecti inter se. Quod apparet clarè in his; Petrus currens mouetur: Petrus albus est dissimilis Æthiopi; in

in quibus non propterea est per se notum, Petrum moueri, aut esse dissimilem Æthiopi. Hoc autem subiectum: *Id quo melius cogitari nihil potest*, est terminus complexus, vt patet ex se; & cohærentia partium, ex quibus constat, non est per se nota. Quia continet in se excessum notatum in art. 5. respectu omnium creaturarum. Ergo in sensu tantùm conditionali est per se nota existentia Dei sub eo conceptu; nempe, si est possibile aliquid, quò melius cogitari nihil possit, id vtique existit; sin minùs, talis cogitatio erit mera fictio; & esset deterius, si eius obiectum simul esset in intellectu, & à parte rei. Quod quidem apparet clarè in cogitante Deum meliorem, quàm qui existit de facto. Quare etiamsi ea ratio sit subtilis, eidémque valdè fidat Anselmus, solida tamen nequaquam est, vt aduertit D. Thomas suprà.

Ad 3. & 4. Est quidem per se notum dari veritatem secundùm dici, seu logicè sumptam, & consequenter dari aliquod similiter necesse esse; non tamen est per se notum dari veritatem, & necessitatem essendi physicè, ac metaphysicè sumptam, prout est conuertibilis cum ente reali in se intrinsecè existenti. Et rursus non est per se nota identitas, & conuertibilitas, aut veritatis, aut necessitatis prioris cum posteriori. Quod sufficienter apparet ex probationibus vtriusque argumenti. Quia sunt plures Authores, qui negent veritatem, & necessitatem obiectiuam, quibus nititur veritas formalis earum propositionum, esse identificatas realiter cum Deo, aut fundari in diuina essendi necessitate, ac veritate; & dicunt vtramque constitui adæquatè per prædicata quædam in se intrinsecè, ac essentialiter talia, impropriè tantùm, & secundùm quid existentia, nec dependentia à Deo vllo pacto. Quando autem Deus dicit se esse veritatem non prædicat de se essentiam veritatis sumptæ logicè, & secundùm dici, sed primam veritatem in essendo. Eadem est ratio de necesse esse iuxta distinctionem datam. Neutrum igitur argumentum pertingit scopum quæstionis præsentis, licet assumat principia sufficientia ad scopum quæstionis sequentis, vt apparebit ex dicendis; quidquid reniti videatur Caietanus dicto articulo primo circa tertium D. Thomæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm existentia Dei sit certa ex fide, atque euidens?

VIDETVR nec esse certa ex fide, nec euidens; sed incerta, & tantùm probabilis. 1. Quia scientia, & fides de eadem veritate sunt inuicem incompossibiles, vt liquet ex quæst. 25. de Virt. Theolog. Ergo veritas existentiæ Dei non potest simul esse certa ex fide, & euidens ex ratione.

2. Reuelationes diuinæ, ne perperam fiant, quod repugnat, solùm fieri possunt in subsidium intellectus humani insufficientis ex se ad assequendum veritates, quæ sibi reuelantur à Deo. Repugnat igitur Deum reuelare se existere, si hoc potest assequi homo euidenter per rationem naturalem; & è conuerso.

3. Vnum ex præcognitis essentialiter requisitis ad actum fidei Diuinæ, est existere Deum. Quia nemo cuiquam credere potest, nec eius testimonio moueri ad assensum, quin præcognoscat ipsum existere. Præcognita autem requisita ad actum fidei non cognoscuntur per ipsam fidem. Repugnat igitur, vt credatur fide diuina Deum existere.

4. Causa non potest euidenter demonstrari per effectum sibi improportionatum, quatenùs improportionatus est. Quia cognitio rei imperfectioris non potest præcontinere in se cognitionem rei perfectioris, quatenùs perfectior est; quandoquidem cognitio obiecti perfectioris est & ipsa perfectior; atque perfectius in minùs perfecto præ contineri non potest. Effectus autem creati, qui sunt quid finitum, sunt omninò improportionati Deo, qui est infinitus; cum finitè ad infinitum nulla sit proportio. Ergo Deus non potest euidenter demonstrari à posteriori per effectus creatos. Manifestum autem est, quod nec à priori demonstrari possit; cùm nihil sit prius Deo.

5. Non conuincitur euidenter, repugnare mutuam causalitatem in eodem genere; quam videlicet tuetur probabilem plurium Authorum opinio. Posita autem mutua causalitate in eodem genere, probabiliter rursus defenditur vniuersitatem rerum omnium productarum subsistere per solam mutuam aliarum ex ipsis causalitatem in alias. Ergo non potest probari euidenter à posteriori ex creaturis necessitas, & existentia Dei. Notatum autem modò est, ex omnium consensu demonstrari aliundè non posse istam veritatem. Ergo nullatenùs probari potest euidenter Deum esse.

6. Argumenta omnia, vel certè præcipua quibus Aristoteles, & D. Thomas, aliique Magni authores probant existentiam Dei, incidunt in infinitam seriem causarum, ac rerum, eiusque negatione nituntur. Argumenta autem, quæ resoluuntur in affirmationem, aut negationem infinitæ eiusmodi seriei, non possunt quietare, aut claritate euidentiæ illustrare intellectum humanum: Quia intellectus humanus, cùm sit capacitatis finitæ, obruitur consideratione infiniti, nec potest efformare de ipso vllum conceptum clarum, & euidentem. Ergo eiusmodi argumenta non possunt continere in se, ac gignere veram euidentiam demonstratiuam. Cætera autem sunt inferioris conditionis indicio Philosophi, ac D. Thomæ, ideóque, & reipsa.

7. Argumenta Christianæ fidei non sunt inferioris conditionis, quàm argumenta naturalia existentiæ Dei, vt auctoris naturalis. Quod facilè apparebit conferenti, quæ habentur q. 18. de Virt. Theolog. cum iis, quæ communiter producuntur in præsenti. Et suadetur præterea, quia ordo supernaturalis, nulla ex parte, est minoris proportionaliter sufficientiæ, ac perfectionis, quàm ordo naturalis. Nec est rationabile, aut facile credibile fore, vt homini puro patentiùs innotesceret suus vltimus finis, quàm homini elevato; & quòd hic sit constitutus in maiori periculo aberrandi intellectualiter ab scopo suo, quàm foret ille. Argumenta autem Christianæ fidei solùm gignunt euidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, & existentiæ Dei, vt auctoris supernaturalis, non verò euidentiam ipsarum rerum, vt est certum apud omnes. Argumenta igitur rationis naturalis, nec ipsa sufficiunt ad euidentiam metaphysicam de existentia Dei, vt auctoris naturalis, sed solùm ad euidentiam quandam moralem, nempè ostendendo, cum euidentia metaphysica, non posse negari existentiam Dei, aut in dubium reuocari, nisi imprudenter, stultè, ac impiè. Quæ est sententia Casalij l. 1. de Quatrip. cap. 16. cum Alliacensi, Gabriele, & nonnullis aliis. Quibus videtur annuere Nazianz. Orat. 2. Theolog. dicens: *Nimis absurdus, & præposterus est, qui non cedit argumentis naturalibus, & inficiatur Deum esse.* Sicut enim absurditate præpostera resistitur argumentis, vbi adest euidentia moralis; ita neque cum

absurditate fieri potest, vt non cedatur euidentiæ metaphysicæ.

Art. 1. Respondetur. Certum in primis est ex fide, Deum esse, vt constat ex clara reuelatione Exodi 3. 14. *Dixit Dominus ad Moysem. Ego sum qui sum*; & ex necessitate credendi fide diuinâ hanc veritatem; quæ necessitas docetur 11. ad Hebræos 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est*; Exque omnibus aliis, & singulis sacræ Scripturæ partibus vtpotè continentibus in se implicitè, vel explicitè reuelationem Dei, vt loquentis, instruentis, operantis, adeóque existentis.

Art. 2. Certum rursùs est ex fide, vsque adeò patenter innotescere Deum per rationem naturalem ex effectibus creatis, vt saltem absque manifesta imprudẽtia, temeritate, ac impietate, non possit negari existentia eius, aut de ipsa dubitari, dicẽte Apostolo 1. ad Rom. 19. *Quod notum est Dei* (id est, cognoscibile, & apparẽs in creaturis) *manifestum est in illis*, (id est, ex lumine naturali, quod ipsis inest ex sua natura,) *Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius*, (speciales, ac infinitæ perfectiones ipsius, quæ propterea nec in se, nec in effectibus creatis videri possunt immediatè,) *à creatura mundi* (ab homine) *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque* (ac nominatim) *eius virtus, & diuinitas: ita vt sint excusabiles:* scilicet in non agnoscendo Deum. Quibus nihil clarius esse potest pro cõclusione, nisi fortè tale reputetur, quod dicitur Sap. 13. 1. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex.* Et rursus v. 5. *Qui hæc fecit fortior est illis: à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Accedit illud ex Psal. 13. 1. & Psalm. 52. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Vnde apparet ita esse absolutè possibilem dissensum etiam internum existentiæ Dei, vt tamen nemo possit illi dissentiri, nisi insipienter, ac stultè, seu quin eo ipso sit insipiens, ac stultus.

Art. 3. Certum denique ex fide puto cum Suarez, cæterisque Theologis communiter aduersus Vasquez, Gillium, & paucos alios, existentiam Dei esse euidenter demonstrabilem metaphysicè demonstratione propriè tali. Certè D. Thomas q. 10. de verit. art. 12. Contrariam sententiam dicit esse manifestè falsam, eãdémque appellat errorem 1. contra Gent. cap. 12. & alij graues Theologi similibus aliis censuris illam meritò insequuntur. Quia de fide est, ex testimoniis Pauli, & Sapientiæ modò indicatis, Deum se manifestauisse Philosophis ex creaturis, adeóque eosdem ex iisdem manifestè cognouisse Deum, atque indidem Deum conspici; ac demum ex creaturis posse videri creatorem cognoscibiliter; id est, clarè, ac patenter. Manifesta autem cognitio conspectus, & visio clara causæ ex effectibus, si sumantur propriè, significant scientiam propriè talem habitam per demonstrationem propriè talem. Vt autem sumantur propriè, datur capacitas ex parte materiæ, vt mox patebit, & fatentur Vasquez, Gillius & plerique alij ex aduersariis. Quapropter communis intelligentia, consensus, & modus loquendi Sanctorum PP. apud Fasolum vbi suprà, eodem clarè, ac multipliciter inclinat. Certum igitur est non solùm ex ratione, vt apparebit infrà, præsertim in responsione ad 4. sed etiam ex fide existentiam Dei esse verè, ac propriè demonstrabilem.

Art. 4. Demonstratur autem primò sub conceptu entis simpliciter necessarij, idque duplici medio. Alterum est; Dari veritates aliquas obiectiuas simpliciter necessarias, & essentialiter inuariabiles, ac æternas. Quia istæ propositiones: *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est idem simul esse & non esse: Homo est animal rationale*, & similes sempiternæ veritatis communiter dictæ, cuicumque demum durationi, aut temporis differentiæ applicentur mentaliter ab intellectu, necessariò, ac inuariabiliter euadunt veræ. Quod fieri non potest, quin dentur à parte rei veritates obiectiuæ necessariæ, & inuariabiles. Quia veritas formalis dependet essentialiter ab obiectiua, vtpotè consistens in conformitate cum illa. Veritas autem obiectiua est passio entis realis indistincta realiter ab eodem. Eatenùs enim vnumquodque est verum obiectiuè, ac cognoscibile verè, quatenùs à parte rei est tale, quale est repræsentabile, ac cognoscibile per cognitionem formaliter veram. Quapropter implicat in terminis dari à parte rei veritatem, verámque cognoscibilitatem; & tamen nihil dari à parte rei, nullámque existere entitatem, cum qua identificetur; vel in qua aliqualiter fundetur talis veritas, ac cognoscibilitas. Ad dignoscendum postremæ huius assertionis, totiúsque probationis quæ homini indisciplinato videri posset leuis, conspicuitatem, soliditatem, & pro scopo, ad quem, hîc dirigitur, efficaciam insuperabilem vltra ea, quæ dicentur q. 16. & quæst. 21. ab art. 14. Videndus est Anselmus hinc demonstrans directè, ac ferè vnicè existentiam Dei cap. 1. & 11. de verit. ex dictis in Monolog. Videndus quoque est totus liber Augustini de immortalitate animæ, & liber secundus soliloquiorum ferè totus cum fine libri primi, eodem pertinentes indirectè, & planè efficaciores pro hac re, quàm pro ea, quam directè respiciunt. Sed maximè omnium considerandus est D. Thomas de verit. q. 1. toto art. 5. & in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 3. & 1. part. quæst. 16. art. 7. Datur igitur à parte rei, & verè existit ens simpliciter necessarium, essentialiter inuariabile, & æternum. Tale autem ens communiter dicitur, & verè est Deus.

Art. 5. Confirmatur argumentum. Quia quodlibet verum obiectiuè, seu cognoscibile verè, vel est cognoscibile immediatè ratione sui, vel mediatè ratione alterius; adeóque est motiuum, & causatiuum cognitionis veræ, vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per aliud. Quod autem est motiuum, & causatiuum cognitionis veræ, veram habeat entitatem, & existentiam necesse est; siquidem quod nihil est, nec veram habet entitatem, & existentiam, ad nullum omninò effectum mouere, nullúmque omninò effectum causare potest, vt per se patet. Cùm ergo dentur veritates aliquæ obiectiuæ simpliciter necessariæ, & essentialiter inuariabiles, ac æternæ, vt liquet ex ratione nuper data; necesse vtique est dari virtutem aliquam motiuam, & causatiuam cognitionis, similiter necessariam, inuariabilem, ac æternam, adeóque necessariò, ac inuariabiliter existentẽ ab æterno; nisi quis dicere velit dari totidem tales entitates verè existentes, quot sunt illæ veritates. Quod quoad præsens per me licet, sed infrà apparebit esse falsum, idque ex ipso conceptu entis simpliciter ac essentialiter necessarij, cuius sine vnici, siue multiplicis existentia realis modò principaliter intenditur.

Art. 6. Alterum medium est. Datur aliquid contingens; id est, tale, cui ex suo conceptu, & essentia, neque repugnat vt existat, neque vt non existat, sed est intrinsecè indifferens, vt aliquandò existat, vel etiam semper; vtque aliquandò non existat, vel etiam nunquam. Ergo datur aliquid simpliciter necessarium, atque essentialiter determinatum, vt semper sit, & cui intrinsecè repugnat, vt aliquandò non existat. De antecedenti dubitari non potest propter quotidianam experientiam generationum, & corruptionum, per quas incipiunt, tùm esse, quæ priùs non erant; tùm non esse, quæ præexistebant. Probatur consequentia. Quia de ratione contingentis est, vt ex se præcisè, vique suâ solâ

neque

neque existat,dum est ; neque desinat esse,dum,non est. Si enim ex se præcisè, exque suis prædicatis solis posset determinari ad alterutrum ex his extremis, non esset ex se indifferens ad extremum oppositum , siquidem determinatio , & indifferentia non possunt identificari adæquatè cum eodem, respectu eiusdem ; ideóque contingens non esset contingés. Est igitur de ratione contingentis, vt præsupponat aliquid aliud,vi cuius existat ipsum contingens,dum est;& impediatur,quominùs existat,dum non est;seu determinetur ad esse , vel ad non esse. Hoc autem ita præsuppositum non potest esse solùm aliud rursus contingens. Quia,licèt fieri possit,tùm vt existat, tùm vt non existat , quod ex suo conceptu est contingens;fieri tamen non potest,vt neque existat,neque non existat,sed necesse simpliciter est,vt existat, vel non existat ; vtque detur determinatio eius vel ad esse , vel ad non esse. Neque necessitas ista vaga contingentis,vt sit , vel non sit , est & ipsa contingens, atque intrinsecè indifferens,vt sit,vel non sit; sed est simpliciter necessaria , atque intrinsecè determinata, vi semper sit. Ne nimirum dicatur,quod absurdissimum est , fieri posse,vt idem simul sit , & non sit , aut quod eodem recidit , vt idem simul, neque sit , neque non sit. Datur igitur aliud simpliciter necessarium,atque intrinsecè determinatum ex se , vt semper sit , vi cuius determinetur vnumquoduis contingens , vt sit , vel non sit;existat , vel non existat, aut absolutè, aut pro determinata temporis differentia. Istud autem ita necessarium , non esse collectionem contingentium seù vagè , seù determinatè sumptam , paulò post efficaciter demonstrabitur ex ipso conceptu entis necessarij , qui modò principaliter intenditur.

Art.7. Demonstratur secundò existentia Dei sub conceptu summi boni , hoc est,entis continentis in se formaliter omnem puram bonitatẽ,ac perfectionem,exclusâ omni imperfectione,ac defectu;idque triplici medio. Primùm est;dari aliquid simpliciter necessarium,atque essentialiter indefectibile , & æternum.vti modò ostensum est. Impossibile nimirum est simpliciter necessario inesse defectum aliquem, & imperfectionem. Quia omne defectuosum,& imperfectum est honestè odibile,ac fugibile ab aliquo. Sicut enim omnis bonitas , & perfectio vera,ac per se talis , seu non pendens essentialiter à falsa rerum apprehensione , est essentialiter amabilis , & prosequibilis honestè ab aliquo ; ita omnis defectus & imperfectio est odibilis, & fugibilis honestè ab aliquo. Nempè bonitas , & defectus;perfectio , & imperfectio comparantur cum amore,& odio;prosecutione,& fugâ voluntatis;sicut cõparantur veritas,& falsitas cum assensu , & dissensu intellectus. Quare sicut repugnat inesse alicui veritatem , quæ est ratio formalis assentiendi , quin insit eidem meritum, & capacitas terminandi assensum intellectus benè dispositi ; similitérque de falsitate respectu dissensus. Ità repugnat inesse alicui veram bonitatem,& perfectionem , aut defectum , & imperfectionem,quin insit meritum,dignitas, & capacitas terminandi respectivè amorem , & odium ; fugam , & prosecutionem voluntatis benè ordinatæ. Est igitur odibile, ac fugibile honestè ab aliquo omne habens defectum aliquem , & imperfectionem. Nullum autem simpliciter necessarium est odibile, ac fugibile honestè. Stultum namque est id odisse,& ab eo fugere, quod repugnat absolutè,vt non sit , estque essentialiter ineuitabile ; cùm odium & fuga,ex suo conceptu ordinentur ad non esse,& ad vitationem obiecti terminantis fugam , & odium. Porrò omne necessarium simpliciter est essentialiter ineuitabile, atque repugnans suo non esse , vt patet. Nullum verò stultum est honestum. Nulli igitur simpliciter necessario potest inesse defectus aliquis , & imperfectio. Ergo omni simpliciter necessario inest essentialiter omnis pura bonitas , & perfectio. Patet hæc consequentia. Quia nullus defectus , & imperfectio potest excludi ab aliquo subiecto , nisi per contrariam bonitatem , & perfectionem ; sicut tenebræ non possunt excludi , nisi per lucem : ac proindè neque cumulus omnium defectuum,& imperfectionum potest excludi , nisi per plenitudinem omnis puræ bonitatis , ac perfectionis. Bona igitur est prima illatio ex conceptu & existentia simpliciter necessarij ad conceptum , & existentiam summi boni carentis omni defectu , & habentis omnem puram bonitatem ac perfectionem. Tale autem bonum ab omnibus dicitur , & verè est Deus.

Art.8. Ex hoc discursu colligitur vlteriùs,necessarium simpliciter illatum in demonstratione præcedenti non posse esse collectionem aliquam contingentium , siue determinatam , siue vagam , siue constantem determinato numero contentorum, siue multitudine retrogredientium in infinitum ; ac demum, siue mutuò, siue non mutuò determinantium sese ad esse , vel non esse. Vtcúmque enim adstruatur talis collectio ; seu quasi collectio nullo pacto fieri poterit , vt liberetur ab omni defectu , & imperfectione ; quandoquidem ponitur constare ex iis solis,quorum vnumquodque , nullo excepto, est contingens , & defectibile , nullúsque est notior defectus,& imperfectio , quàm contingentia.& defectibilitas secundùm esse : atque collectio , seu quasi collectio constans ex partibus , quarum singulæ sunt defectuosæ , & imperfectæ , tot in se contineat defectus , & imperfectiones , necesse est , quot sunt illæ ipsæ partes ; Nec potest carere omni defectu , & imperfectione , quod essentialiter scatet tot vndique defectibus , & imperfectionibus. Repugnat igitur , iuxta dicta, quidquam simpliciter necessarium constare ex iis solis , quorum singula, nullo excepto , sint contingentia, ac defectibilia.

Art. 9. Secundum medium est;ens carens omni defectu , & continens in se omnem puram bonitatem , & perfectionem , nec esse impossibile , nec contingens ex suo conceptu. Et quidem non esse contingens , manifestissime apparet:tùm quia contingentia, & defectibilitas est procul dubio defectus aliquis , & inperfectio , cùm sit capacitas non existendi ; id est mali ;quod omnia fugiunt , quantùm possunt , & capacitas mali sit aliquod malum : tùm quia contingens indiget alio , vi cuius determinetur ad esse,vt paulò priùs dicebatur;atque indigentia est manifestus defectus,& imperfectio. Repugnat igitur ex terminis clarè,ens carẽs omni defectu esse aliquid contingens,aut conflatum ex solis contingentibus.

Art. 10. Verùm neque impossibile,& chimæricum potest esse tale ens. Quia nulla bonitas,& perfectio formaliter,& præcisè vt talis, est contradictoriè opposita vlli alij bonitati,& perfectioni formaliter , & præcisè vt tali ; cùm contradictorium formale eiusvis bonitatis sit sola malitia,seu defectus , & imperfectio:sicut contradictorium formale lucis sunt solæ tenebræ. Sed neque potest vlla bonitas,& perfectio, quatenùs talis formaliter,ac præcisè,seu ex conceptu bonitatis,& perfectionis secũdùm se,esse essentialiter cõnexa cum defectu, & imperfectione cõtradictoriè opposita formaliter vlli alij bonitati , ac perfectioni præcisè,vt tali. Quia essentialis connexio cũ defectu, & imperfectione sua propria , est & ipsa formaliter defectus aliquis,& imperfectio. Repugnat verò bonitatẽ aliquã,& perfectionem,formaliter,ac præcisè

vt talem, esse malitiam aliquam, seu defectum, & imperfectionem formaliter vt talem: sicut repugnat lucem aliquam, esse formaliter aliquas tenebras, vt tales. Ens igitur includens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem, ac proindè carens omni defectu, & imperfectione, non propterea includit in se vllam contradictionem. Ergo tale ens non est aliquid impossibile, & chimæricum, de cuius ratione est, vt includat in se contradictionem aliquam formalem. Quod autem neque est contingens, neque chimæricum, & impossibile, eo ipso est necessarium, & datur semper a parte rei. Datur igitur à parte rei ens carens omni defectu; & imperfectione, atque includens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem; idest, datur purum, & summum bonum.

Art. 11. Postremum medium est. Possibile esse, vt definitur à Philosopho 2. Rhetoricorum, & alibi non semel, quo posito nullum sequitur inconueniens. Impossibile namque est, ex positione entis carentis omni defectu, & imperfectione, sequi aliquod inconueniens. Quia quodvis inconueniens est aliquod malum: idest, aliquis defectus, & imperfectio. Impossibile autem est, ex positione carentis omni defectu, & imperfectione, seu omni malitiâ, sequi aliquem defectum, imperfectionem, & malitiam: Sicut impossibile, est, ex positione lucis secundùm se sequi tenebras. Et ratio est, quia nihil sequi potest ex positione exclusionis sui. Ens autem carens omni defectu, & includens in se omnem puram perfectionem, ac bonitatem, est contradictorium omnis defectus, imperfectionis, & malitiæ, tùm distributiuè, tùm collectiuè sumptæ; id est, est contradictorium chimæræ omnium pessimæ, ac fœdissimæ; vtpotè continentis in se omnia inconuenientia, tùm collectiuè, tùm distributiuè, vt per se patet. Igitur tale ens non est impossibile, & chimæricum, sed neque est contingens, aut ex contingentibus conflatum vt nuper patenter innotuit. Ergo est ens necessarium, & essentialiter existens.

Art. 12. Tertia demonstratio existentiæ Dei petitur ex conceptu primi principij improducibilis, ac immobilis, sibique proindè sufficientis se solo, vt sit, vtque optimè habeat. Experientiâ, omniumque sensuum testimonio manifestissimum est aliqua de nouo produci, & incipere esse, cùm priùs non essent, & postquam producta sunt, moueri, & immutari, alitérque se habere, quàm priùs haberent. Quotidie enim gignuntur de nouo, atque adeò producuntur animalia, plantæ, atque non viuentia, quæ priùs non erant in rerum natura; & postquàm producta sunt, multipliciter alterantur, ac immutantur, dum ex frigidis fiunt calida, ex nigris alba; sursum ac deorsum transferuntur; & sic de aliis innumeris aliter se habendi modis. Quidquid autem, aut producitur de nouo, aut mouetur; ab alio adæquatè, vel saltem inadæquatè distincto producitur, ac mouetur. Quod in primis liquet experientia, eorum omnium, quorum productio, & motio liquet per eandem experientiam. Videmus enim ab aliquo præexistente produci, aut moueri, quidquid videmus produci, seu esse de nouo, aut moueri; nec enim ignis aliquis incipit esse de nouo, nisi, vbi, & quando præexistit alius ignis, aut aliqua alia causa æquiualens dans illi esse; & sic de cæteris quibusuis effectibus. Nec etiam subiectum aliquod mouetur, & fit ex frigido calidum, ex nigro album, ex non vidente, aut non volente videns, aut volens, quin præexistat aliquod distinctum ab ipso mobili, seu moto, vi cuius producatur calor, aut albedo; & per quod potentia visiua, ac volitiua moueatur, ac determinetur ad eliciendam visionem, ac volitionem; vel certè, quin præexistat causa alia similiter distincta remouens impedimentum, quod obstabat, quominùs talis effectus produceretur ab ipso mobili, & sic de aliis similibus.

Art. 13. Probatur deindè ratione. Quia quod aliquando incipit esse, & immediatè antè non fuit, non potest sufficere sibi se solo, vt sit. Primò, quia quod sufficit sibi se solo, vt sit, semper ac necessariò, est; cùm nihil sibi contrarium, atque inimicum, totiúsque sui boni quasi inuidum esse possit, negando sibi proprium suum esse; &, quod manifestius chimæricum est, existendo in ratione impedimenti respectu sui, dum supponitur omninò non esse. Secundò, quia dum aliquid non existit, nihil existit eorum, quæ identificantur cum ipso; ne dicatur idem ipsum realiter esse, simúlque non esse simpliciter, ac propriè. Vnde si sufficientia ad esse alicuius aliquandò non existentis, esset adæquatè indistincta ab eodem; deficeret sufficientia eius ad esse, dum ipsum deficeret; ideóque inciperet posteà esse, quin præcessisset sufficientia eius ad esse; id est, quin præcessisset possibilitas eius vt esset; nempe possibilitas cuiusque rei est inseparabilis à sufficientia eius ad esse. Impossibile siquidem est id existere, cuius nulla est sufficientia ad esse, seu ad cuius positionem à parte rei nihil est in rerum natura; quod sufficiat. Manifestum igitur est, quidquid producitur, ab alio produci, nec sibi sufficere se solo vt sit.

Art. 14. Manifestum similiter est, quidquid mouetur, ab alio moueri, nec se solo sufficere quidquam posse, vt aliter se habeat, quàm priùs. Quia si mutatio sit in deterius, atque nociua; cùm nihil sibi noceat ex se præcisè, sitque nocumentum proprium contra appetitum innatum cuiusuis rei, impossibile erit talem mutationem inesse cuiquam ex se præcisè, nullâque re aliâ decipiente, alliciente, aut cogente. Si verò mutatio fit in melius, atque perfectiua; consequenter anterior eius priuatio fuisset in deterius, atque nociua; ideòque ob eandem rationem, numquam illam passum fuisset, quod se solo suffecisset ad pellendam ex se eandem priuationem. Sicut enim vnaquæque res prosequitur bonum suum, quantùm potest; ita excludit malum suũ, quantùm potest, quatenùs agitur appetitu innato. Eadem verò ratio est de agente libero, si moueatur se solo adæquatè ad electionem. Quia nihil mouetur, ac allicitur ad nocendum sibi. Vnde quisquis determinatur ad electionem nocentem sibi, necesse est, vt moueatur, saltem inadæquatè, ab aliqua alia re extra se posita, vt niminum versetur inter motiua inuicem opposita, atque ideò distincta, quorum proindè saltem alterum distinguatur ab ipso eligente. Igitur quod aliquandò priuatur, aut præexistit priuatum aliquo suo bono; idest, quidquid aliter se habet, ac mouetur; necesse est, vt ab alio saltem inadæquatè distincto moueatur, non minùs quàm necesse sit, vt quidquid producitur, ab alio producatur, & neutrum eorum, possibile est, vt sibi se solo sufficiat, vel ad suum esse simpliciter, vel ad totum suum benè esse.

Art. 15. Quidquid autem ab alio, aut producitur, aut mouetur, nec sufficit sibi se solo, vt vel sit simpliciter, vel aliter sit, quàm priùs esset, necesse est, tùm vt producatur, tùm vt moueatur immediatè, vel saltem mediatè ab aliquo producente improducto, & mouente immobili, quodque proindè sufficiat sibi se solo ad suum esse simpliciter, & ad totum suum bene esse. Si enim, quod producitur, aut mouetur, producatur, aut moueatur ab alio similiter producto, aut moto per aliud; producetur vtique; aut mouebitur ab alio simpliciter

insuffi

insufficiente sibi se solo, vt sit simpliciter, aut vt aliter sit, quàm priùs; eadémque est ratio de quouis vlteriori processu, siue finito, siue infinito producentium, productorum, & mouentium motorum. Impossibile autem est vt multitudo, siue finita, siue infinita, conflata ex iis solis indiuiduis, quorum nullum sit sufficiens sibi se solo ad suum esse simpliciter, aut ad suum benè esse; idest, cuius indiuidua indigent bono vniuscuiusque eorum seorsim sumpti essentialiter proprio ac peculiari;) cuiusmodi vtique est vniuscuiusque esse, & benè esse) impossibile, inquam est, vt talis multitudo sufficiat sibi se sola ad suum esse simpliciter, aut benè esse, nec indigeat aliquo alio, quod similiter non indigeat, sed sufficiat sibi se solo; ideóque sit extra totam ipsam talem multitudinem constitutum.

Art. 16. Veritas huius principij ostenditur clariùs, & commodiùs præmissis exemplis. Multitudo in primis, siue finita, siue infinita hominum, quorum singuli, nullo excepto, sint penitùs stulti, & ad omnia & singula indigentes directione, ac instructione alterius, non potest se sola esse sapiens, aut non indigens instructione, ac directione alterius existentis extra totam eam collectionem, & non indigentis similiter sapientia, & directione alterius. Haud secùs multitudo famelicorum, quorum nullus seorsim habeat sufficientiam vllius cibi, sed quilibet indigeat accipere ab alio indiuiduo præhabente iure suo peculiari; non potest abundare cibis, aut saturari, si non subueniatur sibi ab aliquo alio existente extra totam eiusmodi collectionem, & habente de suo sufficientiam ciborum, nec indigente, vt accipiat ab alio; idque est verum, siue ea multitudo sit finita, siue sit infinita. Idem cuius clarè apparet, circa quoduis aliud genus bonorum, in quauis multitudine, siue finita, siue infinita continente sola indiuidua, quorum singula, nullo excepto, indigeant aliquo bono vniuscuiusque specialiter proprio, nec illud habere possint, nisi acceptum ab alio.

Art. 17. Nunquam nimirum quisquam poterit sibi in animum inducere, subuentum esse toti eiusmodi indigentiæ singulorum, præcisè quia aucta est in infinitum multitudo indigentiæ, factúsque est regressus infinitus ab vltimo indigente in alium, atque alium ita subuenientem posteriori indigentiæ; vt vnusquisque subuenientium indigeat rursus alia priori subuentione respectu sui. Semper enim apparebit eadem ratione, quâ duobus taliter indigentibus opus est tertio constituto extra eum binarium, qui tertius vtrique, vel alteri eorum duorum subueniat; atque tribus est similiter quarto extra ternariũ posito: & sic de qualibet alia collectione finita in infinitum; Infinitis quoque similiter indigentibus, quantumcumque, & qualitercumque multiplicatis, opus esse aliquo alio constituto extra totam eam multitudinem, seu qui non sit similiter indigens, sed sibi sufficiens ex suo, ideóque non accipiens vlteriùs ab alio illud ipsum, quod erogat ceteris.

Art. 18. Eodem namque modo, quo combarantur inter se finiti indigentes, in quouis determinato numero, cum totidem sub sequentibus, quorum quilibet semper indiget alio rursùs subueniente sibi; comparantur etiam infiniti indigentes cum infinitis subuenientibus, quorum quilibet similiter indiget alio vlteriùs subueniente sibi. Vtrobique enim singuli indigentes singulis subuenientibus iusta proportione correspondent. Quapropter eadem vtrobique ratione, & legitima proportionali supputatione, seu quasi supputatione, manifestè concluditur, deueniendum esse ad vnum aliquem, ità subuenientem aliis, vel aliis, vt ipse non indigeat subuentione alterius, nec concludatur in multitudine, siue finita, siue infinita indigentium, & non sufficientium sibi; sed sufficiat sibi se solo. Cùm igitur ostensum sit, nullum productum, seu producibile; nullúmque motum, seu mobile sufficere sibi se solo, sed quodlibet semper indigere alio producente, ac mouente; clarissimè concluditur, deueniendum tandem esse ad primum quoddam principium improductum, atque essentialiter improducibile, & mouens immotum, atque essentialiter immobile, sibique sufficiens se solo, vt sit, & benè sit; neque aliter fieri posse, vt aliquid aut producatur, aut moueatur. Datur igitur primum quoddam principium improducibile, ac immobile, sibique sufficiens se solo, vt sit, vtque optimè habeat. Tale autem primum principium ab omnibus dicitur, & verè est Deus.

Art. 19. Existentiam, & necessitatem huius principij negatiuè, & positiuè primi Diu. Thomas q. 2. art. 3. & alij communiter probant ab inconuenienti. Quia videlicet negato principio productionis, & motionis essentialiter primo, & nec producto, nec moto, sequitur processus, in infinitum, productorum, & producentium; motorum, & mouentium. Quæ quidem sequela est satis manifesta ex nuper dictis, exque ipsa terminorum apprehensione. Absurditas tamen, & implicantia eiusdem sequelæ, etiamsi, me quidem iudice, sit vera; non vsque adeò conspicuè, & clarè demonstratur, obruente, vel saltem obnubilante intellectum nostrum consideratione ipsius infiniti processus; vtpotè improportionati, quâ infinitus est, intellectui finito, atque incomprehensibilis, per ipsum. Certè est erutu difficilis ea absurditas, & implicantia, si & impossibilis non est, vt aduertit D. Thomas 1. contra gent. c. 13. §. *Et ad hoc dicendum*, iuxta sententiam de existentia mundi ab æterno traditam, vt videtur de facto à Philosopho 8. Phys. initio & 1. de Cœlo sub finem, atque assertam de possibili, ab eodem D. Thoma in hac prima parte, q. 46. art. 1. Inde enim necessariò infertur, & admittitur ibidem ab eodem S. Doctore possibilitas processus, saltem per accidens, infiniti in causis, & effectibus; vt in homine, aut igne gignente alium, atque alium hominem, aut ignem sine fine; ex quibus qui generantur, potuerunt ex natura rei esse genitores gignentium se de facto, propterèaque dicuntur per accidens ordinati. Existentia autem, vel etiam sola possibilitas huius infiniti processus redditur rursus admodùm ardua, nec parum obnubilantur argumenta D. Thomæ in dicto ar. 3. & alibi non semel aduersus processum in infinitum in serie (quam procul dubio intelligit ordinatam per se, & ex natura ipsa rei) motorum & mobilium producentium, & productorum; necessitatis essendi causantis, & causatæ; graduum majoris, & minoris bonitatis; virtutis, ac nobilitatis. Argumentatur enim circa hæc omnia ex repugnantia vltimi, & medij, siue vnici, siue multiplicis absque aliquo primo in vnoquoque genere. Quod tamen, non satis apparet clarè, quo pacto vigeat admissâ, vel existentiâ, vel possibilitate processus infiniti in per accidens ordinatis; Quandoquidem eo ipso admittetur postremum, & medium in aliquo genere; absque vllo primo intrà idem genus. Vt igitur ab his difficultatibus, & ambagibus, eximeretur argumentum, vtque demonstratio euaderet magis clara, ac conspicua; consultiùs visum est eam proponere in forma æquè clare, & efficaciter concludent, siue ponatur finita, siue infinita multitudo causarum, & effectuum, mouentium, &

mobilium ; eàque , siue per se , siue per accidens ordinata.

Art. 20. Longam moram faciunt plerique neoterici circa hanc ipsam demonstrationem, in explicando , quando valeat , & quando non valeat argumentum à distributiuo ad collectiuum. Manifestum nimirum est aliquandò non valere ; Siquidem potest ciuitas ciuitati esse similis , & exercitus exercitui ; tametsi nulla seorsim domus sit similis ciuitati ; neque exercitui vllus miles in particulari; atque compositum naturale est ens completum , tametsi vnaquælibet eius pars secundùm se sit incompleta. Quare igitur, aiunt , non poterit similiter dici in præsenti , totam multitudinem, præsertim infinitam rerum productarum ac motarum esse improductam, ac immotam; nec indigere principio aliquo essentialiter primo atque producto , & immobili , & ab eadem multitudine adæquatè distincto , tametsi vnaquælibet res , & vnaquælibet pars totius multitudinis secundùm se finita sit producta, aut mota ab alio ?

Art. 21. Dicendum est , difficultatem istam fuisse iam præoccupatam inter proponendum nostrum argumentum. Obseruatum namque est , in re præsenti, fieri transitum à distributiuo ad collectiuum sub prædicato negatiuo non excludente à singulis solam coniunctionem cum aliis, quibus idem prædicatum negatiuum sit commune ; sed excludente insuper aliquid aliud , cui idem prædicatum negatiuum non sit commune. Dictum enim est cuiuis producibili, & mobili conuenire prædicatum istud negatiuum insufficientis , seu non sufficientis sibi se solo , vt sit, aut bene sit. Quod quidem prædicatum non excludit à singulis producibilibus , & mobilibus solam coniunctionem cum alio , vel aliis similiter insufficientibus, seu non sufficientibus sibi se solis, vt sint, aut benè sint. Quia hæc coniunctio est similis coniunctioni pauperis cum paupere , & famelici cum famelico seu pauperibus , & famelicis infinitis, quæ nunquam sufficiat ad depellendam pauperiem , & famem à tota multitudine. Nempe prædicatum huiusmodi negatiuum tantundem multiplicatur, & augetur , quot sunt entitates superadditæ per coniunctionem cum prioribus similiter insufficientibus; ideóque per nullam talem additionem fieri poterit, vt exterminetur , penitúsque auferatur à tota multitudine , seu collectione idem prædicatum negatiuum.

Art. 22. Patet igitur valere in re nostra argumentum à distributiuo ad collectiuum ; Quia collectio, de qua instituitur argumentum , solam superaddit singulis collectionis coniunctionem cum reliquis contentis intra eandem collectionem ; ideóque non potest excludere , per se ipsam collectiuè sumptam, prædicatum negatiuum conueniens singulis secundùm se, & non excludens ab eisdem solam coniunctionem cum reliquis eiusdem conditionis , ac indigentiæ. Alia longè ratio est exemplis paulò priùs propositis in art. 20. Quia singulæ partes compositi sunt incompletæ , seu non completæ per solam negationem coniunctionis cum alia , vel aliis partibus similiter incompletis , & vnaquæque pars habet ex se, quod deest alteri , neque est vniformis in omnibus defectus eiusdem prædicati , vt euenit in re nostra. Rursus singuli seorsim milites vnius exercitus sunt dissimiles , seu non similes alij exercitui ; nec non singulæ Domus vnius Ciuitatis alij Ciuitati, per solam negationem coniunctionis cum reliquis , seu militibus, seu domibus; & eodem gradu , quo augetur numerus aliorum militum , seu domorum supra singulos minuitur dissimilitudo cum exercitu, & Ciuitate ; quod non ita euenit in re nostra , vt patet. Vnde in illis, & similibus exemplis sola coniunctio singulorum cum reliquis eiusdem conditionis aufert omninò à toto , seu à collectione prædicatum negatiuum singulis seorsim partibus conueniens ; & propterea non tenet argumentum à distributiuo ad collectiuum sub tali prædicato negatiuo ; quale certè non est prædicatum negatiuum , quo nititur demonstratio nostra. Hac eâdem doctrinâ præmunitur etiam vlteriùs illatio suprà facta ex rebus contingentibus ad ens aliquod simpliciter necessarium, & distinctum adæquatè ab illis tùm seorsim , tùm simultaneè sumptis: militat enim , quoad hoc etiam eadem ratio, vt patet conferenti art. 6. cum iis , quæ modo dicta sunt.

Art. 23. Eadem ferè argumentandi methodo demonstrari vlteriùs posset existentia Dei sub conceptu vltimi finis rerum omnium , qui consequitur mutuò ad rationem primi principij efficientis ; nec non sub conceptu primæ regulæ morum , qui similiter consequitur ad rationem vltimi finis. Verùm quia de hoc duplici Dei conceptu agendum est ex professo in qq. de Beat. & act. hum. propterea duæ istæ demonstrationes omittuntur in præsenti. Qua etiam de causa differuntur plures aliæ demonstrationes , quarum erit opportunior locus in progressu. Sufficit enim pro nunc statuisse tria superiora prædicata realiter identificata , & conuertibilia cum Deo , quæ deprehenduntur ex notissimis, ac maximè obuiis , peruiisque naturæ principiis, eademque sufficiunt , & sunt præ cæteris opportuna ad inferendum reliqua Dei prædicata , de quibus deinceps dicendum est. Illud tamen argumentum prætermitti nequaquam debet , quod doctis , atque indoctis est peræquè facile , perceptibile , atque manibus quodammodò palpabile , & cuius est plurimus, ac præcipuus vsus non modò apud Sanctos PP. ac Theologos , sed etiam in sacris literis ; quodque Atheistas omnis generis , siue acutos, siue hebetes, siue idiotas , siue versatos in scientiis , quos non reddit impotentes physicè ad dissentiendum existentiæ Dei, reddit certè prorsus inexcusabiles, vti superiùs dicebat Apostolus, & enormiter peccantes in eo dissensu ; quod denique , respectu notitiæ naturalis de Deo, correspondet iustè argumentis Christianæ fidei respectu notitiæ supernaturalis de eodem , nisi quòd hæc non sufficiunt , illud sufficit ad euidentiam metaphysicam ipsius rei.

Art. 24. Argumentum porrò istud nititur magnitudine , ordine , & pulchritudine mirabili totius huius mundi visibilis ; omniúmque , & singularum eius partium arctissimo concordiæ , numquam , & nusquam dissolutæ, aut dissoluendæ nexu , atque earundem perspicacissimâ , & efficacissimâ directione ad optimum, & opus , & statum vnicuique possibilem , ac congruentem. In quibus omnibus innegabiliter , ac delectabiliter patentibus elucet vsque adeò manifestè vnius cæterorum omnium supremi artificis , conditoris, ac gubernatoris potentia infinita , & bonitas , ac sapientia incomprehensibilis, vt nullus , nisi nequissimè pertinax , & pertinacissimè stultus negare possit existentiam illius ; id est Dei Optimi Maximi, iuxta illud superiùs cum aliis similibus memoratum art. 2. *Dixit insipiens in corde suo , non est Deus.* Dixit id nimirum tot insuperabilibus (in contrarium argumentis vndique obsessus , & totiès vehementi eorum assultu , atque impressione impetitus ; ac pulsatus ; quot partes vniuersi vbilibet circumquaque patent , & quotiès in illas oculos animúmque conuerteret , vel auidum cognitionis veræ causæ , quam illæ sponte suâ suggererent , vt sibi congruentem , vel machinatorem causæ falsæ , quam eædem summa-

vi

vi repellerent, vt nullatenus sibi accommodabilem.

Art. 25. Profectò si audito suaui citharæ concentu (quod exemplum longiori contextu pulchrè, & efficaciter vrgent Athanas. Orat. contra Idol. inter medium, & finem, & Nazianzen, Orat. 2. de Theol. sub initium) si, inquam, audito citharæ concentu, protinùs agnoscimus citharœdum peritum; si, viso surgere augustum perfectæ structuræ palatium, dubitare non possumus de capaci mente, & peritia non vulgari architecti; si exercitus benè ordinatus, & obseruans exactè regulas militiæ, est argumentum clarum præstantis Imperatoris ipsum dirigentis; & sic de aliis eiusmodi regulis, earúmque seu authoribus, seu directoribus; nec potest quisquam illas vel leuiter obseruare, quin clare coniiciat iis inesse mentem, peritiam, consilium, & deliberationem perspicacem, ac maturam; nec potest sibi in animum inducere, talia opera existere à casu, vel quasi à casu, ex se ipsis, aut ex solis similibus, nullo præexistente auctore, aut directore, qui illis longè præemineat: si, inquam rursùs, hæc ità se habent: qui fieri potest, vt quis vel superficie tenus aduertat totius huius vniuersi structuram mirabilem, atque magnificam; concentum eiusdem quoad omnes, & singulas suas partes, cum diuersitate ipsarum propè infinitâ, summè concordem, ac suauissimum; & cursum omnium, ac singulorum constantissimum, ac rectum in suum vniuscuiusque proprium, & iustè proportionatum finem; quin eo ipso coniiciat, tantum, ac tale opus non potuisse existere, nec posse conseruari, ac dirigi quasi à casu ex se ipso; sed auctorem habere summa sapientia, & infinita bonitate, ac potentia præditum? Qui auctor est solus Deus Optimus Maximus existens à se; ne & ipse dicatur existens insipienter, & quasi à casu, sed vi eiusdem sapientiæ, bonitatis, ac potentiæ secum identificatæ, quâ cætera condidit. Ex quibus apparet, quàm rectè aduersus Atheistas, & Idololatras pronunciarint Cypr. de Idol. Vanit. propriùs ad finem, quàm ad med. & Tertul. in Apol. aduersus gentes c. 17, *Hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis*; id est, qui non potest non sufficienter apparere, exigens iure suo sinceram agnitionem sui, & plenum suæ existentiæ assensum. Ob hæc igitur omnia, & alia plenè innumera partim explicanda partim insinuanda in decursu, non solùm certissimum est ex fide, sed etiam multiplici ratione euidentissimum est existere Deum.

Ad 1. Non possunt quidem scientia, & fides de eodem secundùm idem simul inesse eidem intellectui; possunt tamen inesse seorsim, atque ideò cognoscibilitas per vtramque, & certitudo obiectiua relatè ad vtramque, potest simul adesse eidem veritati obiectiuæ, vt eodem illo in loco explicatiùs apparet.

Ad 2. Esto, existentia Dei sit absolutè demonstrabilis secundùm plures rationes, & nulli non innotescat euidenter secundùm aliquam; vtiliter nihilominùs reuelatur ab ipso Deo, tùm vt subueniatur eorum debilitati, & tarditati ingenij, qui nequeunt assequi demonstrationes vsque adeò claras, & perfectas quoad ea omnia prædicata Dei, etiam vt auctoris naturalis, quorum distincta, & certa cognitio est necessaria ad directionem intensiuè, & extensiuè perfectam operationum humanarum: Tùm vt prouideatur internæ animi tranquillitati eorum, qui tametsi eiusmodi demonstrationes assequantur reipsa; non tamen assequuntur vsque adeò dilucidè, ac defæcatè, vt non tangantur aliqua suspicione, ac formidine intercurrentis æquiuocationis alicuius, ac sophismatis; nec possint ab ista molestia & tortura penitùs liberari, nisi per recursum ad asylum fidei, cui inest tranquillissima vis pellendi ex animo omnem formidinem, ac suspicionem falsitatis, vt constat ex q. 22. de Virtut. Theol. Tùm vt ij, qui demonstrare valent absque vlla eiusmodi imperfectione, expediantur, quatenùs ipsorum interierit, à labore, & morâ illas inueniendi, nec non à conatu, & distractione ad eas actualiter aduertendi, quoties diuinorum pia meditatione exercentur, atque hanc ipsam meditationem, applicant ad effectus, & operationes salutares, ideóque elenatas vltra limites solius rationis naturalis, iuxta ea, quæ habentur q. 7. de Gratia, possintque compendio faciliùs, & delectabiliùs, ac maiori cum lucro spirituali, vti vniformi ad omnia regulâ, & directione fidei tutiore, efficaciore, ac sublimiore, renunciando interim rationibus omnibus purè naturalibus. Tùm denique vt obseruatâ congruentiâ, & perfectâ consonantiâ diuinarum reuelationum cum rationibus naturalibus quoad eam Dei notitiam, ad quam vsque eædem rationes peruenire possunt, faciliùs inducatur animus ad fidem earum quoque reuelationum, quæ transcendunt sphæram discursus naturalis.

Ad 3. Deus, vt præcognitus sub vno conceptu, potest mouere, & obligare ad fidem suæ reuelationis de existentia sua sub alio conceptu, & expressione, vt exponetur q. 20 de Virt. Theol quia verò conceptus, & expressio illa præuia potest esse varia, & multiplex apud alios, atque alios; propterea potest Deus vtiliter reuelare existentiam suam sub quouis conceptu, & expressione sui.

Art. 1. Ad 4. Res omnes creatæ sunt infinitè improportionatæ Deo secundùm magnitudinem perfectionis, ideóque nec possunt inducere cognitionem perfectam Dei, scilicet vel adæquatam eidem, vel etiam inadæquatam, sed repræsentatiuam ipsius, vt est ipse in se; Nec possunt gignere in nobis apprehensiones terminorum, per quas immediatè, & secundùm se innotescat existentia Dei absque vllo discursu, vt dictum est in q præcedenti. Cæterum eædem creaturæ sunt proportionatæ Deo in ratione causæ æquiuocæ, & effectus inadæquati, id est in ratione ænigmatis, & arcani; quorum alterum reperitur perobscurè, & imperfectè delineatum in altero, nec transparet sine discursu; transparere tamen potest per discursum intellectui capaci compositionis, & diuisionis. Nempè creaturæ essentialiter sunt finitæ, ac limitatæ participationes perfectionis infinitæ Dei. Et quæ sunt participationes, gignunt circa Deum cognitionem affirmatiuam perfectionis sibi communis cum ipso Deo. Quæ verò sunt finitæ, limitatæ, & imperfectæ, gignunt cognitionem negatiuam totius suæ imperfectionis respectu eiusdem; in quouis namque effectu habenti essentialiter totam suam bonitatem per participationem, apparet clarè acceptam eam fuisse à causa præhabente eamdem; & similiter apparet imperfectionem, ratione cuius indignit influxu, & causalitate alterius, non posse inesse causæ, ex quâ primitùs emanat talis bonitas coniuncta cum tali imperfectione, vt liquet ex tertia demonstratione ab art. 12. Omnes igitur, & quælibet creaturæ fundant immediatè duas præmissas circa Deum, seu circa creatorem suum; alteram affirmatiuam bonitatis vt præscindentis à limitata, & illimitata; finita, & infinita; alteram negatiuam limitationis & finis.

Art. 2. Ex his porrò duabus cognitionibus innicem coniunctis, & simultaneè cooperantibus intellectui sequitur cognitio tertia, vtralibet illarum perfectior, negans limitationem, & finem de bonitate primitùs causatiuâ ipsarum creaturarum. Quod quidem prædicatum bonitatis illimitatæ, & infinitæ seu non habentis limitationem, & finem, est reipsa identificatum, & conuertibile cum Deo. Hæc tamen ipsa

conuer

conuertibilitas ideò nondum apparet ſemper ac neceſſariò ſatis clarè, quia contingit eundem aliquem conceptum negatiuum excludi indifferenter per plura entia poſitiua, vt tenebroſitas aeris excluditur per lumen, tùm candelæ, tùm ſolis; & incertitudo de exiſtentia Dei excluditur, tùm per fidem, tùm per ſcientiam de ipſa. Vnde in re propoſita dubitabile adhuc eſt; an illimitatio, & infinitas bonitatis primitùs cauſantis creaturas, excludat ſolam limitationem, & finitatum vel purè numericam, vel ſimul gradualem bonitatem, vel ſecundùm numerum tantùm, vel etiam ſecundùm ſpeciem regredientium abſque vllo limite, & fine, aut indiuiduorum tantùm, aut etiam ſpecierum; an verò excludat limitationem & finem ſecundùm eſſentiam ſimplicis entitatis? Quapropter opus eſt formare nouum inſuper ſyllogiſmum, in quo habeat locum vnius præmiſſæ concluſio negatiua priùs deducta, nempè: *Bonitas primitùs cauſatiua creaturarum non eſt finita, & limitata.* Cui adiungi debet hæc alia affirmatiua: Bonitas, quæ non eſt finita, & limitata limitatione, & finitate inſufficiente ſibi, & eſſentialiter exigente cauſalitatem alterius à ſe diſtincti, eſt diſtincta à tota multitudine entitatũ, quarũ ſingulæ, nullâ exceptâ, ſunt taliter finitæ, ac limitatæ. Quod demonſtratur, vt ſuprà ab eodẽ §. 12. Ex quibus duabus cognitionibus ſequitur cognitio alia tertia, vtralibet illarum ſeorſim perfectior, negans de bonitate primitùs cauſatiua creaturarum, identitatem cum iiſdem creaturis, ſeu rebus finitis & limitatis cumque tota earum multitudine, ſiue finita, ſiue, infinita. Quod quidem prædicatum eſt, aliquantò manifeſtius, identificatum reipſa, & conuertibile cum Deo. Verùm quia vlteriùs dubitabile eſt, an talis bonitas ſit ſimplex, vel compoſita; corporea, an incorporea, & ſic de ſimilibus: Propterea neceſſe eſt efformare ſimiliter alium atque alium ſyllogiſmum, quò magis, ac magis elucéſcat exiſtentia Dei ſecundùm rationes differentiales ipſius à creaturis, & plures, & magis ſemper, ac magis claras, atque potentes.

Art. 3. Concluditur itaque hoc diſcurſu creaturas propter proportionem, quam habent cum Deo in ratione cauſæ æquiuocæ, & effectus inadæquati, ænigmatis, & arcani; ſeu ſimilitudinis, & imaginis imperfectæ, atque prototypi perfectiſſimi poſſe eſſe medium demonſtrationum circa exiſtentiam, & perfectiones Dei. Indidem vlteriùs apparet demonſtrationes de exiſtentia Dei, quæ communiter proponuntur in præſenti, quæque ſuperiùs propoſitæ ſunt; non poſſe nanciſci totum ſuæ claritatis, & conſpicuitatis complementum, niſi adiuncto decurſu & proceſſu totius Theologiæ. Cuius videlicet totius hoc opus vnicum eſt, vt prædictas demonſtrationes magis, ac magis promoueat modo dicto, atque in maiorem ſemper, ac maiorem claritatem perducat diſcretiuam Dei à creaturis, omnibuſque ipſarum imperfectionibus. Indidem rurſùs apparet ratio, ob quam difficulter diſcernantur diſcretione certâ, & perfectâ eædem demonſtrationes à ſophiſmatis, & topicis ſyllogiſmis; & difficillimè redigantur ad formam, quæ vel ipſi illas inuenienti penitùs ſatisfaciãt. Quia videlicet initiales iſtæ demonſtrationes ſiſtunt in primis Dei prædicatis, quæ ſunt cognoſcibilia per obiecta creata, ideóque cognitio de Deo, quæ acquiritur per illas, diſtat quàm minimum à cognitione creaturarum, ſecundùm ſe, & plurimum participat de natura, & vilitate eius; vtpotè immediatè influentis in ipſam, ideóque imprimentis illi plurimam ſimilitudinem ſui. Quod autem, parum diſtat ab aliquo, nihil ab eo diſtare videtur, & facilè alterum cum altero confunditur; eademque de cauſa inueniens aliquid valdè ſimile præhabitis, nihil de nouo inueniſſe videtur; nec facile eſt, vt multùm gaudeat de bono inuento, licet cõtingere poſſit id reipſa eſſe materiam plurimi gaudij, vtì contingit in re præſenti. Opus igitur eſt diligenti, ac perſpicaci inſpectione in hac materia.

Art. 4. Apparet denique omnem cognitionem de Deo conſequibilem naturaliter ab homine, viatore eſſe admodùm vilem, & imperfectam. Quia ſemper retinet vilitatem originis, quam ducit à cognitione creaturarum ſecundùm ſe; ideóque eſt inadæquatè, & admodùm imperfectè repræſentatiua Dei: non ſecùs, atque ipſæ creaturæ ſunt inadæquatæ, & imperfectæ participationes perfectionis diuinæ. Mirum igitur non eſt, quod cognitio creaturarum ſecundùm ſe habeat proportionem, cum cognitione Dei conſequibili naturaliter ab homine viatore, fundatam, vt dictum eſt, in proportione, quam habent res creatæ, quatenus ſunt effectus Dei, cum ipſo Deo quatenùs eſt earum cauſa. Quapropter obiectio teneret, ſi diceretur poſſe haberi ex creaturis cognitionem de Deo adæquatam ipſi; nihil tamen concludit aduerſus cognitionem Dei inadæquatam & ænigmaticam. Quæ videlicet ita cõparatur cum obiectiua cognoſcibilitate Dei, quem repræſentat: ſicut comparatur bonitas, & perfectio creaturarũ, cum bonitate & perfectione intrinſeca Dei, quem participant, exiſtente vtrobique aſſimili omninò proportione,

Art. 1. Ad 5. Eſto probabilis ſit mutua cauſalitas in eodem genere ſecundùm diuerſas rationes formales, ſecundùm tamen eandem rationem formalem improbabilis omninò ea eſt. Diſputatur enim in vtramque partem Ex. gr. Vtrùm ingreſſus aëris in cubiculum ſit cauſa apertionis feneſtræ; & eadem apertio ſit inuicem cauſa eiuſdem ingreſſus? Nemo tamen dubitare potuit; an duæ feneſtræ clauſæ poſſint ſe ſolis aperire ſe inuicem, apertione alterutrius ex illis exiſtente cauſâ adæquatâ apertionis alterius? & ſic de ſimilibus. Nempè de huiuſmodi comparatione eſt perquàm manifeſta ſententia illa Anſelmi c. 3. Monol. ad medium. *Irrationabilis cogitatio eſt, vt aliqua res ſit per illud, cui dat eſſe.* Oſtenſum autem eſt in ſuperioribus demonſtrationibus effectus omnes creatos indigere cauſa diſtincta à ſe ſecundùm rationes illis omnibus communes. Ergo, non poteſt, per mutuam cauſalitatem, excludi neceſſitas primæ cauſæ eſſentialiter improductę, quæ eſt Deus.

Art. 2. Deindè dantur alia prædicata, & proprietates rerum creatarum, præterquam eſſe productas, quæ formaliter ratione ſui connectuntur cum exiſtentia Dei, vt eſſe dirigibiles in ſuum, vnamquamque, finem & coordinabiles inuicem? fundare propoſitiones ſempiternæ veritatis; & ſimilia, de quibus ſuprà. Circa quæ nihil, nequidem apparenter, innare poteſt mutua cauſalitas. Quid? quòd demonſtrabilis etiam eſt exiſtentia Dei à concomitanti; nempè per prædicata quædam per ſe nota, conuertibilia reipſa cum Deo, quin hæc eorum conuertibilitas ſit per ſe nota, vt notatum eſt in q. præcedenti 23. & tamen eſt demonſtrabilis, vt opere ipſo apparuit ſuprà ex parte in prima, & ſecunda demonſtratione.

Ad 6. Veriſſimum eſt conſiderationem affirmatiuam infinitę multitudinis, & ordinis, ſeu quaſi ordinis rerùm ſemper retrogradi abſque vllo fine, obruere intellectum humanum, eúmque inexplicabiliter intricare & loco tranquillæ ac iucundæ quietis, quâ illum donat inſpectio veritatis, quæ eſt centrum ipſius, incutere horrorem, ac ſtuporem ſimilem illi, quem incutiunt tenebræ nocturnæ iter agenti ſolitario per ſylnam, & denſam, & inuiam; quæ eſt proprietas impoſſibilium, & chimærarum præſertim compactarum ex quàm pluribus terminis ſeorſim poſſibi-

libus:

Ea itaque conditio processus in infinitum suffragatur potiùs demonstrationibus Philosophi, & D. Thomæ negantium illum absolutè ; & inferentium tanquam absurdum: eademque aduersatur consequenter Atheistis confugientibus ad eiusmodi processum ; tanquam ad asylum nequissimæ pertinaciæ nolentis agnoscere veritatem, ideóque coniicientis se se in mediam caliginem fictionis semper vltetiùs propellentis, semperque torquentis intellectum, nec vllum vnquam spondentis illi portum, in quo placidè quiescat, tanquam, in termino suæ intentionis, ac disquisitionis. Nempè falsitas, & chimærica constructio rerum sicut affirmata perturbat; ita negata serenat intellectum. Verùm, vt tales latebræ prodesse minùs Atheistis possent, imò vt nocere nulli possent, consultò demonstrationes existentiæ Dei absolutæ sunt superiùs ab affirmatione, & negatione processus in infinitum ; & ostensæ sunt concludentes eò etiam permisso. Neque verò Philosophus, & D. Thomas ita demonstrarunt existentiam Dei, vt reprobarent, vel etiam contenderent, seu absolutè, seu comparatiuè, omnem alium demonstrandi modum ; quandoquidem nullus humanus intellectus complecti potest omnes argumentandi modos absolutè possibiles, præsertim circa esse Dei, ad quod patent infinitæ viæ ; nulla videlicet alia existente veritate non connexa essentialiter cum veritate existentiæ Dei.

Art. 1. Ad 7. Argumenta Christianæ fidei accedunt proximè ad veram demonstrationem de veritate mysteriorum eius, vt apparet ex q. illa 18. & è conuerso demonstrationes præsentes de existentia Dei quàm minimùm assurgunt supra claritatem, & conspicuitatem rationum quàm maximè probabilium; vti notatũ nuper est in responsione ad 4. art. 3. Ideóque primo aspectu videntur esse æqualis, ac vniformis efficacitatis. Cæterùm reipsa argumenta Christianæ fidei solam euidenter concludunt credibilitatem, & obligationem credendi, vt patet ex eadem illa q. 18. Argumenta verò de existentia Dei rem etiam ipsam concludunt euidenter, vt patet ex dictis in tota ista quæstione.

Art. 2. Status nihilominùs eleuationis non est propterea deterioris proportionaliter conditionis, quàm foret status puræ naturæ : tùm quia maior certitudo fidei compensat, cum absoluto excessu, maiorem claritatem rationis demonstratiuæ naturalis, vt innotescit ex quæst. 22. de Virtut. Theol. Tùm quia notitia obscura, sed simul certa de veritatibus incomparabiliter altioribus, magisque reconditis, quales manifestat fides ; pluris meritò æstimantur, quàm quæ est clarissima de veritatibus valdè obuiis, nec vsque adeò sublimibus, quales solas assequitur ratio naturalis ; Ideóque illa longè nobiliùs instruit, ac dirigit mores, effectúsque humanos, quàm ista.

Art. 3. Haud quaquam tamen negauerim rationes suadentes existentiam Dei, maximè sub conceptu supremi gubernatoris totius vniuersi ad quem spectet cura, & prouidentia vniuersalis de ipso, solam, apud nonnullos euidenter ostendere obligationem assentiendi, & quod prudenter assentiri possint, nec nisi imprudenter, ac stultè enormitérque peccando, dissentiri possint. Certè postremum argumentum propositum art. 23. & 24. hoc vt minimùm apud omnes euidentissimè conuincit ; & quia ab eius aliquali consideratione, vtpotè semper ob oculos positi, & vbilibet occurrentis, nemo fugere omninò potest, colligitur manifestè Atheistas omnes, hac ipsa professione dogmatis patentissimè stulti, insipientis, ac impij, esse sceleratissimos ; atque ad reliquam effrænem peccandi, & modo minimè humano viuendi licentiam, cui adhærent, viam sibi parare, per summum istud nefas rebellionis nolentes agnoscere supremum suum auctorem, ac iudicem ineuitabiliter præsentissimum sibi. Vnde eatenùs atheismus recte comparatur hæresi ; atque hæc procul dubio est mens Nazianzeni in illo loco; vtpotè damnante Atheistas quatenus, vel negant assensum, quem euidenter cognoscunt se debere præstare, vel nolunt considerare rationes, quibus volentes nolentes, cogerentur ad assentiendum.

QVÆSTIO III.

Vtrum Deus sit vnus, & simplex?

VIDETVR non esse 1. Quia dantur plures Dij ex Ps. 81. 6. *Ego dixi, Dij estis*, & 1. ad Corint. 8. 5. *Nã & si sunt, qui dicantur Dij siue in Cælo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & domini multi)* Quod autem est multiplicabile, non est simplex. Quia quodlibet multiplicabile constat indiuiduatione, quæ non est communicabilis aliis ; & naturâ, quæ est communicabilis aliis; ideóque constat duabus, vt minimùm partibus realiter inter se distinctis. Quod est contra simplicitatem ex defectu vnitatis. Ergo Deus nec est vnus, nec simplex.

2. In Sacra Scriptura attribuuntur Deo. Primò trina dimensio longitudinis, latitudinis, & profunditatis Iob. 11. 8. Deinde partes corporis animati, vt brachium, oculi & dextra Iob. 10. 4. Psal. 32. 18. & Psal. 76. 11. & alibi sæpè. Tertiò figura, nec non situs standi, ac sedendi Genes. 1. 26. Isaiæ 3. 13. & cap. 6. 2. Præterea anima, & passiones doloris, tristitiæ, iræ & similes ad Hebr. 10. 38. Genes. 6 6. & Zach. 10. 18. Rom. 1. 18. & alibi : quæ omnia sunt propria substantiæ compositæ, & constantis materia, de cuius ratione est, vt habeat partes extra partes, vtque sit multiplicitatis purè indiuidualis principium.

3. Non sunt idem in Deo natura, & suppositum; essentia, & existentia. Tùm quia hæc distinguuntur realiter in omnibus effectibus Dei ; atque de ratione effectus est, vt assimiletur suæ causæ ; siquidem omne agens agit sibi simile vt habetur ex Philosopho. Tùm quia Deitas est in Deo, sicut humanitas in homine; & nihil est in se ipso. Vnde natura tàm Dei, quàm hominis, est in supposito tanquàm in aliquo superaddito sibi. Similiter essentia Dei aliquid superaddit peculiare vltra esse, seu existere secundùm se præcisè; cùm esse, seu existere secundùm se præcisè sit commune omnibus vtcunque existentibus, deque omnibus ipsis, ac singulis prædicabile ; quod tamen essentiæ Dei omninò repugnat. Denique Deus innotescit naturaliter quoad an est, vt patet ex q. præcedenti; & tamen est omninò ignotus quoad quid est ; vt dicetur qu. 5. Multò verò magis ignotus est naturaliter quoad personalitates, quibus subsistit : necesse autem est, notum ab ignoto esse distinctum. Ergo Deus est compositus ex natura, & supposito ; essentia, & existentia, tamquam ex partibus realiter distinctis.

4. Deus conuenit cum creaturis quoad prædicata generica substantiæ, viuentis, intelligentis, &c. & differt ab eisdem per plura alia prædicata. Ergo Deus componitur ex genere, & differentia. Vnde vlteriùs sequitur compositio eius ex materia & forma ; quatenùs iuxta Philosophum genus sumitur ex materia, & diffe

differentia ex forma. Atque hinc demum subinfertur multiplicitas individualis Deorum, quatenùs materia est principium talis multiplicitatis, ex eodem Philosopho.

Art. 1. Respondetur. Deum esse vnum, & simplicem, id est, non dari plures Deos, nec in vno Deo plures partes realiter inter se distinctas, ex quarum mutuâ inter se vnione Deitas, aut Deus ipse coalescat; est certum ex fide. De vnitate constat clarè ex Dent. 32. 39. exque aliis pluribus Scripturę locis apud Valentiam disp. 1. q. 10 p. 2. Simplicitas colligitur ex eis Scripturæ locis, in quibus apud eumdem auctorem ibidem q. 3. p. 2. & 7. aliosque in præsenti, perfectiones Dei prædicantur de ipso etiam in abstracto, eædemque licet aliàs aliqualiter communes creaturis, dicuntur soli ipsi conuenire, Quorum neutrum verum esset, si Deus non esset indiuisim per suam essentiam, quidquid in ipso est. Eadem simplicitas, simul cum vnitate, definita est in Conc Later: sub Innoc. 3. & refertur c. *Firmiter* extra, de summa Trinitate, & Fide Catholica.

Art. 2. Ratio est; quia Deus est summum bonum continens in se omnem puram perfectionem absque vlla imperfectione, vt constat ex demonstratione 2. q. præcedentis. Multiplicitas autem Deorum, & realis, ex diuersis partibus, compositio ponunt imperfectionem in Deo, Multiplicitas quidem; quia Deus ex suo conceptu est ens simpliciter necessarium, & ineuitabile, vt constitit ibidem in demonstratione. 1. Quare si plures essent Dij, cuilibet eorum esset impossibile existere non existente alio, vel aliis. Vnde quilibet indigeret existentiâ aliûs, vel aliorum, ad suam ipsius existentiam, ac proindè non posset non magni facere aliquod bonum extra se positum. Indigentia autem alieni boni, & insufficientia propria, atque impotentia contemnendi omnia, extra se posita, est manifestus defectus. Compositio verò dicit similiter imperfectionem. Quia vtrilibet parti componenti secundùm se deest perfectio propria alterius partis; nec potest eam habere tam perfecte, ac habet pars altera. Cùm vnio Physica partis cum parte non possit æquiualere adæquatè identitati, quam habet perfectio cuiusque partis secum. Totum autem constans ex partibus identificatis cum eiusmodi imperfectione, eâ que proportionaliter magna in singulis iuxta magnitudinem perfectionis, quæ conuenit alij, vel aliis partibus inuicem sibi necessariis, non potest carere imperfectione; quandoquidem eo ipso esset identificatum cum iis imperfectionibus, sicut quodlibet totum est identificatum cum omnibus suis partibus.

Art. 3. Deindè omnis distinctio realis fundatur in limitatione, aut in oppositione mutua distinctorum. Qua de causa in Conciliis indicandis infrà q. 40. art. 1. statuitur in diuinis omnia esse idem, vbi non obuiat relationis oppositio. Quia videlicet supponitur in diuinis nullum esse locum alteri distinctionis fundamento, quod est limitatio, & contractio perfectionis. Cùm igitur nulla sit in Deo, aut imperfectio, aut perfectio coniuncta cum imperfectione, sed quælibet eius perfectio sit pura perfectio, & præterea nulla pura perfectio opponatur vlli alij puræ perfectioni, nec possit eam à se excludere; quæ duo ostensa sunt quæstione præcedenti; patet nullam in Deo dari posse distinctionem realem, aut partium, ex quibus componatur, aut ab alio Deo, cum quo dualitatem Deorum constituat. Quæ ratio illustrabitur multò magis tota quæstione sequenti.

Art. 4. Nulla igitur datur in Deo compositio, aut ex partibus integrantibus; aut ex materia, & forma; corpore, & anima, quæ sunt propriæ compositi habentis causam sui extra se; aut ex natura, & supposito realiter distincto, quod est proprium naturæ multiplicabilis; aut ex essentia, & existentia, quod est proprium rei contingentis; aut ex substantia, & accidenti, quod est proprium substantiæ non includentis essentialiter in se omnem perfectionem, quâ indiget. Ergo Deus est perfectissimè simplex, & vnus, tùm positiuè, tùm negatiuè.

Ad 1. Viri sancti tùm comprehensores in Cœlo, tùm viatores in terra, dicuntur Dij à Psalmista, participatiue tantùm, & similitudinarie propter participationem diuinæ naturæ, quæ ineest gratiæ sanctificanti, vt habetur q. 2. de Iustificatione. Idem sensus subest Apostolo: nisi quod probabilius est ipsum non loqui ex propria sententia, sed iuxta sensum Idololatrarum, quos ibi impugnat. Vnde immediatè subiungit *Nobis tamen vnus Deus.*

Ad 2. Quia nos cognoscimus res spirituales per solas species rerum corporalium dependenter à sensu externo, & phantasia; ideóque spiritualia, & simplicia concipere non possumus, nisi adinstar rerum corporalium, & compositarum; propterea Spiritus Sanctus, dum loquitur nobiscum, vt locutio sit accommodata capacitati audientium, loquitur metaphoricè, ac symbolicè transferendo voces propriè significatiuas rerum compositarum ad significandum simplicia, maximè verò Deum, pro cuius cognitione pluribus egemus eiusmodi subsidiis, & nominando diuersas partes corporeas pro diuersa opportunitate, ad significandam diuersitatem operationum diuinarum. Quâ itidem ratione, leonis etiam, aliarúmque rerum animatarum, & inanimatarum, adeóque incompossibilium nominibus, significatur sæpè Deus Nihil igitur quoad proprietatem sermonis, deduci potest ex talibus locutionibus aduersus veritatem testimoniis aliis claris, & literalibus, atque ratione superiùs stabilitam.

Ad 3. Natura, & suppositum; essentia, & existentia non distinguuntur in Deo realiter, sed solùm ratione. Ad primam rationem in contrarium. Effectus creati sunt similes Deo quoad totam ipsorum perfectionem, quòd solùm est de intentione omnis agentis; non verò quoad vllam imperfectionem, ad quam vtique spectat defectus simplicitatis. Ad secundam: Deitas dicitur esse in Deo tantùm ex modo nostro concipiendi; quatenùs Deus concipitur à nobis seosim, tùm adinstar naturæ creatæ, tùm adinstar suppositi creati. Haud alter concipitur à nobis Deus, tùm adinstar verificantis solas propositiones præscindentes ab actuali exercitio existentiæ, tùm adinstar verificantis propositiones, quæ significant determinate actuale exercitium existentiæ. Atque priori modo essentia: secundò modo existentia dicitur vnum, & idem esse Dei. Iam esse, cui nulla fit additio solùm præcisiuè; id est, non fit actu per intellectum, fieri tamen realiter potest, illud verò est commune rebus omnibus; estque de iisdem prædicabile promiscuè: at esse proprium Dei est esse, cui nulla fit additio negatiuè; id est, cui neque fit actu, neque fieri potest vlla additio. Quod de nulla re creata verificatur, vti declarabitur q. 5. Ad tertiam Eatenùs Deus dicitur esse notus quoad an est, quatenùs deducitur ex creaturis, vt apparuit suprà, quòd per se ipsum verificet istam propositionem; *Deus est*: non verò quia ipsum esse Dei, seu actus existendi proprius ipsius est notus nobis, vt est in se. Quare eodem prorsùs modo est notus, & ignotus quoad essentiam, & existentiam. Similiter natura, & subsistentia diuina innotescunt nobis naturaliter per cognitionem vniformiter imperfectâ respectu vtriusque. Cognoscimus enim naturaliter Deum esse naturam quandam summam, eámque subsistentem realiter per se ipsam absque indigentia alicuius realiter sibi

sibi superadditi. Sed simul ignoramus naturaliter, qualis sit ea natura, & inter alia; an exigitiuæ multiplicis subsistentiæ; eiusque; an absolutæ, an relatiuæ; an distinctæ, an indistinctæ virtualiter ab ipsa: Sicut etiam ignoramus naturaliter, an, & qualiter hæc eadem prædicata conueniant subsistentiæ, seu supposito diuino. Est igitur eadem vniformis notitia, & ignorantia circa vtrumque extremum.

Art. 1. Ad 4. Conceptus genericos, & specificos substantiarum nos non distinguimus, nisi relatè ad diuersa accidentia, & operationes diuersas. Quia non cognoscimus substantias, nisi dependenter à sensione accidentium, quæ illis insunt, & ab experientia operationum, quibus exercentur. Vnde pro formandis diuersis conceptibus, circa substantias magis, aut minùs communibus, necesse est, vt conuertamur ad accidentia realiter diuersa, aut ad diuersas operationes, quæ pluribus, aut paucioribus insint substantiis; ita vt indiuisim concipiantur substantiæ in recto, & operationes, aut alia accidentia ipsarum in obliquo. Quia verò accidentia, quæ sunt communia pluribus substantiis, habent quodammodò rationem materiæ respectu accidentium coniungibilium secum, quæ sunt communia paucioribus substantiis; quatenus illa habent, respectu istorum, indifferentiam, & separabilitatem non mutuam similem illi, quam habet materia respectu formarum; atque conceptus genericus complectitur in obliquo accidentia illa communiora; differentialis verò ista alia non vsque adeò communia; propterea Philosoph. 5. Metaphysic. text. 10. & 35. rectè pronunciat genus esse simile materiæ; & D. Thomas in hac quæst. 3. artic. 5. dicit genus esse simile potentiæ, & differentiam actui, seu formæ.

Art. 2. Hinc apparet Deum sub nullo genere contineri vniuocè, sed tantùm analogicè. Quia conceptus generici abstracti à Deo, & creaturis, partim conueniunt Deo, nempè quoad rectum; partim non conueniunt, nempè quoad obliquum, quandoquidem nulla Deo accidentia insunt. Quapropter dicendum potiùs est absolutè cum D. Thoma ibidem, Deum sub nullo genere contineri, seu formaliter, seu reductiuè. Pro qua sententia habetur magnum pondus auctoritatis ex PP. Theologis, & Philosophis apud Fasolum in dicta quæst. & artic. dubit. 2. Ea autem posita excluduntur patenter duæ illæ consequentiæ illatæ contra simplicitatem, & vnitatem Dei.

QVÆSTIO IV.

Utrum perfectiones diuinæ distinguantur inter se virtualiter intrinsecè?

VIDENTVR distingui 1. Quia illa prædicata distinguuntur virtualiter intrinsecè, quæ identificantur inter se realiter, simulque æquiualent perfectè prædicatis similibus realiter inter se distinctis. Perfectiones autem Dei, cùm omnes identificentur realiter inter se, vt patet ex q. præcedenti, æquiualent simul perfectissimè omnibus perfectionibus creaturarum distinctis realiter inter se; Quandoquidem Deus continet in se indiuisim omnem bonitatē existentem cum diuisione in creaturis. Ergo tot, vt minimū, perfectiones virtualiter intrinsecè distinctæ admittendæ sunt in Deo, quot reperiuntur realiter distinctæ in creaturis.

2. Distinctio realis mutua perfectionum creaturarum, per se ipsam formaliter, est vna ex iisdem perfectionibus. Quia dependenter ab ipsa, & cum eiusdem inclusione formali dantur in rebus modus, species, & ordo, & in quibus consistit formalis ratio bonitatis, & perfectionis secundùm Augustinum c. 3. de natura boni, aliósque communiter cum D. Thoma q. 5. art. 5. Ergo sicut aliæ perfectiones creaturarum verè insunt virtualiter, & æquiualenter Deo, vt est à parte rei; ita etiam ineſt eidem virtualiter, & æquialenter distinctio mutua earumdem perfectionum, neque sine ipsa conuenire Deo posset formalis ratio bonitatis.

3. Distinctio virtualis intrinseca est perfectio sine imperfectione. Ergo est admittenda inter omnes, & singulas perfectiones diuinas formaliter, seu ratione nostra vtcumque diuersas. Patet antecedens. Quia alias nec inter naturam, & personalitates diuinas dari posset talis distinctio; inter quas tamen incunctanter ea admittitur ab omnibus, nec negari potest, vt apparebit infra agendo de mysterio Trinitatis. Patet item consequentia. Quia vnaquælibet perfectio diuina continet in se formaliter omnem puram perfectionem, quasi reflexam, & vltimò complexiuam ipsius: Et quia in essentia diuina, vt præcisa à personalitatibus, inuenitur formaliter omnis perfectio sine perfectione, ne dicatur Deitatem non esse conceptum omnis puræ perfectionis formaliter.

4. Ideò Deus intelligit, & vult, quia potest intelligere, & velle; & non è conuerso: ideóque est verum à parte rei independenter à modo nostro concipiendi. Verùm autem esse non potest, quin potentia, seu actus primus intelligendi, & volendi sit prior saltem virtualiter intrinsecè, quàm intellectio, & volitio actualis tam necessaria, quàm libera. Sed neque prioritas virtualis intrinseca dari potest absque distinctione virtuali intrinseca; quandoquidem nihil se ipso prius esse potest secundùm idem genus ipseitatis, & prioritatis. Distinguuntur ergo virtualiter intrinsecè ea extrema. Eadem est ratio, si & vrgentior non est, de intellectione actuali, & actuali volitione. Ideò enim Deus vult, & amat, quia intelligit, & cognoscit, iuxta illud Philosophi indubitatum apud omnes; *Nihil volitum; quin præcognitum.* Ergo volitionem, & amorem Dei etiam erga se ipsum secundùm se præcedit necessariò cognitio ipsius, non ex solo modo nostro concipiendi, sed verè à parte rei aliquo modo, ac proinde virtualiter saltem intrinsecè.

Simile denique argumentum fieri potest considerato Deo quatenus cognoscit se, seu est cognitio sui, & quatenus est obiectum suæ cognitionis. Necesse nimirum est, vt præcedat in ratione obiecti, & subsequatur in ratione cognoscentis, seu actualis cognitionis. Quia vt fert communis omnium consensus præeuntibus Philosopho, & Augustino: *Ex obiecto, & potentia paritur notitia.* Est igitur de conceptu cuiusuis notitiæ, siue creatæ, siue increatæ, vt præsupponat aliquo modo à parte rei potentiam, & obiectum, quæ per ipsam, redduntur cognoscens, & cognitum. Ergo datur, inter perfectiones diuinas, multiplex distinctio virtualis intrinseca, seu independens à modo nostro concipiendi.

5. Verbum diuinum procedit, per intellectum, & non per voluntatem, Spiritus verò Sanctus per voluntatem, & non per intellectum; adque verè à parte rei. Ergo intellectui, & voluntati diuinis conueniunt à parte rei prædicata contradictoria; ac proinde distinguuntur adinuicem virtualiter intrinsecè, id est, distinctione aliqua independenti à modo nostro cōcipiendi

piendi, & maiori, quàm sit distinctio quælibet rationis per relationem ad connotata extrinseca realiter inter se distincta. Consequentia est legitima, vt patet, & ex dicendis reddetur clarissima. Probatur antecedens ex Conc. Tolet. 11. in confessione fidei, vbi *non esse credendum* definit, *quod Pater voluntate Filium genuerit, nec quod voluntas sapientiam præuenerit, sed natura.* Conc. Syrmense can. 21. *Si quis*, ait, *consilio Dei factum Filium Dei asserit, anathema sit*, vbi Hilarius pro *consilio* reponit *voluntate* libro de Synodis anathematismo 34. Similiter Aug. l. 65. qq. ad Orosium q. 7. *Patrem* ait, *voluntate non genuisse filium. Quia præire voluntas sapientiam non potest.* Similia habentur apud Hier. in illud ad Ephes. *Qui prædestinauit nos.* Athan. Dial. 2. de Trinit. pag. 4. & magis ex professo apud Cyrillum Alexand. l. 1. Thesauri c. 8. aliosque PP. communiter ex quibus Magist. distinct. 7. & post ipsum cæteri Theologi concludunt Deum voluntate præcedente non genuisse Filium. Gennit autem procul dubio præcedente intellectu. Manifestum igitur est intellectui, & voluntati Diuinis conuenire à parte rei prædicata contradictoria præcedentis, & non præcedentis Filium.

6. Deus misericordia misereturr, & nõ institia; iustitia cognoscit, punit, & non misericordia; immẽsitate adest omnibus locis, & non æternitate, Æternitate adest omnibus differentiis temporum, & non immensitate; Intellectu, & non voluntate; Voluntate vult, & non intellectu: & sic de similibus; Atque hæc sunt vera de prædicatis istis diuinis, vt sunt à parte rei. Nec dici potest prædicata ista diuina esse synonyma, omnésque istiusmodi propositiones idem re ipsa significare. Omnes autem idem significarent à parte rei, omniáque talia Dei nomina essent re ipsa synonyma contra sententiam D. Thomæ quæst. 13. art. 4. aliorumque communem, si omnia prædicata absoluta, & necessaria Dei essent idem omnibus modis à parte rei, quia quæ sunt idem à parte rei omnibus modis, sunt obiectiuè impræscindibilia per intellectum; ideóque omnia taliter identificata simul, atque indiuisim cognoscuntur, & prædicantur re ipsa quoties aliquod eorum formaliter exprimitur per cognitionem, aut prædicatur. Dicendum igitur videtur prædicata Dei nuper inuicem collata, aliáque similia distingui inter se aliqua distinctione independente à modo nostro concipiendi; ac per consequens distingui saltem virtualiter intrinsecè. Huc etiam pertinent similitudo, & dissimilitudo Dei à parte rei per diuersa sua prædicata respectu rerum creatarum realiter inter se distinctarum, aliáque eiusmodi, quæ sunt leuiora.

Art. 1. Respondetur. Cùm constet ex q. proximè præcedenti, nullam dari distinctionem realem inter perfectiones diuinas pertinentes ad constitutionem Deitatis, & communes tribus Personis diuinis; similitérque statuendum sit in q. proximè sequenti, ex communi consensu, dari inter easdem perfectiones multiplicem distinctionem rationis extrinsecam, seu relatè ad connotata extrinseca; examinandum solum superest pro plena notitia simplicitatis diuinæ; an datur inter eas perfectiones distinctio aliqua media, minor reali, & maior, quàm distinctio rationis extrinseca? id est qualis datur inter easdem perfectiones absolutas. Distinctionem istiusmodi mediam alij appellant distinctionem ex natura rei, seu formalem ex natura rei, vt plerique Scotistæ; alij rationis ratiocinatæ, seu rationis cum fundamento in re, vt plerique Thomistæ; alij realem, & secundùm quid, seu realem diminutam; alij eminentialem, alij virtualem intrinsecam. Quæ locutionum discrepantia confusionem parit non paruam in indagandis auctorum sententiis circa præsentem quæstionem. Sed confusionem parit longè maiorem, quòd perpauci auctores satis clarè ac dilucidè exponant rem ipsam, quam affirmant, & quam negant, & quatenùs re ipsa aut differant ab iis, quos impugnant, aut conueniant cum iis, quos approbant, vt coniicere licet, inter alios in præsenti, ex Gillio tract. 1. præsertim cap. 7. & 8. & tamen quæstio est tanti momenti vt meritò pronunciauerit D. Thomas in 1. distinct. 2. quæst. 1. articul. 3. & ex eo Torres de Trinit. quæstione 28. articul. 2. disputatione 2. initio, absque eius notitia nihil rectè intelligi posse in toto ferè libro primo Magistri; id est, in quæstionibus de Deo ferè omnibus.

Artic. 2. Dico igitur pro claritate quæstionis eiusmodi distinctionem mediam inter realem, & rationis purè extrinsecam esse habitudinem mutuam duorum prædicatorum, seu formalitatum duarum conflatam ex reali earum inter se identitate, & ex reali obiectiua, ac intrinseca earumdem discrepantia quoad aliquod aliud tertium prædicatum, seu formalitatem. Vel dicatur breuiùs. Distinctio virtualis intrinseca est identitas realis coniuncta cum discrepantia intrinseca identificatorum, quoad aliquod prædicatum. Identitas realis duorum prædicatorum est mutua affirmabilitas vera ipsorum in recto, seu tanta vtriusvis ex illis communicatio respectu alterius, quanta est communicatio vniuscuiusque respectu sui. Nempè quæcumque realiter inuicem identificantur, sunt inuicem prædicabilia, & affirmabilia, sicut homo, & animal rationale; eadémque se sibi inuicem communicant summè, & alterutrum tantumdem perficitur, aut deterioratur ab altero, quantum perficitur, aut deterioratur vtrumuis à se ipso. Discrepantia intrinseca quoad aliquod prædicatum est affirmabilitas alicuius prædicati de altero extremorum identitatis coniuncta cum negabilitate eiusdem prædicati secundùm se, & vt est à parte rei, respectu alterius extremi eiusdem identitatis. Ita accidit in Deitate, & Paternitate, v. gr. quæ identificantur realiter inter se, suntque mutuò affirmabiles in recto. Verè enim Deitas est Paternitas, & Paternitas est Deitas: & nihilominùs hoc prædicatum *commune tribus Personis diuinis* est affirmabile de Deitate, simulque negabile de Paternitate vt est in se à parte rei. Verè enim Deitas est communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; cùm tamen Paternitas non sit communis Filio, & Spiritui Sancto, nec sit affirmabilis verè de iisdem, vt sunt in se à parte rei, sed potiùs negabilis verè.

Art. 3. Quæcumque igitur ita se habent quoad identitatem mutuam, & mutuam simul discrepantiam intrinsecam in aliquo prædicato; ea verò omnia, & sola virtualiter intrinsecè distinguuntur inter se. Quapropter hæc duo indiuisim complectemur deinceps nomine distinctionis virtualis intrinsecæ, quidquid sit de vocibus apud alios atque alios diuersis, vt initio notatum est, deque eorum intentione, & significato reali, ac obiectiuo. Suppositaque itaque, ex dictis suprà, identitate reali inter omnes perfectiones, omniáque prædicata absoluta Dei; quæ identitas est altera pars distinctionis virtualis intrinsecæ, sola discutienda erit discrepantia realis, & intrinseca quoad aliquod prædicatum; quæ est altera pars eiusdem distinctionis.

An videlicet prædicatum aliquod affirmabile verè de vna aliqua perfectione essentiali, seu absoluta Dei, possit nihilominus esse, sitque re ipsa eodem modo negabile de aliqua alia perfectione itidem essentiali, seu absoluta Dei; idque vt sunt in se intrinsecæ à parte rei? Quod nihil est aliud, quàm inquirere: an duabus aliquibus perfectionibus absolutis Dei, vt sunt in se à parte rei, conuenire possint, conueniantque

niantque re ipsa prædicata aliqua contradictoria? Nempè affirmatio, & negatio eiusdem prædicati includit in se formaliter contradictionem; nihilque est aliud affirmare, & negare idem prædicatum de duobus siue realitet; siue ratione tantùm inter se distinctis, quam dicere de iisdem prædicata contradictoria. Si enim de Petro dicatur currere, & de Paulo non currere: eò ipso dicta de illis erunt contradictoria, esto propositiones non sint futuræ contradictoriæ, quia non sunt de eodem. Patet autem contradictionem prædicatorum non auferri ex eo, quod subiecta vtriusque prædicationis affirmatiuæ & negatiuæ ratione tantùm distinguantur; siue auferatur ea de causa, siue non auferatur contradictio propositionum; de quo redibit infrà ermo circa mysterium Trinitatis. Quod notare oportet propter Fasolum, & nonnullos alios confundentes, in præsenti controuersia, contradictionem prædicatorum cum contradictione propositionum.

Art. 4. Dicendum iam est; nullis duabus perfectionibus diuinis absolutis, vt sunt in se à parte rei, conuenire prædicata contradictoria, seu realem discrepantiam obiectiuam quoad aliquod prædicatum; ac proinde nullas tales perfectiones distingui inter se virtualiter intrinsecè. Ratio est. Quia eo ipso daretur inter eas perfectiones distinctio aliqua realis, nec possent identificari adæquatè inter se. Cuius consequentis falsitas & repugnantia cum fide, patet ex quæstione præcedenti. Probatur sequela; quia prædicata quælibet contradictoria distinguuntur inter se distinctione aliqua reali. Ergo quibuscumque conueniunt prædicata contradictoria, eo ipso conuenit distinctio aliqua realis. Patet consequentia; quia, cui conuenit aliquid, necesse est, vt eo ipso conueniat, quod est inseparabile ab eodem, atque in eodem essentialiter includitur. Patet item antecedens. Primò, quia prædicata quælibet contradictoria sibi inuicem repugnant, seque alterum ab altero excludunt mutuò. Nihil autem sibi ipsi repugnat, seque ipsum excludit à se ipso. Ergo prædicata contradictoria non possunt esse adæquatè idem, sed distinguuntur inter se necessariò distinctione aliqua reali. Identitatem istam tantùm inadæquatam, seu non omnimodam inter quælibet etiam diuina, quæ dissident realiter quoad aliqd quod prædicatum, agnoscit planè D. Greg. Nazianz. orat. 3. de Theologia paulo post med. vbi præmissa, ista obiectione Eunomianorum: *Sed si Filius, inquiunt, essentia idem cum Patre est, profectò cum ingenitus sit Pater, ingenitus quoque Filius erit*; in responsione subdit in hæc verba: *Quod autem ingenitum, & Deus idem non sint, hinc fere intelliges. Si enim idem essent prorsus, quoniam Deus, quorundam Deus est quorumdam quoque ingenitum esset: aut contra, quoniam ingenitum nullius est, nec Deus quoque aliquorum esset. Nam quæ omnino eadem sunt, similiter etiam efferuntur.*

Art. 5. Probatur rursùs idem antedens. Oppositio relationis distinguit inter se realiter extrema, quibus ipsa ineſt à parte rei, nec permittit adæquatam, & omnimodam identitatem eorum inter se. Ergo oppositio contradictionis distingnit similiter extrema, quibus ipsa conuenit. De antecedenti nullus dubitat Theologus, nec dubitare potest propter claram ea de re definitionem indicatam in quæstione præcedenti. Patet consequentia, quia oppositio contradictionis est oppositio omnium maxima; ac proinde non potest esse minor vis, & efficacia eius ad inducendam distinctionem realem extremorum; inter quæ versatur, quàm vis, & efficacia alterius cuiusquam oppositionis. Imò relationis oppositio hac precisè de causa inducit essentialiter distinctionem realem suorum extremorum, quia essentialiter includit in se prædicata contradicentia respectu eorum.

Art. 6. Denique, vt idem antecedens probetur clariùs, ponatur exemplum in intellectione, & volitione absoluta, & necessaria Dei. Quas duas perfectiones diuinas maximè omnium contendunt esse inter se distinctas virtualiter intrinsecè, & capaces prædicatorum contradicentium, auctores opinionis contrariæ.

Prædicatum verò, secundùm quòd inuicem opponuntur contradictoriè, sit illud, quo maximè omnium nituntur iidem; nempè, *principium vt quo Verbi diuini*; ita vt istud prædicatum sit affirmabile verè de intellectione diuina, vt est in se à parte rei: Idemque sit eodem modo negabile de volitione. Inquiro; Qui affirmat intellectionem diuinam, vt est in se à parte rei, esse principium quo Verbi diuini; & qui hoc ipsum negat; hi, inquam, vel dicunt idem realiter; vel non dicunt realiter idem? Si dicunt idem realiter; Ergo non contradicunt sibi inuicem realiter. Non enim contradicit alteri, qui dicit idem, ac dicit alter. Contradicunt autem: Quia contradicere nihil est aliud, quàm negari ab vno sub iisdem terminis illud ipsum, quod affirmatur ab alio. Si autem non dicunt idem realiter, vt manifestum est non dicere; ergo esse principium quo Verbi Diuini, & non esse principium quo Verbi Diuini à parte rei, non sunt idem realiter, sed distinguuntur inter se realiter aliquo modo. Ergo si intellectioni Diuinæ vt est in se à parte rei, conuenit esse principium quo Verbi Diuini, idque per realem identitatem huius prædicati cum eo subiecto; Volitioni verò diuinæ conuenit eodem modo non esse principium quo Verbi Diuini; distinguuntur vtique realiter; quod conuenit intellectioni diuinæ, vt est in se à parte rei, per identitatem realem cum ipsa, & quod similiter conuenit diuinæ volitioni. Impossibile autem est, ea identificari inter se realiter adæquatè, quę identificantur realiter cum distinctis inter se realiter. Eadem autem est ratio, vt patet de quibusuis prædicatis contradictoriis. Ergo quælibet prædicata contradictoria distinguuntur inter se realiter; nec fieri potest, vt ea identificentur inter se realiter adæquatè, quibus cum eadem prædicata contradictoria identificantur realiter; seu quibus vt sunt in se à parte rei, conueniunt talia prædicata.

Art. 7. Huiusmodi argumento, quo nihil euidentius esse potest, vtitur Philosophus 4. Metaph. cap. 4. & 5. ad probandum, quodlibet esse, vel non esse; seu nihil esse, simulque non esse idem ipsum. Id est, vtitur ad probandum hoc ipsum, in cuius probatione modò versamur. Si enim intellectio, & volitio diuinæ identificantur inter se realiter adæquatè, ideóque sunt vnum, & idem realiter adæquatè, & nihilominus volitio, provt est in se à parte rei, est principium quo Spiritus sancti, intellectio verò provt est in se à parte rei, non est principium quo Spiritus sancti; id est, non est illud ipsum, quod est volitio eodem modo considerata. Clarè concluditur eidem ipsi conuenire, vt sit, simulque non sit idem ipsum: Nempe intellectioni, volitioni, seu intellectioni, quæ est idem cum volitione identitate reali adæquata, conuenire esse, simulque non esse principium quo Spiritus sancti. Quod perindè est, atque dicere, principium ibi probatum à Philosopho, quodque est per se notum absolutè, esse falsificabile; quo nihil absurdius, aut tam patenter absurdum dici profectò potest

Art. 8. Præterea de quolibet est negabile verè; nec est affirmabile verè contradictorium ipsius: nec

enim est verum, principium quo Verbi Diuini esse non principium quo Verbi Diuini; sed è contra est verum, principium quo Verbi Diuini non esse non principium quo Verbi Diuini: Sicut lux non est non lux. Quæ autem inuicem negantur verè, & affirmantur inuicem falsò; proculdubio distinguuntur inter se realiter. Nullum quippe clarius distinctionis realis iudicium esse potest, quàm mutua negabilitas vera, & mutua vera inaffirmabilitas. Imò communis, eadémque legitima proculdubio definitio identitatis realis est mutua affirmabilitas vera, vt initio præmissum est; distinctionis verò realis, mutua negabilitas. Cùm ergo eadem sit ratio de quibusuis prædicatis contradictoriis; patet clarè quælibet prædicata contradictoria esse distincta realiter inter se, saltem inadæquatè; atque distinctionem aliquam realem esse indistinctam realiter ab iisdem. Ergo si aliquibus perfectionibus absolutis Dei, vt sunt in se à parte rei, conueniunt prædicata aliqua contradictoria, conuenit vtique iisdem, vt sunt in se à parte rei, distinctio aliqua realis mutua, eáque non tantùm secundùm quid, seu impropriè talis, sed propriè, ac simpliciter talis, saltem secundùm aliquid: Nempè secundùm illud saltem prædicatum, secundùm quod opponuntur inuicem contradictoriè.

Art. 9. Talem nimirum distinctionem euincunt omninò argumenta proposita, vt patet consideranti. Cui propterea non poterit non valdè probari iudicium Adami in 1. dist. 1. quæst. 12. art. 3. dub. 2. §. *Secundò dico*; Vbi, cum sermo esset de prædicatis contradictoriis admittendis in Deo inter ea, quæ non distinguuntur realiter vllo modo, sic verissimè pronunciat: *Imponere fidei tale inconueniens; est exponere fidem derisioni infidelium.* Commendat Adamum Fasolus, licet non satis consequentiæ tenax re ipsa, q. 4. art. 2. dubit 13. num. 102. *Quia*, inquit, *id perindè esset, atque affirmare falsum, quodlibet esse, vel non esse: Et verum, possibile esse, idem simul esse, & non esse.* Admittere autem distinctionem realem inter perfectiones diuinas absolutas; est scandalum fidelium, vt apparuit suprà; Quod est maior inconueniens. Et rursùs adstruere distinctionem maiorem, quàm sit distinctio rationis purè extrinseca, quocumque demum nomine hæc vocetur, absque discrepantia obiectiua intrinseca distinctorum quoad aliquod prædicatum, adeóque sine prædicatis contradictoriis intrinsecis, est nihil re ipsa dicere, aut dicere inconsequenter, vt apparet ex expositione initio præmissa. Igitur ad vitandum omne inconueniens, neganda est, inter omnes, & quaslibet perfectiones diuinas absolutas, distinctio virtualis intrinseca, & distinctio quælibet alia minor distinctione reali, & maior, quàm rationis purè extrinseca.

Art. 10. Plura, alia argumenta confici possent in eandem rem. Primò ex conceptu puræ perfectionis; quatenùs omnes formalitates diuinæ absolutæ, ac necessariæ sunt puræ perfectiones; atque nulla pura perfectio potest opponi per vllum suum prædicatum vlli alij puræ perfectioni, sed toti illi se tota omninò congruit necessariò, vt superiùs semel, atque iterum dictum est, Et confirmatur. Quia aliàs fieri posset, vt duæ aliquæ puræ perfectiones non tantundem se sibi inuicem communicarent, nec tantumdem perficerent se inuicem: quantum vnaquæque se sibi communicaret, séque perficeret. Neutra enim communicari posset alteri quoad prædicatum, secundùm quod opponeretur illi contradictoriè, nec posset eatenus alteram perficere; Cùm vtrumlibet contradictorium excludat potiùs à se formaliter, & immediatè alterum contradictorium. Haberet igitur vtraibet perfectio diuina, vel saltem altera, defectum illi quem perfectionis alicuius peculiaris conuenientis alteri, saltem quoad modum habendi talem perfectionem.

Art. 11. Secundò ex conceptu entis à se; quatenus Diuinitas, ideóque omnes, & singulæ perfectiones diuinæ, sunt ens à se, id est, existunt vi sua præcisè, sibíque sufficiunt se solis ad existendum, ità vt per quandam veluti reflexionem, ex modo nostro concipiendi, tota diuinitas, seu cumulus omnium diuinarum perfectionum sit principium, & causa adæquatè sufficiens, & efficax existendi respectu vniuscuiusuis diuinæ perfectionis seorsim. Ne videlicet dicatur, quamlibet, aut aliquam perfectionem diuinam existere vi principij non includentis in se, omnibus modis à parte rei, omnes perfectiones, quas includit in se principium, & causa cuiusvis creaturæ de cuius conceptu est, procedat à tota diuinitate secundùm omnes suas perfectiones, vt sunt in se à parte rei, tanquam à principio, & causa sua adæquata. Vnde sequeretur volitionem Diuinam ex. gr. non existere sapienter, quia non existeret vi sapientiæ, & intellectionis perinde omninò, atque existit vi sua; intellectionem verò Diuinam è conuerso existere quasi à casu, non ex intentione, vique amoris erga se perfectissimi, quia non existeret vi volitionis Diuinæ perindè omnino, atque sua ipsius vi; & sic de aliis perfectionibus Diuinis inuicem collatis. Nihil autem existit vi sui contradictorij, neque aliquod esse est principium, & causa vel efficiens, vel sufficiens sui non esse, aut è conuerso: Cùm nihil in se contineat, aut vi sua adiungat sibi, sed excludat potiùs, ac repellat suum contradictorium, seu non esse sui. Impossibile igitur est, vt illis perfectionibus inclusis in conceptu Deitatis, vt sunt in se à parte rei, insint prædicata aliqua contradictoria, seu esse aliquid, esse idem ipsum.

Art. 12. Tertiò ex conceptu entis summè ordinati; quatenùs est de conceptu ordinis perfecti, vt quæcumque aliquo modo distinguuntur inter se reuocentur ad vnum aliquod principium simplex, & carens tali distinctione. Aliàs enim existent tanquam scopæ, vt dicitur, dissolutæ. Perfectiones autem Diuinæ, si distinguerentur aliquo modo inter se intrinsecè; non possent reuocari eo modo ad vnum principium: Tum quia nihil potest esse principium adiungendi sibi contradictorium suum; vt modò dicebatur: Tum quia, si vna aliqua perfectio Diuina esset aliquomodo principium aliùs, vel aliarum perfectionum Diuinarum a parte rei; esset vtique principium æquiuocum ipsius, vel ipsarum, ac proindè esset perfectio maior, quam ipsa, vel ipsæ. Quia est de ratione principij æquiuoci, vt excedat, sicut est de ratione principij vniuoci, vt sit æquale principiato. Repugnat autem cuiuis perfectioni Diuinæ, vt excedatur ab vlla alia perfectione, vt sunt in se à parte rei. Quælibet enim perfectio Diuina absoluta, & necessaria est melior ipsa, quàm non ipsa, vt infrà dicetur; atque ideò nulla eiusmodi perfectio potest esse minùs bona, quàm vlla alia, quatenùs alia est, seu non est ipsa.

Artic. 13. Verùm hæc, & alia quàm plura similia propterea non tanti à me habentur, vt moram in eis faciam longiorem: Quia omnium huiusmodi argumentorum efficacia pendet ex eo, quòd non possint identificari inuicem adæquatè, omnémque distinctionem realem, tam immediatam, quàm mediatam, seu in aliquo tertio, à se excludere ea, quibus conueniunt à parte rei prædicata contradictoria; atque hoc dato nullo vlteriùs argumento opus est pro scopo nostro, & pro impugnatione eorum auctorum Catholicorum, quibus cum solis præsens initur controuersia. Iis igitur prætermissis

solùm addo Augustinum negantem lib. 7. de Trinit. cap. 2. inter essentiam, & attributa diuina, illùd distinctionis genus, quod admittit inter eandem, & Personas. *Non eo verbum*, inquit, *quo sapientia. Quia verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum, cuius verbum est; sicut Filius ad Patrem. Sapientia verò eo, quo essentia, & ideò quia vna essentia, vna sapientia.* Pende antithesim: *Non eo verbum, quo sapientia: Eo sapientia quo essentia.* Quod discrimen subsistere nequit absque indistinctione posteriorum prædicatorum contraria distinctioni priorum. Consonat Augustino Anselmus in Monol. cap. 14. initio dicens. *Itaque de relativis nulli dubium, quia nullum eorum substantiale*, (id est, pertinens ad essentiam,) *est illi, de quo relativè dicitur.* Cap. verò 16. propè finem, *Vnum est*, ait, *quidquid essentialiter de summa substantia dicitur. Ipsa vno modo, vna consideratione est, quidquid est essentialiter.* Manifestum porrò est non eodem modo quoad identitatem, & distinctionem inuicem comparari ea, quorum alterum substantiale non est; alterum verò ita ad substantiam, seu essentiam pertinet, vt sit vnum cum ipsa essentia vno modo, vna consideratione; id est, eodem prorsùs modo, quo essentia ipsa est vna secum. Non igitur datur ex mente Augustini, & Anselmi inter essentiam, & essentialia, seu absoluta aliqua, vel omnia, ea distinctio, quæ datur inter eandem essentiam, & relatiua. Inter essentiam autem, & relatiua sola datur distinctio virtualis intrinseca; id est, identitas vera, & realis coniuncta cum discrepantia obiectiua, & intrinseca quoad aliqua prædicata. Ergo non datur eiusmodi distinctio inter essentiam, & attributa, aut inter imperfectiones aliquas absolutas Dei. Ob hæc igitur omnia asserenda est, inter omnia prædicata Dei absoluta, & necessaria, simplicitas perfectissima expers omnis omninò distinctionis obiectiuæ, ac intrinsecæ, atque aliquatenùs maioris, quàm quæ consistit in modo nostro imperfecto concipiendi dependenter à connotatis extrinsecis creaturarum. Quæ est res ipsa à nobis significata nomine distinctionis virtualis intrinsecæ; nec alia esse potest, quæ aliis vocibus initio notatis subiicitur in præsenti per alios auctores.

Ad 1. Æquiualentia entitatis realiter simplicis, respectu plurium perfectionum realiter distinctarum, probat quidem distinctionem virtualem extrinsecam totidem formalitatum in entitate simplici; quatenùs hæc potest multipliciter repræsentari relatè ad singulas eas perfectiones realiter inter se distinctas; atque diuersas. Cæterùm distinctio virtualis intrinseca nullatenùs indè deduci potest. Quia prædicata contradictoria inclusa in conceptu huius distinctionis conueniunt perfectionibus realiter inter se distinctis; ratione suæ imperfectionis, ac limitationis, cui nullus est locus in entitate simplici æquiualenti illis pluribus quoad solam perfectionem, & non etiam quoad imperfectionem, & quoad ea, quæ fundantur in imperfectione.

Ad 2. Distinctio realis rerum creatarum est perfectio coniuncta cum imperfectione; sicut libertas ad amorem, & omissionem amoris Dei; potentia sentiendi; & similes. Fundatur enim in limitatione, & insufficientia bonitatis, quæ inest vnicuique enti creato; inducitque multitudinem in supplementum singulorum. Vnde modus, species, & ordo includentes in suo conceptu talem distinctionem, pertinent ad rationem bonitatis causæ non verò ad conceptum bonitatis secundùm se, aut bonitatis primæ; ex qua oritur omnis bonitas causata, & creata. Quo pacto exponit Augustinum D. Thomas quæst. 6. articul. 1. ad 2. Vnde distinctio realis propria creaturarum datur in Deo æquiualenter quoad sufficientiam ad præstanda per se ipsum plura, quàm quæ præstari possunt ab vnaqualibet creatura seorsùm, quod spectat ad perfectionem, talis distinctionis. Non verò quoad oppositionem, contradictoriam inter perfectiones creatas; quod, spectat ad imperfectionem ipsarum, ipsiusque inter eas distinctionis.

Ad 3. Esto, sit perfectio sine imperfectione distinctio virtualis intrinseca inter formalitates, quarum altera, vel vtraque secundùm se præscindit à perfectione simpliciter, vel etiam à sola perfectione simpliciter simplici; quales sunt omnes formalitates Diuinæ personales; non tamen esset absque aliqua imperfectione distinctio virtualis intrinseca inter formalitates; quarum neutra secundùm se careret perfectione simpliciter simplici; vel ab ea præscindit obiectiuè. Quia quælibet perfectio simpliciter simplex est melior ipsa, ex suo conceptu, quàm non ipsa; eaque propter quodlibet non ipsum, seu contradictorium quodlibet ipsius secundùm se præcisè includit in se defectum alicuius melioritatis, ac proindè, & bonitatis alicuius. Qui defectus est imperfectio, vt declarabitur infrà.

Omnes autem formalitates Diuinæ absolutæ, & necessariæ sunt perfectiones simpliciter simplices; cùm formalitates personales secundùm se, aut nullæ sint perfectiones, aut certè non tales. Ergo nec ratio tenet, nec paritas obiectionis.

Art. 1. Ad 4. Omnes istæ propositiones, causales verificantur ex solo nostro imperfecto concipiendi modo, qui cognoscit diuina adinstar creatorum. Quia cognoscit illa per solas istorum species tenaces originis suæ, eiusque propagatrices in omni suo effectu. Cæterùm nulla est vllius generis antecessio obiectiua potentiæ respectu sui actus, vbi nulla est perfectibilitas obiectiua & intrinseca potentiæ per actum; Nulla verò est perfectibilitas obiectiua, & intrinseca potentiæ; vbi nulla est obiectiua, & intrinseca vacuitas, nec indigentia aliqua vlterioris perfectionis. In nulla autem formalitate absoluta, & necessaria Dei datur obiectiuè, & intrinsecè vacuitas vlla, aut indigentia vlterioris perfectionis; cùm quælibet sit pura perfectio simpliciter simplex. Quòd si nulla eiusmodi potentialitas, seu potentia obiectiua, ac intrinseca, aut cognoscitiua, aut volitiua est in Deo; nulla quoque est antecessio obiectiua, & intrinseca, aut obiecti iuuantis, ac monentis ad cognitionem perfectiuam cognoscentis, aut cognitionis dirigentis ad volendum. Quia omnis necessitas atque etiam vtilitas eiusmodi præuiæ, seu directionis, seu iuuaminis fundatur in antecessione potentiæ cognoscitiuæ, & volitiuæ respectu volitionis, & cognitionis.

Art. 2. Quapropter axiomata illa Philosophi de præcognitione voliti, & de ortu notitiæ ab obiecto, & potentia, accipienda sunt de sola volitione, & notitia præsupponenti aliquo modo è parte rei, & independenter à modo nostro concipiendi, potentiam intellectiuam, & volitiuam perfectibilem per superadditam sibi cognitionem, & volitionem. De qua videlicet sola potentia ille agit, quæque nullatenùs datur in Deo. Continendus itaque est, cum quadam quasi violentia, noster intellectus, dum Deum considerat; ne ipsi, quoad hæc, & eiusmodi alia, adscribat enunciatiuè ex toto, vel ex parte, modum essendi obiectiuum talem, qualis est modus cognoscendi proprius eiusdem intellectus offuscati, ac præpediti speciebus rerum creatarum; à quibus, tanquam ab exemplaribus, ac prototypis, dependet in omni sua operatione circa Diuina. Quæ de re dicentur plura in decursu.

Art. 1. Ad 5. Distinguo antecedens: Verbum Diui-

num procedit verè, & realiter per intellectum notionalem, & non per voluntatem notionalem; & Spiritus sanctus è contra; concedo antecedens. Rursùs: Verbum procedit formaliter, & ex modo nostro concipiendi, per intellectum absolutum, tanquam connotatum proprium ipsius, & non procedit sic per voluntatem absolutam; & de Spiritu sancto è conuerso; concedo similiter antecedens. Verbum procedit re ipsa, independenter à modo nostro concipiendi, per solum intellectum absolutum, aut Spiritus sanctus per solam voluntatem absolutam; nego antecedens cum consequentia. Et sanè nihil absurdius dici potest, quàm omnem Dei operationem circa creaturas fieri sapienter, & ex vi amoris erga ipsas; ideòque per intellectum simul, & voluntatem; & tamen operationes præstantissimas ad intra peragi, alteram insipienter, seu non sapienter, nempè nihil operante intellectu re ipsa; alteram quasi fortuitò; & inuoluntariè, & absque intentione præuia eius, quod ponitur à parte rei; atque adeò Filium Dei vnigenitum non existere re ipsa ex vi amoris paterni erga ipsum; neque Spiritus sanctum spirari ex vi cognitionis proponentis spiratori qualitatem, & prædicata omnia ipsius. Quæ tamen absurda, necesse est, vt dicat, quicumque dicit Verbum non procedere re ipsa per voluntatem absolutam; & similiter Spiritum sanctum non procedere re ipsa per intellectum absolutum. Iam quod concessum est de voluntate, & intellectu notionali à parte rei, nec non de absoluta ex modo concipiendi declarabitur ex professo in loco. Nempè sufficit pro nunc, à nemine ea de re dubitari.

Art. 2. Concilia, & PP. longè abeunt ab scopo obiectionis. Quia solùm agunt de reprobando Arianismo; cuius fundamentum aduersus diuinitatem Filij Dei erat hoc sophisma. Vel volens Pater genuit Filium, vel nolens. Si nolens; quis eum coegit? Certè maior aliquis, & Filio, & Patre. Quo obtinebatur plus etiam quàm intentum initio esset; Nempè nec Patrem esse Deum, nec Filium. Si volens; ergo liberè, & cum consideratione. Atqui necesse est libertatem, & considerationem, ante rem, esse, quæ sit cum libertate, & consideratione. Ante, inquam, vel actu; quod directè intendebatur ab Ario: vel saltem potentiâ; quod non minùs sufficiebat eidem. Ità fere referunt Nazianz. orat. 35. quæst. 3. de Theol. colum. 4. Cyrillus Alex. lib. 8. Thes. cap. 8. initio, aliique PP. disputantes aduersus Arianos.

Art. 3. Sophisma istud diluitur distinctione duplicis voluntatis; alterius liberæ libertate indifferentiæ, imperantis generationem Filij, atque ad eam determinantis intellectum paternum, seu Patrem ex se indifferentem; sicut determinatur omnipotentia ad productionem creaturæ; alterius, liberæ sola libertate opposita coactioni, seu spontaneo, simúlque essentialiter determinatæ ad vnum ex sua natura, comitantis ratione nostra generationem, virtutémque generatiuam Filij; sicut comitatur productionem virtutémque diuinam productiuam hominis, virtus diuina productiua leonis. Quas duas virtutes nemo propterea asserit virtualiter intrinsecè distinctas inter se. Prioris generis voluntatem subintelligebant, & affirmabant Ariani in suo sophismate; eandémque subintelligunt Concilia, & Patres relati in obiectione, dum negant Filium voluntate genitum esse. Oportebat nimirum eo sensu repelli à Catholicis propositionem Arij, quo iste tanquam veneno illam imbuebat.

Art. 4. Cæterùm secundi generis voluntatem, quæ à parte rei verè præcedat generationem Filij; tã non negant Concilia, & PP. quàm non affirmat Arius; vtpotè nihil conferentem ad scopum controuersiæ de diuinitate Filij. Imò illam disertè affirmant plurimi PP. ac Theologi apud Montoyam disp. 93. de Trinit. sect. 2. à num. 14. & tota sect. 4. & 5. Vbi inter alios videri potest Hilarius ità exponens Synodum Syrmiensem, vt, ex mente ipsius, eodem modo, quo negat processionem Filij per priorem indifferentem voluntatem, admittat processionem eiusdem per posteriorem necessariam voluntatem. Nemo autem non videt doctrinam istam nihil conferre ad scopum argumenti. Quandoquidem nemo est, qui neget distinctionem, vt minimùm, virtualem intrinsecam terminationum liberarum Dei à natura Diuina. Confert verò plurimùm eadem doctrina ad scopum nostrum. Quia nequidem voluntas Dei absoluta, & necessaria deberet præcedere generationem Filij; si ea foret distincta virtualiter intrinsecè ab intellectu, & natura Diuina; certè non ita facilè, & clarè deprehendi posset ea præcedentia sub hac hypothesi.

Art. 5. Verùm, quia processio per voluntatem liberam libertate indifferentiæ tam negatur de Spiritu sancto, quàm negatur de Verbo; atque Sancti PP. vniformiter, eodémque prorsùs sensu affirmant nonnunquam de Spiritu sancto, & negant de verbo processionem per voluntatem, aliâ insuper opus est interpretatione peculiari pro eiusmodi locutionibus. Nimirum, vt accipiantur, dum ita loquuntur, eamque comparationem sic instituunt; vel de voluntate notionali, in sensu reali, vel de absoluta, & necessaria, tantùm ex modo nostro concipiendi, iuxta distinctionem initio præmissam. Quo pacto legitimè in concordiam rediguntur testimonia huius generis cum testimoniis aliis non paucis eorundem Patrum de processione Verbi per voluntatem ruper indicatis apud Montoyam. Nec enim Sancti PP. vbiquè loquuntur de hac re, aut in eodem sensu, aut in eundem scopum. Aliter enim oportebat eos loqui in contentiosa defensione Mysterij processionum Diuinarum aduersus fraudes Arij. Aliter verò in tranquilla eiusdem mysterij expositione directa ad fideles: eorumque familiari, ac vulgari concipiendi modo accommodata.

Art. 1. Ad 6. Voces substituuntur rebus non præcisè vt sunt in se à parte rei, sed vt subsunt conceptibus loquentis. Conceptus autem nostri circa Deum sunt non solùm vtcumque distincti; sed etiam specificè diuersi iuxta diuersitatem specificam rerum creatarum, relatè ad quas, & per quarum species cognoscitur Deus. Quod non prouenit ex diuersitate obiectiua prædicatorum Dei secundùm se præcisè, quæ cognoscuntur in recto mediantibus creaturis, sed ex diuersitate rerum creatarum, è quibus aliæ, atque aliæ cognoscuntur in obliquo simul cum Deo per alios, atque alios conceptus; ideóque per ipsos sortitur Deus aliam, atque aliam apparentiam respectu nostri intellectus. In hac porrò apparentiæ diuersitate, circa rem obiectiuè, ac in se intrinsecè eandem, consistit omnis distinctio virtualis extrinseca, seu rationis; tùm ratiocinantis, per connotata secundæ intentionis; tùm ratiocinatæ, per connotata primæ intentionis.

Art. 2. Propter identitatem obiectiuam, quoad rectum, istiusmodi nostrorum conceptuum circa Deum, euadunt veræ propositiones affirmantes de se inuicem prædicata Dei absoluta: vt, iustitia Dei est misericordia Dei: Immensitas est æternitas, &c. Propter diuersitatem verò realem, quoad obliquum, euadunt veræ propositiones obiectionis enunciantes contradictoria de iustitia, & misericordia Dei; immensitate, & æternitate, &c. quin propterea eædem propositiones sint inuicem contradictoriæ. Quia videlicet semper illis subest implicitè, vel explicitè, sensus reduplica

duplicatiuus includens simul cum Deo connotata creata realiter distincta, ac diuersa. Hac etiam præcisè de causa nomina Dei non sunt synonyma, licet ex parte recti omnia significent rem adæquatè eandem. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ, aliorúmque communis eodem illo in loco, quem indicat obiectio. Alia huiusmodi logicalia, quæ rebus quoque creatis sunt communia, exponuntur communiter in Logica, nec sunt huc omnia connehenda.

QVÆSTIO V.

Utrùm essentia Dei constituatur formaliter per conceptum entis à se?

VIDETVR non constitui. 1. Quia ratio entis à se est transcendens respectu omnium prædicatorum Dei, sicut esse immensum, æternum, &c. Repugnat autem rationi essentiæ, vt sit ita transcendens.

2. Essentia est præcipua in vnoquoque, summaque perfectio; vtpotè continens in se tanquam prima radix, cætera omnia, quæ insunt rei. Talis autem est in Deo, ratione nostra, vti est realiter in rebus creatis, gradus solus intellectiui, aut intellectio actualis, vt multis contendunt Fasolus Herice, & alij. Hoc igitur potissimùm conceptu constituitur formaliter essentia Dei.

3. Omnia prædicata Dei, quæ sunt posteriora ratione, quàm eius essentia, habent rationem attributi. Conceptus autem substantiæ, viuentis, & similes, sunt posteriores in Deo ratione nostra, quàm conceptus entis à se; & tamen non sunt attributa, ex communi omnium sententia. Ergo.

4. Essentia cuiusque, & definitio obiectiua sunt idem etiam formaliter, & ratione nostra. Ratio autem entis est extra definitionem, & est prior eadem. Nempè quæstio *quia est*, præcedit quæstionem *quid est*, vt docet D. Thomas ex Philosopho 2. poster. 6. Ergo eadem ratio entis est etiam extra essentiam.

5. Definitio, vt docetur ibidem, debet constare ex genere, & differentia; ens autem non est genus, vt docent frequenter Philosophus, D. Thomas, & alij. Idem colligitur ex eo, quod dictum est suprà, Deum sub nullo genere vniuocè contineri. Continetur enim vniuocè sub ratione entis. Quia sub hoc conceptu formali præcisè, nec ex parte recti, nec ex parte obliqui, seu connotati, apprehenditur quidquam diuersum respectu Dei, & respectu creaturæ.

6 Essentia, & existentia: esse, & existere distinguuntur realiter in rebus creatis, vt docet sæpè D. Thomas, & post ipsum plures ali. Ergo distinguuntur in Deo ratione. Ergo ratio entis, seu ipsum esse non pertinet formaliter ad conceptum essentialem Dei.

7. Aseitas est conceptus negatiuus. Perindè namque est, atque conceptus non habentis causam à se distinctam. Essentia autem entis positiui, quale proculdubio est Deus, est conceptus adæquatè positiuus. Quia per negationem non exponitur, quid sit res, sed quid non sit. Ergo aseitas non pertinet ad essentiam Dei. Quòd si propterea dicatur istud prædicatum esse positiuum: difficultatem ingerit, quod docet Damas. lib. 1. de fide cap. 12. initio; Omne positiuum, & quidquid per Theologiam affirmatiuam dicitur à nobis de Deo, esse extra eius essentiam. Dicendum igitur videtur, nullum conceptum quidditatiuum, & essentialem Dei, siue affirmando, siue negando, esse assignabilem à nobis iuxta modum, quo ipsum apprehendere, & cognoscere valemus, dum sumus in via.

Art. 1. Respondetur. Quod est primum in vnoquoque constitutiuum ipsius, & distinctiuum eiusdem ab omnibus aliis; id verò ab omnibus essentia dicitur. Primum autem intelligitur, & positiuè, & negatiuè tale. Negatiuè quidem; quatenùs nihil eiusmodi ante se præsupponit. Positiuè verò; quatenùs est radix, & principium aliquale cæterorum omnium, quæ vnicuique insunt. Hinc colligitur, iunctis iis, quæ dicta sunt in quæstione præcedenti, nullum esse discrimen obiectiuum, & intrinsecum inter prædicata Dei essentialia, & non essentialia, præterquàm facta comparatione inter prædicata absoluta, & necessaria, ex vna parte; & relatiua, atque terminationes liberas, ex parte altera. Nempè, respectu istorum posteriorum, illa priora habent procul dubio rationem essentiæ. Quia habent, respectu eorundem, aliquod prioritatis genus ex parte obiecti, vt infrà dicetur; seque solis sufficiunt ad discretionem Dei ab omnibus, & quibusuis aliis, quæ non sunt Deus. Vnde nomine essentiæ Dei, & prædicatorum essentialium, frequenter intelliguntur omnia prædicata absoluta, & necessaria sumpta collectiuè, & proyt distincta virtualiter intrinsecè à personalitatibus, & conceptibus omnibus relatiuis; nec non à terminationibus liberis, quatenus liberis.

Art. 2. Solùm igitur superest quæstio de conceptu essentiali metaphysicè, & ex modo nostro concipiendi; id est, de sola distinctione virtuali extrinsecà inter conceptum primarium, & conceptus secundarios Dei relatè ad connotata creata habentia, interse, ordinem realem prioris, & posterioris. Etenim prædicata Dei differentialia, & discretiua à rebus creatis, si secundùm se præcisè considerentur, & independenter à relatione ad connotata creata, omnia sunt simul, non solùm obiectiuè, & intrinsecè; sed etiam ratione, & ex modo concipiendi. Quia in ipsis secundùm se nullum est fundamentum præferendi, aut postponendi vnum, seu conceptum, seu prædicatum alicui alij conceptui, aut prædicato; cùm secundùm se præcisè nihilo discrepent inter se, vt dictum est suprà; nec possit intellectus sortiri differentiam vllam positiuam quoad suos conceptus formales, nisi ex parte obiecti apprehensi existat aliquod discrimen causatiuum differentiæ inter cognitiones.

Art. 3. Certum nihilominus est, eadem Dei prædicata posse alia aliis esse priora, & posteriora, ratione nostra, dum concipiuntur relatè ad connotata creata, quorum alia aliis sint priora, aut posteriora realiter. Sicut enim prædicata Dei distinguuntur inuicem ratione, propter diuersitatem realem rerum creatarum, per quarum species, & adinstar quarum concipitur Deus: ita etiam ordinantur inuicem, tanquam prius, & posterius ratione, propter ordinem realem prioris, & posterioris conuenientem rebus creatis, quarum speciebus, & adinstar quarum concipitur Deus. Nempe Deus cognitus, iam mediantibus creaturis habentibus rationem prioris, iam mediantibus iis, quæ habent rationem posterioris, apparet intellectui iam vt prior, iam vt posterior respectu sui ipsius. Prior quidem quoad perfectionem similem

perfectioni creaturarum, quatenùs realiter priorum. Posterior verò quoad perfectionem similem perfectioni creaturarum realiter posteriorum, eadem profectò de causa; ob quam apparet nobis Deus, velut alius, & alius, atque diuersus à se ipso, propter alietatem, & diuersitatem realem rerum creatarum; mediantibus quibus per distinctas cognitiones imperfectè, atque inadæquatè ipsum percipimus. Vtrobique enim obiectum imperfectum immediatè cognitum traducit, ac refundit similitudinem quandam, atque imitationem apparentem sui in obiectum præstantius, & ignotum mediatè cognitum.

Art. 4. Huiusmodi apparentia contingit in intellectu ad eum ferè modum, quo in potentia visiua corporea contingit, vt idem obiectum visibile eiusdem in se semper coloris, ac situs, appareat iam viride, iam rubrum, iam cæruleum; modò propinquius, modò remotius; modò rectum, modò inuersum, propter visiones habitas mediantibus perspicuis eorum realiter in se colorum, & dispariter concauis, aut conuexis; atquè diuersimodè dispositis in loco, seu rectis, ac inuersis; similitérque apparet tanquam multiplex, si perspicilia sint multangula. Quo exemplo, & discursu dignoscitur vlteriùs, illud prioritatis genus conuenire, ratione nostra, seu ex modo nostro concipiendi, vnicuique prædicato Diuino respectu alius, vel aliorum prædicatorum Dei, quod prioritatis genus conuenit realiter obiecto creato, per cuius species, & consequenter adinstar cuius, cognitum à nobis erit idem prædicatum Dei, seu potiùs Deus ipse totus, quantum est ex parte obiecti realiter terminantis cognitionem. Vnde, quia potentia nostra intellectiua est prior realiter prioritate naturæ, & causalitatis effectiuæ, quàm intellectio ipsius Deus quatenùs intellectiuus, est prior eodem genere prioritatis ex modo nostro concipiendi, quàm quatenùs intelligens actu: id est, potentia, vel potiùs non repugnantia Dei ad intelligendum est ita prior, quàm intellectio Dei. Quia verò ratio substantiæ, vt sic, est prior prioritate fundata in sola non mutua subsistendi consequentia, quàm ratio viuentis, aut intellectiui, ratio substantiæ Diuinæ est similiter prior, ex modo nostro concipiendi, quàm ratio vitæ, aut intellectualitatis diuinæ; idemque similiter dicitur de aliis eiusmodi.

Art. 5. Ex his deprehenditur iam clarè, conceptum entis à se esse primum omnium inter prædicata Dei. Quia in primis ratio entis est formaliter vniuersalissima omnium, ideóque prior prioritate consequentiæ non mutuæ, quam quodlibet aliud prædicatum, saltem in ordine ad nostram cognitionem. Quod addo propter proprietates transcendentales entis, quæ omnes sunt relatiuæ ad aliud; cùm conceptus entis sit prorsùs absolutus. Conceptus autem absoluti est prior conceptu relatiui, sicut simplex composito. Quæ est ratio D. Thomæ pro hac sententia in 1. distinct. 8. quæst. 1. art. 3. Deinde aseitas concipitur ad modum causæ respectu cæterorum prædicatorum Dei, ac proindè est prior illis, ex modo nostro concipiendi. Eadem de causa istud prædicatum est cæterorum omnium radix, & origo prima, ratione nostra atque ideò est primum Dei prædicatum, non tantùm negatiuè, sed etiam positiuè.

Art. 6. Ex ista consideratione deducitur alia eiusdem prædicati conditio, quam nonnulli seorsim expressam volunt ex expositione conceptus essentialis: Nimirum istud idem prædicatum esse præstantius, & maioris perfectionis, ratione nostra, quàm prædicata cætera Dei. Quia principium reale æquiuocum alicuius necessariò illi præeminet formaliter. Aseitas autem comparatur, vt tale principium cum aliis perfectionibus Dei, vtpotè dissimilibus sibi formaliter. Et præterea aseitas est conceptus formaliter oppositus summæ imperfectioni creaturarum, & quæ est origo cæterarum omnium imperfectionum; Nempè esse ex nihilo, & ex se hoc tantùm habere, vt nihil sint. Ea autem perfectio est formaliter maior, quæ opponitur formaliter maiori imperfectioni. Apparet verò nobis Deus magis vel minùs perfectus, estque proindè inæqualiter perfectus, ratione nostra, vt subest diuersis nostris conceptibus, atque inde nominibus referentibus vel positiuè, ac assimilatiuè ad perfectiones creatas inæquales, vel negatiuè, ac discretiuè ad imperfectiones maiores, & minores. Solus igitur conceptus entis à se; seu existentis vi sua sola, seu sufficientis sibi se solo ad existendum, constituit adæquatè, ratione nostra, essentiam Dei.

Art. 7. Confirmatur cum Suarez Gillio, Auersa, Smising. & aliis quàm pluribus ex illo Exod 14. *Ego sum qui sum.* Et rursùs, *Qui est, misit me*: vbi intendente Deo manifestare suam essentiam, & quidem accommodatè ad modum nostrum intelligendi, vtpotè erudiente populum rudem, ignarúmque rerum sublimium, sola exprimitur ratio entis sibi à se conueniens, siue vt sibi conueniens quidditatiuè per se ipsum, ac proindè essentialiter habens esse, seu essentialiter existens; sicuti homo est essentialiter homo, seu animal rationale, & sic de similibus. Ea autem expressio coincidit omninò cum expressione à nobis proposita, nisi quòd hæc nostra facta est terminis scholarum propriis; illa verò terminis locutionis apud omnes familiaris. Communis consensus PP. pro hac sententia, & loci adducti intelligentia illi fauens videri potest inter alios apud Gillium l. 2. tract. 1. cap. 13. & 14.

Art. 8. Confirmatur rursùs. Quia inter omnes conceptus constitutiuos Dei, & discretiuos eiusdem à rebus creatis, notissimus omnium, atque adeò primus, ratione nostra, est conceptus entis à se, quod ex eo colligitur efficaciter à posteriori. Quia Philosophi, cùm ignorarent cætera Dei, rationem tamen primæ causæ, seu existentis vi sua, & à se præcisè, inuestigauere primam omnium, atque inde alia postmodum omnia deduxere, ad quæ ratio naturalis progredi potest; nisi quòd plures, & quoad plura decepti sunt in eiusmodi discursu. Quod ipsum iterum manifestat, cætera Dei prædicata esse obscuriora minusque nota, atque adeò posteriora, ratione nostra, & ex modo nostro concipiendi.

Art. 9. Confirmatur denique. Quia quò aliqua magis distant inter se, eò est vniuersalior ratio, cui adiungitur immediatè ratio differentialis eorum; vt patet inter alia, in conceptu quidditatiuo substantiæ, & accidentis, Substantia enim definitur ens per se. Accidens verò entis ens, seu ens in alio. Ergo conceptus differentialis Dei debet, à fortiori, adiungi similiter immediatè rationi vniuersalissimæ entis, debetque constitui per perfectionem formaliter oppositam imperfectioni rerum creatarum notissimæ præ omnibus aliis; quæ est dependentia ab alio, & insufficientia, vt sit, ac subsistat vi sua præcisè. Quæ perfectio est aseitas, vt patet. Ergo legitima quoad nos expositio essentiæ Dei est per aseitatem adiunctam rationi entis.

Ad 1. Licet ratio entis secundùm se præcisè sit transcendens, non tamen est formaliter transcendens, vt coniuncta aseitati, quæ est formaliter diuersa à reliquis Dei perfectionibus non minùs, quàm differant inter se reliquæ perfectiones diuinæ. Ergo conceptus iste adæquatè sumptus est idoneus ad constitutionem formalem essentiæ Dei.

Ad 2. Omnia, & quælibet alia prædicata habent complementum potius suæ bonitatis, ac perfectionis, per esse, seu per determinationem ad existendum.

Quia

Quia videlicet cætera omnia comparantur tanquam potentia respectu existentiæ, seu esse, atque actus præeminet potentiæ in perfectione, vt docet in hanc eandem rem, & confirmat optimè D. Thomas præsertim q.7. de potent art.2. ad 9. Verum hoc ipsum patet clariùs ex conceptu aseitatis superiùs ponderatæ quo est longè posterior, ratione nostra, conceptus intellectui, & intellectionis; sicut, & alij ab aliis assignati conceptus tanquam essentiales: maximè verò est posterior conceptus entis æquivalentis omni alij enti. Quia hic conceptus est comparatiuus Dei cum omni alio ente, ideòque est posterior; quàm quilibet alius conceptus comparatiuus, cum quolibet ente, aut cum quolibet particulari entium genere, seu determinatè, seu vagè considerato. Quandoquidem quoduis totum, & quæuis collectio est posterior quibuslibet eius partibus. Vnde istiusmodi conceptus distat plus à conceptu essentiali Dei, quàm quilibet alius proprius, & distinctiuus ipsius Dei.

Ad 3. Ratio attributi dupliciter vsurpatur respectu Dei. Primò pro perfectione absoluta, & necessaria habente similitudinem cum accidenti creato, aut significata termino connotatiuo. Secundò pro perfectione qualibet secundaria, præsupponente, ex modo nostro concipiendi, aliam rationem differentialem Dei. Iuxta priorem vsurpationem,) quæ, vtpotè communior, retinebitur à nobis in decursu) prædicata substantiæ, viuentis, & similia, non dicuntur attributalia, licet sint conceptus secundarij; sed dicuntur substantialia: quatenùs significantur per modum per se stantis. Iuxta secundam tamen vsurpationem possunt dici absque incommodo, & dicuntur nonnunquam attributa iidem secundarij conceptus; quatenùs præsupponunt, ratione, aliud prædicatum; cui attribui possint per intellectum, iuxta connaturalem intelligendi, & enunciandi modum.

Ad 4. & 5. Deus non potest definiri propriè, sed tantùm impropriè, & latè quoad quid nominis, vt docent D. Thomas, & alij communiter. Quia non constat ex genere, & differentia propriè, & strictè talibus, vt dictum est suprà. Et quia, dum sumus in via, non possumus assequi conceptum quidditatiuum Dei, vt est in se; sed solùm conceptum aliqualiter discretiuum ipsius admodùm imperfectè, & quasi adumbrando ad modum creaturarum. Quapropter essentia Dei explicatur idoneè, iuxta modum nostrum concipiendi, genere non propriè, sed lata quadam significatione tali, vti est ens. Eadem de causa quæstio *quia* tantùm, inadæquatè distinguitur à quæstione *quid* circa Deum; neque istam quæstionem præcedit illa alia, nisi inadæquatè sumptam, licet secus accidat in creatis. Quia in Deo vniuersalissima ratio entis immediatè, ac indiuisim contrahitur per rationem differentialem, & actualitatem vltimam, vt liquet ex superiori discursu.

Art. 1. Ad 6. Plurimùm inclino ad sententiam Niphi dicentis 4. Metaph. disp. 5. fine, quidquid dissidetur inter auctores de distinctione reali essentiæ ab existentia in rebus creatis; esse quæstionem de voce. Nec videtur laudandus Caietanus quatenùs in præsenti circa art.4.q.3. sub nomine Modernulorum deridet negantes eam distinctionem; cum iuxta eum sensum, in quo loquuntur, verissimè pronuncient. Causa æquiuocationis videtur esse duplex significatio essentiæ.

Art. 2. Primò namque sumitur essentia pro verificatiuo propositionis quidditatiuæ, & veræ veritate simpliciter necessaria, vel pro eo obiecto, ratione cuius ita verificantur, vt sine ipso verificari non possint eiusmodi propositiones. Hoc sensu dicitur communiter, tanquam primum principium: essentias rerum esse æternas, incorruptibiles, ac ingenerabiles: tametsi nihil tale vnquam conueniat vlli rei creatæ in se intrinsecè, sed omnia opposita. Certum est essentiam rei creatæ iuxta istam acceptionem, distingui realiter ab existentia ipsius. Quia verificatiuum formale eiusmodi propositionum est intrinsecè solus Deus, & per solam denominationem extrinsecam ab ipso conuenit rebus creatis, vt illas verificent, vt exponetur infrà q.16. In Deo autem, iuxta eandem acceptionem est realiter indistincta essentia ab existentia. Quia Deus verificat tales propositiones de se ipso, præcisè per se ipsum, vt est in se intrinsecè. Nihil namque extrinsecum supereſt, per quod denominari possit in ordine ad tales prædicationes; cùm nihil præter ipsum, sit intrinsecè æternum, ingenerabile, & incorruptibile.

Art. 3. In eodem nihilominus sensu distinguitur inadæquatè, ratione nostra, essentia Dei ab existentia eius; quatenùs ratio entis præscindit à conceptu verificantis, tùm per se ipsum intrinsecè, tùm extrinsecè per aliud, prædicationes, quæ fiunt de ipso. Aseitas tamen est incapax talis præcisionis, quia est ipsa ratio formalis opposita contingentiæ rerum creatarum, ob quam existentia ipsarum distinguitur realiter ab essentia sumpta pro verificatiuo propositionis necessariæ. Rationi autem formali dissimilitudinis, imò, & oppositionis cum fundamento distinctionis realis, non potest conuenire similitudo, & analogia quoad distinctionem rationis. Quare hæc analogia, seu correspondentia, & similitudo solùm saluatur, ex parte Dei in ratione entis comparata cum aseitate; non verò in conceptu essentiæ diuinæ adæquatè sumptæ, & comparatæ, iuxta hunc priorem sensum cum existentia diuina.

Artic. 4. Secunda vsurpatio essentiæ est pro primo prædicato cuiusque rei quod constituit ipsa in se intrinsecè, eandemque diuersificat intrinsecè à qualibet alia re, simulque verificat, per se ipsum intrinsecè, propositionem affirmatiuam eiusdem constitutionis, & diuersitatis de eodem prædicato; idque non solùm conditionatè, seu quasi conditionatè, sed omninò absolutè. Quo sensu dicitur communiter, inter alia, essentiam creatam esse realiter in supposito, & facere realem compositionem cum ipso. Iuxta hunc sensum essentia creata non distinguitur realiter ab existentia, Quia nulli rei, etiam creatæ, aut identificatæ quomodolibet realiter cum re creata, potest conuenire in se intrinsecè, atque absolutè prædicatum aliquod, nisi ratione suæ existentiæ, & quatenùs est formaliter existens; quandoquidem existere, nihil est aliud, quàm esse in se intrinsecè tale, vel tale aliquid; & non solùm per denominationem extrinsecam ab alio. Itaque, iuxta istam acceptionem essentiæ, & existentiæ, nullus est locus obiectioni, vt patet.

Articul. 5. Porrò D. Thomas, & alij communiter, dum affirmant essentiam rei creatæ distinguu realiter ab existentia, loquuntur in priori solùm sensu. Quod facilè quisque deprehendet, si consuluerit diligenter D. Thom. in quæst. ista 3. art. 4. & lib. 2. contra Gent. cap. 52. cum eodem cap. præsertim 5. de ente, & essentia; maximè verò 4. Metaph. lect. 2. At moderni reprehensi à Caietano, & quales sunt plerique huius seculi auctores, cum quibus proinde loquendum potius nobis est, loquuntur in posteriori sensu. Verùm consultiùs est loqui semper, in hac materia, cum distinctione, iuxta explicationem datam. Quæ videlicet quietat magis intellectum & tollit, certè lenit plurimùm partium contentiones.

Ad 7. Sicuti in rebus creatis insufficientia ex se

ad

ad esse, & defectus necessitatis existendi; est prædicatum propriè negatiuum, de quo dubitari non potest: ità in Deo aseitas, & sufficientia, ex se præcisè, ad esse, atque necessitas existendi, illi deuinctæ sunt prædicatum procul dubio positiuum, vti apparebit clariùs in quæstione sequenti; Ideòque est idoneum ad explicandum, quid sit res. Damascenus satis apertè suffragatur nostræ sententiæ in illo capite, solúmque præterea contendit, Deum cognosci à nobis meliùs, & clariùs per conceptus apprehendentes prædicata positiua ipsius, ad modum negationis excludentis imperfectiones creatas. Qua de causa aseitas etiam Dei communiter exprimitur per negationem dependentiæ ab alio. Quod nihil nocet veritati rei significatæ, vt explicatiùs apparebit in eadem quæstione sequenti.

QVÆSTIO VI.

Vtrum attributa Dei recte diuidantur in negatiua, & positiua?

VIDENTVR non rectè diuidi 1. Quia sicuti multiplicitas realis perfectionum, saltem simpliciter simplicium, est coniuncta essentialiter cum reali earum imperfectione, vt dictum est q. 4. ita multiplicitas rationis est coniuncta cum imperfectione rationis. In Deo autem, nec etiam ratione nostra, datur vlla imperfectio. Nulla porrò diuisio vllibi dari potest absque aliqua multiplicitate. Nullus igitur est locus diuisioni, etiam rationis in Deo.

2. Omnis negatio ex suo conceptu est exclusio, & defectus alicuius esse. In Deo autem nulla est exclusio, nullúsque defectus vllius esse. Quia Deus est pelagus infinitum, ac interminatum totius esse, atque perfecta essendi plenitudo, vt dicetur, ex Scriptura, & PP. quæstione sequenti. Nulla igitur est vera negatio in Deo; ac proinde nulla ipsi conueniunt attributa negatiua.

3. Quælibet negatio præsupponit aliquid positiuum. Quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione vera vel imaginata, vt docet D. Thomas quæst. 2. de malo art. 1. ad 9. & alibi non semel; ideòque affirmatio naturaliter est prior negatione, at idem docet 2. 2. q. 122. art. 2. ad 1. Ergo diuisio attributorum Dei debet potiùs fieri in positiua, & negatiua, quàm è conuerso.

4. Si quæ admittatur diuisio attributorum in Deo; sequitur admittendas esse infinitas in eodem diuisiones. Quia diuisiones reales possibiles creaturarum, adinstar, & per species quarum, & non aliter, fieri potest in Deo aliqua diuisio, sunt infinitæ. Infinitas autem diuisionum, etiam rationis, parit confusionem, & est absurda.

5. Admissis in Deo attributis aliqualiter diuersis, admittenda quoque forent aliqualiter inæqualia. Quia obiecta creata, quorum mutua inter se diuersitas est vnica causa diuersitatis nostrorum conceptuum circa Deum, habent diuersitatem, & dissimilitudinem mutuam, coniunctam essentialiter cum inæqualitate; atque ideò facere non possunt, vt Deus appareat intellectui nostro veluti alius, atque alius, cum quadam respectu sui, diuersitate, quin simul appareat veluti magis, & minùs perfectus, cum quadam, respectu sui, inæqualitate. Sequela autem est absurda. Quia omnia diuina, quatenùs diuina, sunt æqualia, etiam ratione nostra, propter infinitatem, & summitatem diuinitatis inclusæ formaliter in omnibus Diuinis.

Art. 1. Respondetur. Ex præmissis in quæstione præcedenti liquet clarè dari in Deo multiplicitatem, seu diuersitatem prædicatorum distinctorum ratione nostra, iuxta diuersitatem, ac multiplicitatem realem creaturarum. Indidem rursus constat inter eiusmodi prædicata, ea dici attributa, quibus assimilantur accidentia creata, aut quæ significantur terminis connotatiuis. Istorum attributorum diuisiones obseruantur à Theologis pro methodo doctrinæ de Deo idoneè ordinanda. Quam in rem præcipua, & apud omnes prima diuisio est in attributa positiua, & negatiua, vtpotè primò diuidentia intelligibile vt sic, seu correspondentia immediatè primæ eius diuisioni.

Art. 2. Pro intelligentia huius diuisionis circa Deum, obseruanda est duplex distinctio negationum; nempe negationis secundùm dici, & secundùm esse obiectiuum; & rursus negationis puræ, & mixtæ. Negatio pura est, quæ ita excludit aliquid positiuum, vt nihil simul includat positiuum, aut ex parte termini negati, aut ex parte subiecti de quo dicitur. Negatio non pura, seu mixta est, quæ simul includit aliquod positiuum. Exemplum secundæ negationis sunt cæcitas, tenebræ, & distinctio rei à re; Primæ verò negationis exemplum est negatio existentiæ, aut possibilitatis rei alicuius provt est prædicabilis de ipsa seu existentia, seu possibilitate. Negatio secundùm esse obiectiuum est vtralibet ex dictis negationibus, provt sunt à parte rei. Negatio secundùm dici tantùm est apprehensio, & expressio prædicati positiui ad modum alterutrius ex dictis negationibus realibus; vt cùm dicitur de aliquo non esse cæcum; non esse insipientem; non esse ægrotum; in quibus propositionibus prædicatum ex parte obiecti est re ipsa positiuum; & propterea propositiones sunt affirmatiuæ ex parte rei significatæ, quatenùs duæ negationes affirmant.

Art. 3. In Deo nulla datur pura negatio secundùm esse obiectiuum. Ex parte quidem subiecti. Quia Deo necessariò inest omne purum esse, seu omnis gradus essendi penitùs expers imperfectionis. Ex parte verò termini à se distincti, sibique extrinseci Quia Deus per sua prædicata necessaria, de quibus solis est sermo, solas à se excludit formaliter imperfectiones creaturarum, & puras negationes aliarum in aliis creaturis mutuò fundatas. Ex iis autem, quæ sunt puræ negationes, excluduntur per prædicata purè positiua, vt patet. Imperfectiones verò vtpotè indistinctæ à perfectionibus creaturarum, non excluduntur per puras, sed per mixtas negationes. Quarum nimirum ratione negantur de Deo perfectiones creatæ provt contractæ ad ipsas creaturas ideòque provt coniunctæ cum imperfectionibus earundem; id est, cum negationibus vlterioris perfectionis absolutè possibilis. Solæ itaque mixtæ huiusmodi negationes dantur in Deo ratione deitatis re ipsa, & secundùm esse obiectiuum. Hæc videtur esse intentio Dionysij dicentis cap. 4. & 12. de diu. nom. & cap. 2. Cœlest. Hier. *Non sic aliqua negari de Deo, quasi omninò ei desint; sed quia non eodem modo ei conueniunt, sicut, & nobis.*

Art. 4. Iam negationes secundùm dici tot dantur in Deo, sicut & in rebus creatis, quot in vtrisque

que dantur prædicata positiva. Quia omnia, & singula talia possunt significari ad modum negationum, duplicando voces negativas; vt si aseitas dicatur non insufficientia ex se præcisè ad esse; omnipotentia non impotentia ad quidquam absolutè possibile Prædicata Dei positiva, quatenùs sic significata negativè, non numerantur communiter inter attributa negativa. Quia est modus significandi innaturalis, & per accidens. Prædicata verò Dei, quatenus concepta relatè ad imperfectiones creatas conceptu formaliter, & explicitè exclusiuo ipsarum, dicuntur propriè attributa negativa; sicut dicuntur positiva, quatenùs concipiuntur relatè ad perfectiones creatas conceptu formalitet, & explicitè inclusiuo ipsarum.

Art. 5. Vtriusque generis conceptus sunt in nobis multiplices respectu Dei, intra tamen numerum determinatum. Sunt quidem multiplices. Quia, cùm omnis cognitio creata de Deo sit inadæquata, ac insufficiens; & quæ habetur in via, habeatur mediantibus creatutis, quæ non possunt omnes, sub vnum simul conceptum, distinctè venire; &, quæ sunt inuicem diuersæ pariant diuersas inuicem manifestationes Dei: opus est, vt multiplicatis diuersis diuersarum rerum conceptibus, defectum, ac insufficientiam singolorum vtcumque suppleamus circa Deum; atque variis hinc inde scintillis in vnum coniectis excitemus in nobis diuinitatis fulgorem, licet semper nimis tennem, aliquatenus tamen magis conspicuum, ac hilarem, seu potiùs minus tenebrosum, minusque miserum. Sunt verò intra numerum determinatum, eumque non valdè magnum, quia perfectiones, & imperfectiones creaturarum nobis notæ, atque inter se diuersæ, sunt finitæ; & quæ possiunt excitare in nobis cognitiones de Deo discernibiliter, ac notabiliter diuersas, rediguntur ad paucas admodum classes. Qua de causa omnia prædicata Dei rediguntur communiter à Theologis ad pauca attributa, (seu vt loquuntur antiquiores, præsertim Sancti PP. nomina,) tùm positiva, tùm negativa.

Art. 6. Attributis negativis notificatur Deus per remotionem, ac elongationem à creaturis quatenùs imperfectis. Attributis verò positivis notificatur idem per assimilationem, & conuenientiam cum iisdem, quatenùs prædictis aliqua perfectione. Quia autem imperfectio creaturarum, atque elongatio, & distantia à Deo, est infinitè maior, ideòque notior, & magis conspicua, quàm ipsarum perfectio, atque similitudo, & conuenientia cum Deo; propterea attributa Dei negativa sunt notiora, & consequenter priora ratione quoad nos, quàm attributa positiva; licet, loquendo per se, & respectu intellectus perfecti, aut perfectè dispositi, sit priùs in vnoquolibet positivum, quàm negativum. Quæ est intentio D. Thomæ loco indicato in secundo argumento.

Art. 7. Eodem modo apparet nobis magis perfectio Dei, estque proinde Deus perfectior, ratione nostra, constituitque attributum similiter perfectius, quatenùs concipitur relatè, vel ad maiorem perfectionem creatam per affirmationem, vel ad imperfectiones minores per negationem, vti suprà notatum iterum fuit. Verùm istiusmodi inæqualitas, & maior, ac minor perfectio attributorum Dei, eorumdèmque partitio, ac multiplicitas ex modo concipiendi: nullam dicit, aut imperfectionem rationis ex parte Dei, aut falsitatem simpliciter in intellectu nostro. Quia fundatur in natura rerum creatarum, & in imperfectione nostri intellectus, dependentis quidem ab illis circa Deum, non tamen propterea affirmantis talem esse Deum in se, qualis est modus noster cognoscendi ipsum; sed potiùs id omninò negantis. Ex his omnibus patet satis ad obiecta; & constat idoneè diuidi attributa Dei in negativa, & positiva.

Art. 8. De doctrina vsque adeò breuiter tradita in hac quæstione videri plura possunt in eius confirmationem apud Dionysium præsertim cap. 7. de diu. nom. antè medium, vbi eadem prædicata significat positivè, & negativè, affirmat, & negat de Deo, ob diuersum vtique connotationis modum superiùs explicatum, dicens inter alia: *Itaque in omnibus Deus cognoscitur, & sine omnibus; scientiaque Deus cognoscitur, & ignoratione; estque eius & notitia & ratio, & scientia, & tactus, & sensus, & opinio, & visio, & nomen, & cætera omnia; & neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur; neque etiam est aliquid eorum, quæ sunt, neque in quoquam eorum, quæ sunt, noscitur; Et in omnibus est omnia, atque nihil in quoquam; omnibusque ex omnibus cognoscitur, & ex vlla re nemini.* Eodem pertinet caput quintum de Myst. Theol.

QVÆSTIO VII.

Vtrum solus Deus sit infinitus, & immensus?

VIDETVR non esse 1. Quia finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis, vt dicitur 1. Phys. tex. 66. Vnde de ratione infiniti est, vt sit imperfectum, vtpotè constans partibus, & materia, vt dicitur 3. Phys. tex. 15. Deo autem, neque conuenit quantitas, neque imperfectio vlla. Ergo nec infinitas.

2. Deus non esset immensus, seu infinitus secundùm locum, si ita adesset alicubi, vt alibi non adesset. Ergo non est infinitus secundùm esse. Patet consequentia; quia ita sibi conuenit aliquod esse, nempè quod est proprium, & peculiare ipsius: vt non conueniat aliud esse; nempè Angeli hominis, Ignis &c.

3. Si Deus esset immensus, ideòque adesset vbique, cùm simul sit omninò simplex, vt dictum est suprà; sequeretur adesse adæquatè idem tertio, quæ sunt inter se maximè distantia. Quod tamen est impossibile non secùs, ac identificari adæquatè eidem tertio, quæ distinguuntur inter se realiter.

4. Nullibi erat Deus, antequam quidquam faceret; neque modò est in spatiis, vti dicunt, imaginariis. Quia impossibile est esse in nihilo, seu sibi esse, vbi nihil est; ideóque nec locus ipse est, aut spatium vllum realiter. Deus autem nullius est capax mutationis Ergo neque modò vllibi est, aut potest esse alicubide nouo.

5. Virtus cuiusque rei proportionatur essentiæ eius, & virtuti effectus; Ergo repugnat Deum esse infinitum, & immensum; & non posse talem esse aliquem eius effectum: ergo neutrum est proprium, & peculiare ipsius.

Articul. 1 Respondetur. Constat Deum esse infinitum ex Psal. 144 *Magnitudinis eius non est finis.* Esse verò immensum colligitur ex Psalm. 138. *Si ascendero in Cœlum, Tu illic es. Si descendero in infernum, ades*, & ex 2. Parali. 26. & cap. 6. 18. *Si Cœlum, & cœli cœlorum capere eum nequeant: non te capiunt*, & in Simbolo Athanasij dicitur *Immensus Pater, &c.* Vtrique attributo accommodatur à Gil-

lio

lio, & aliis illud Baruch. 3. 25. *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* Vtrumque verò definitur expresse in c. *Firmiter* de summa Trinitate, & fide Catholica.

Art. 2. Non est autem quantitativa infinitas propria Dei, nec consistit in magnitudine, aut multitudine partium; siquidem Deus nullas habet partes, vt dictum est, q. 3. Consistit itaque in plenitudine perfecta essendi ratione cuius ita in se includit omne purum esse secundùm omnes ipsius gradus absolutè possibiles, vt nullo vnquam limite, ac termino coerceatur citra ambitum totius possibilitatis. Quin imò assignata, in quovis genere, qualibet virtuali magnitudine finita essendi v.g. vt tria, aut centum, eaque pluries, & pluries quantumlibet replicata, numquam pervenietur ad æqualitatem cum Deo, sed semper supererit aliquid extrà cum excessu incomparabili. Quod est proprium infiniti, & pertinens ad eius formalem, & explicitum conceptum iuxta Phil. 3. Phys. c. 6. Ratio huius est. Quia. Deus est ens à se, vt dictum est suprà, ideóque nihil est, per quod limitetur, ac restringatur infra summum, ac infinitum.

Art. 3. Ad infinitatem consequitur immediatè immensitas; Tùm quia quod non est immensum, eo ipso patitur aliquam in eo genere limitationem: ac proinde nequit esse infinitum simpliciter, & in omni genere: tùm quia vnumquodque iuxta suam entitativam magnitudinem perfectionis, obtinet proportionaliter magnitudinem suæ diffusionis, & quasi extensionis in ordine ad spatium, vti ostenditur inductione, & ratione à priori in qq. de Angelis; ac proinde infinitum secundùm esse necessariò est immensum secundùm spatium; tùm denique quia ad infinitatem simpliciter spectat potestas non minùs vbilibet quàm quidlibet agendi; quæ absque vbiquitate, seu immensitate esse non potest. De quo alibi. Infinitus igitur, & immensus est Deus.

Ad 1. Philosophus in illis locis non agit de infinito vt sic, aut de infinito simpliciter, & in omni genere, sed de solo infinito sensibili, & extenso propriè sine fine. Vnde neutrum illorum est è re.

Ad 2. Sicut de ratione immensitatis est, vt sit formaliter, vbicumque est, aut potest esse aliquid aliud; non tamen, vt fit alicubi (præterquàm virtualiter, & eminenter) eo modo, quo inibi est, aut potest esse aliquod non immensum: ità est de conceptu entis simpliciter infiniti, vt contineat in se formaliter omne purum esse; non tamen, vt contineat, (præterquam eminenter) aliquod esse mixtum, seu quasi mixtum cum imperfectione.

Ad 3. De conceptu identitatis est, vt iis, quæ identificantur adæquatè cum aliquo tertio, conueniant omnia, quæ conueniunt eidem tertio. Vnde fieri non potest, vt simul distinguantur inter se realiter. At non est de conceptu præsentium eidem tertio, vt conueniant similiter cum eodem quoad omnia prædicata, vt patet. Quare si vnum aliquod simplex æquivaleat duobus, poterit vtrique adesse se toto totalitate entitatis, quin propterea vtrumque adsit illi totaliter totalitate spatij; ac proindè quin alterutrum adsit alteri. Tàm enim fieri potest, vt simplex illud excedat amplitudine spatij, quàm vt excedat magnitudine perfectionis.

Art. 1. Ad 4. Deus, antequam quidquam faceret, erat actualiter in se ipso tantùm, atque adeò erat vniformiter vbique. Quia Deus per se ipsum essentialiter est suum vbique esse, suaque vbiquitas; sicut essentialiter est suum esse, suáque æternitas. Erat itaque Deus, ante mundum conditum, vbi, & quando nihil erat præter ipsum; non vbi, & quando nihil erat simpliciter. Erat enim ipse, qui est, & erat suum vbi, & suum quando, non secùs, ac est, & erat sua cognitio, & suus amor. Qua de re videri potest inter alios D. Bernardus l. 5. de consider. c. 6.

Art. 2. A mundo autem condito, Deus est extra ipsum mundum vndequaque infinitè, seu, vt dicitur, in spatijs omnibus purè imaginarijs, per præsentiam re ipsa penitùs absolutam; eodem nimirum prorsùs modo, atque dictum est fuisse vbique ante creationem rerum. Cuius veritatis sinceritatem ex se non valde difficilem, quæ capiatur, multi multis obnubilant; exornat verò quamplurimùm, de more, ex Scriptura, & PP. Petauius tom. 1. Theol. lib. 3. à cap. 7. At in ipso mundo, inque singulis eius partibus adest præterea Deus specialiter per essentiam, præsentiam, & potentiam, specialitate fundata, non in mutatione Dei, sed in mutatione creaturarum transeuntium de non esse ad esse.

Art. 3. Hoc videlicet est essentiale rebus creatis, vt ex suppositione, quòd existant, sint in primis indistantes à Deo per intimam sui penetrationem adæquatam cum ipso; deinde, vt immediatè terminent intuitionem Dei ad se, subsintque eius prouidentiæ; demum, vt æquè immediatè dependeant ab eius influxu quoad esse, & conseruari. Ratione primi, dicitur Deus esse in creaturis, per essentiam; ratione secundi; per præsentiam; ratione tertij, per potentiam, vt exponit D. Thomas q. 8. art. 3. & alij communiter. Sed primum illud tantummodò pertinet formaliter ad immensitatem, & præstatur per ipsam conditionatè quidem, antequam existant creaturæ, & vbi non existunt; absolutè verò, cùm existunt, & vbi existunt.

Ad 5. Impossibile est ab infinito simpliciter, & in omni genere fieri aliquid sibi æquale. Quia quod fit ab alio, non sufficit, sibi adesse, & indiget illo alio. Quod non cadit in infinitum simpliciter, & in omni genere. Cui autem repugnat, vt sit infinitum simpliciter, repugnat etiam, vt sit immensum. Quia magnitudo in ordine ad spatium commensuratur magnitudini entitativæ, vt dictum est. Quare necesse nequaquam est, vt virtus actiua proportionetur essentiæ Dei Arithmeticè, sed velsic, vel Geometricè tantùm quoad magnitudinem effectus producibilis per ipsam. An verò fieri absolutè à Deo possit infinitum secundùm quid, seu in certo quodam tantùm genere, nempè secundùm magnitudinem vel continuam, vel diseretam? Quæstio est nihil conferens ad scopum quæstionis præsentis Quia infinitas Dei propria tàm differt à tali infinitate, quàm differt à quolibet, sub omni ratione, finito.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum solus Deus sit immutabilis, & æternus.

VIDETVR non esse. 1. Quia Deus est intelligens. Intelligere autem est quoddam pati, iuxta Philosophum; atque pati est mutari, cùm nihil patiatur, quin aliter se habeat, quàm priùs.

2. Deus

2. Deus est substantia viuens. De ratione autem viuentis est motus ab intrinseco, vt est notum apud omnes ex Philosopho. Ergo de ratione Dei est, vt moueatur per se ipsum. Confirmatur ex August lib. 8. super Genesim ad litt. c. 20. vbi assentitur Platoni, dicens, quòd *Spiritus creator mouet se nec per tempus, nec per locum.*

3. *Deus est ante æternitatem*, vt dicitur in libro de causis proposit. 2. *& regnabit vltra æternitatem*, vt liquet ex 15. Exod. 18. Rursùs Danielis 12. 3. dicuntur perpetuæ æternitates in numero plurali; & Rom. 6. 23. Beatitudo hominum dicitur vita æterna; & Matthæi 25. 41. Ignis reproborum dicitur æternus. Ergo nec Deus est æternus, sed excedens hinc, & inde æternitatem; nec rebus creatis repugnat esse æternis.

4. Æternitas est duratio tota simul existens. Ergo si Deus esset æternus; tota sua duratione coexisteret omnibus, & singulis quandocumque existentibus, nec non omnibus eorum durationibus, & partibus durationum; ac proinde nihil esset præteritum, aut futurum, respectu Dei; sed omnia essent ipsi præsentia physicè, & coexistentia ab æterno in æternitate. Quæ tamen omnia sunt absurda, & contra fidem; tum creationis mundi in tempore; tùm præexistentiæ Dei ante illam; ac demùm contra experientiam successionis aliarum rerum post alias; vti fusè ostendunt Suarez, Vasquez, & alij cum Scotistis, & Nominalibus.

Art. 1. Respondetur. Motus est actus entis in potentia, & mutatio est transitus à contradictorio in contradictorium. Vnde omne mutabile est compositum ex actu, & potentia, & capax acquirendi, quod antè non haberet; vel amittendi, quod haberet: Deus autem est perfectè simplex, & expers omnis compositionis, vt dictum est q. 3. Et similiter est ens essentialiter necessarium, ac infinitum, identificans sibi essentialiter omne purum bonum, atque excludens à se omne malum, seu purum, seu mixtum. Ideóque minimè capax, cui aliquid in se intrinsecè, vel accedat; vel decedat; vt constat ex q. 2. demonst. 2. & ex quæst. proxime præcedenti. Ergo Deus est omninò immutabilis, iuxta illud Ps. 101. 27. *Mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es*, & Iac. 1. 17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Eodem re ipsa sensu dicitur, Num. 23. 19. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Et Malac. 3. 6. *Ego Dominus, & non mutor.*

Art. 2. Ad immutabilitatem consequitur immediatè æternitas. Quia repugnat, vt immutabile transeat à non esse ad esse: vel ab esse ad non esse, vel secundùm se, vel secundùm aliquid sui. Ergo quod est immutabile, est essentialiter determinatum, vt semper, ac necessariò sit, vtque inuariabiliter permaneat eodem semper modo existens in se intrinsecè; in quo consistit conceptus entis essentialiter æterni. Ergo Deus est essentialiter æternus, nec principium habens, nec terminum essendi vllum, iuxta illud Psalm. 89. 2. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis à seculo, & vsque in seculum tu es Deus.* Et in Symbolo Athanasij dicitur *Æternus Pater, &c.* Eadem æternitas simul cum immutabilitate definitur in cap. *Firmiter* sæpè citato.

Art. 3. Eodem ferè pertinet, quòd Deus sæpè dicitur immortalis. Quia sub hac voce intelligitur vita immutabiliter, ac vniformiter semper permanens; nempe, vt dicit August. lib. 3. contra Maximum c. 12. *In omni mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio. Quia facit aliquid in ea non esse, quod erat.* Id quod pluribus concinnè prosequitur Bern. Serm. 81. in Cantica. Prima autem ad Timoth. 6. 16. *dicitur de Deo, Qui solus habet immortalitatem.* Solus igitur habet immutabilitatem, atque in ea fundatam æternitatem. Omnia namque alia extra Deum, subiacent eius libertati quoad esse, & non esse, vt ostendetur infrà quæst. 20. suntque proinde mutabilia, & vicissitudinis obumbrationi obnoxia non solùm secundùm accidens, sed etiam simpliciter, & secundùm totum suum esse. Vnde, & æternitatis propriè talis sunt incapacia.

Art. 4. Quod vt meliùs intelligatur, vtque legitimus æternitatis conceptus constanter, & purè retineatur in omni enunciatione ipsam concernente; inspicienda est attentè communis eius definitio ex Boëtio l. 3. de consol. prof. 2. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Dicitur primò, *possessio*; quia per durationem cuius vna species est æternitas, vnumquodque quasi habet, ac possidet se ipsum. Congruit autem magis æternitati; quàm aliis durationibus, ratio possessionis, quatenùs quod possidetur, firmiter, & quietè habetur; atque per æternitatem immutabiliter ac indeficienter habetur ipsum esse, quod est æternum. Dicitur deindè hæc possessio *tota simul. Tota* quidem, non ratione vnionis, aut aggregationis omnium suarum partium, quas non habet in se vllas, vel etiam virtualiter intrinsecè distinctas, vt constat ex quæst. 3. sed quatenùs nihil sibi deest. *Simul verò*, ad excludendam successionem partium, quæ est propria temporis. Subiungitur tertiò, *perfecta*, ad excludendam imperfectionem instantis, seu nunc temporis, quod itidem ipsum est quodammodò totum simul, sed est incompletum, & imperfectum.

Art. 5. Additur denique *interminabilis vitæ.* Vitæ quidem, quia in primis nihil est verè æternum, nisi viuens, & præterea hoc nomen est maximè expressiuum operationis, vt patet ex definitione viuentis; atque ratio durationis attenditur secundùm conditionem operationis vnicuique conuenientis. Vnde, & tempus definitur per motum; ideóque deuenientibus ad cognitionem æternitatis per cognitionem temporis, opportunè suggeritur, pro illius explicatione; differentia nobilissima motus. Dicitur verò *interminabilis*, conceptu negatiuo: non quòd ad constitutionem æternitatis pertineat negatio aliqua pura; cùm dictum sit q. 6. nullam talem negationem dari in Deo: id quod obseruat D. Thomas q. 10 art. 1. ad 1. Sed quia in tempore, mediante cuius cognitione peruenit intellectus noster ad cognitionem æternitatis, vix vlla apparet bonitas, & perfectio; cùm imperfectio instabilitatis, & fluxus continui, maximè verò numerabilitatis, & terminorum secundùm prius, & posterius à parte ante, & à parte post, sit vsque adeò nota, vt hinc tradatur eius definitio à Philosopho, & ab aliis communiter dicentibus tempus esse numerum motus secundùm prius, & posterius. Nullo igitur alio modo commodiùs concipi à nobis potest æternitas, quàm per remotionem, & negationem eiusmodi imperfectionis, nec non, & perfectionis qualiscumque conuenientis tempori, quatenùs contractæ ad eam imperfectionem. Qua de causa æternitas communiter collocatur, & meritò, inter attributa negatiua Dei, iuxta dicta in eadem q. 6. per conceptum formaliter exclusiuum omnis termini, ac limitationis tàm à parte antè, quàm à parte post.

Art. 6. Hæc omnia in communi definitione singillatim expressa ad duo quædam summa capita reuocantur, nempè ad infinitatem durationis carentis principio, & fine; ante quàm nihil fuerit, nec esse poterit; post quam nihil erit, aut esse poterit, & ad simultatem, seu potiùs ad simplicitatem, ac indiuisionem repugnantem multiplicitati, & successioni partium. Quapropter potest aliter breuiùs definiri.

Duratio simplex, & infinita; seu, *Instans infinitum*; id est, omnem terminum vndequaque prætergradiens, & sine vlla in se successione, continens eminenter omnem permanentiam successiuam in esse, tùm quandocumque existentem, tùm absolutè possibilem.

Art. 7. Iam verò huiusmodi durationem essentialiter consequi ad immutabilitatem Dei, ex eo est manifestum, quia enti essentialiter prorsùs immutabili repugnat essentialiter, vt vel fit post quàm non fuit, vel post quàm est, desinat esse, aut secundùm se simpliciter, aut secundùm aliquid sui; ideóque est eidem essentiale, vt vniformiter semper sit absque principio, & fine per determinationem sic essendi indistinctam à sua ipsa entitate, & necessitate existendi, quæ est perfectissimè simplex, tùm realiter, tùm virtualiter intrinsecè. Quem modum essendi, ac permanendi in esse, patet nulli rei creatæ conuenire posse, ob rationem indicatam art. 3. Patet igitur Deum esse, solúmque Deum esse absolutè, & perfectè immutabilem, ac æternum.

Ad 1. Intelligere creatum, de quo loquitur Philosophus, dicitur quoddam pati; quia fit per formam accidentalem, quatenùs receptam in substantia intelligente, eidemque quasi impressam ab obiecto; quod non verificatur de intelligere diuino, vt infrà dicetur.

Ad 2. Motus ab intrinseco, secundùm conceptum adæquatum motus, est de ratione solius viuentis creati. Quia hoc solùm viuens potest aliter se habere nũc, atque priùs. Vitæ autem diuinæ sola conuenit perfectio motus ab intrinseco, quatenùs est operatio à se, & vi sua existens, & non proueniens ab agente extrinseco, vel adæquatè, vel etiam inadæquatè. Imperfectio verò, sine qua non subsistit conceptus adæquatus motus, non habet locum in Deo. Quapropter Deus habet totã perfectionem vitæ physicæ, & intentionalis, absque vlla imperfectione propria vitæ creatæ. Iam Augustinus non vsurpat motum pro actu entis in potentia: quo sensu hîc loquimur de motu, & mutabili; sed motum appellat, ex sensu Platonis, quamlibet operationem, atque adeò intellectionem, & volitionem quamlibet etiam indistinctam à substãtia operante, intelligente, & volente, atque existẽtem à se. In quo nullum est inconueniens. Verùm loquendi modus iamdiu est antiquatus in scholis.

Ad 3. Æternitas sumitur latè, & impropriè in illis locis; in libro quidem de causis, pro æternitate participata propria intelligentiarum, quas verè præcedit Deus; in libro verò Exodi, pro seculo, aut pro periodo cuiusque rei finem habentis. In reliquis testimoniis intelligitur æternitas cum hac limitatione, *à parte post*; quæ est communis, & certa interpretum intelligentia: Deo autem tribuitur æternitas propriè talis, vtrimque interminabilis, & tota simul, atque perfecta, sensu explicato.

Art. 1. Ad 4. Circa eam sequelam disputatur magno vtrimque conatu, sed maiori, vt videtur cum æquiuocatione, inter auctores illam negantes, qui ibi indicantur, & inter plerosque Thomistas, nec non Fonsecam, Molinam, Gilium, Montoyam, Granados, & alios admittentes eandem. Dicendum primò est, cum D. Thoma q. 2. de verit. art. 12. & alibi sæpè, nihil esse re ipsa futurum, aut præteritum respectu Dei, & æternitatis diuinæ secundùm se præcisè, sicut nihil est sursum, aut deorsum; ante, aut retro, respectu Dei, immensitatis diuinæ, secundùm se præcisè. Quia, vt aliquid sit re ipsa futurum respectu alicuius, necesse est, vt hoc, vel aliqua eius duratio habeat re ipsa rationem præteriti respectu illius; cùm iam ipsum existit; seu quod eodem recidit, requiritur, vt re ipsa nõ coexistat futuro, & toti eius durationi tota præexistentis duratio; sed hæc, vel secundùm se totam, vel saltem secundùm aliquam sui partem, iam sit elapsa, cùm illud peruenit ad esse, eiusque duratio incipit existere. Repugnat autem Deum, aut aliquid diuinum aliquando præteriisse re ipsa. Quia quod præteriit, secundùm id, secundùm quod præteriit, iam non est. Repugnat autem Deo, cuius prædicato diuino, vt aliquando verificetur ipsum iam non esse. Hoc enim manifestè repugnat immutabilitati diuinæ, & conceptui æternitatis, qua permanent in esse omnia diuina.

Art. 2. Repugnat similiter, vt rei aliquando existenti non coexistat tunc Deus; atque adeo omnia Diuina, inter quæ vnum est æternitas. Quæ cum nullas habeat partes re ipsa, repugnat consequenter, vt non coexistat re ipsa tota Dei duratio cuiuis rei aliquandò existenti, & cuiuis eius durationi, aut parti durationis. Quid autem clarius esse potest, quàm neutrum eorum esse præteritum, aut futurum re ipsa respectu alterius, quorum vtriuslibet tota duratio coexistit re ipsa toti alterius durationi? Nihil igitur creatum est præteritum, aut futurum propriè respectu Dei, aut diuinæ æternitatis secundùm se præcisè.

Art. 3. Dicendum rursùs est, nullam rem creatam, nullámque durationem rei creatæ correspondere adæquatè æternitati Dei; id est, existere quandocumque ipsa existit. Sicut nulla res creata correspondet adæquatè immensitati, aut existit vbicumque ipsa existit. Quia Deus, & eius æternitas sunt semper, & quandocumque, atque coexistunt omnibus, & singulis differentiis temporis, tum realibus, tum imaginariis, ad eum modum, quo dictum est in quæstione præcedenti adesse Deum per suam immẽsitatem omnibus, & singulis spatiis, tum realibus, tum imaginariis. Nulla autem res creata, nullaque rei creatæ duratio potest ita coexistere omnibus, & singulis differentiis temporis; omnia siquidem creata aliquando existunt, & aliquando non, nec habent indiuiduam durationem pro diuersis differentiis temporis præsertim totius possibilis. Res igitur creatæ, earumque durationes participant tantùm inadæquatè perfectionem propriam æternitatis diuinæ; ad eum vtique modum, quo creatæ bonitates, actiuitates, magnitudines, &c. participant inadæquatè perfectionem propriam summi boni, omnipotentiæ, immensitatis, &c.

Artic. 4. Omnes itaque, & singuli effectus creati, eorumque negationes, & priuationes quandocumque existentes coexistunt, & non nisi coexistunt Deo, absque vlla futuritione, aut præteritione propria respectu ipsius secundùm se; & consequenter coexistunt adæquatè æternitati Dei adæquatione entitatis. At non propterea coexistunt sibi inuicem, quæ existunt pro diuersis differentiis temporis, neque coexistunt adæquatè æternitati Dei adæquatione omnium differentiarum temporis, quibus ipsa coexistit. Quæ duo patent satis ex duobus principiis immediatè antè præmissis. Percipientur verò melius, si conferantur cum iis, quæ dicta sunt in simili circa tertium, & quartum quæstionis præcedentis.

Artic. 5. Ex his vlteriùs apparet, quæstiones de veritate istarum propositionum. Omnia creata existunt; seu coexistunt Deo ab æterno in æternitate. Quæ existunt successiuè in se, existunt nihilominùs simul in æternitate; seu coexistunt nihilominùs simul Deo; seu nullam nihilominùs habent successionem in æternitate: Antichristus iam existit, Alexander Magnus adhuc existit in æternitate. Apparet, inquam, quæstiones istas, & alias illis similes esse de voce. Quia de ipsa significata ex parte obiecti abundè constat ex dictis. Negandæ autem potiùs sunt tales propositi

propositiones absolutè prolatæ. Quia particulæ distributiuæ *ab æterno, simul, nullam successionem*; & restrictiuæ, seu determinatiuæ, *iam & adhuc*, cùm nullas reperiant partes re ipsa in æternitate secũdùm se, quas distribuant, aut determinent; non intelliguntur distribuere, aut determinare æternitatem ipsam secundùm se, aut secundùm varias eius formalitates tantùm extrinsecè distinguibiles ratione nostra; sed distribuunt, aut determinant eandem æternitatem provt correspondentem omnibus temporum differẽtiis; tùm realibus, tùm imaginariis; atque eò ipso reddũtur falsæ tales propositiones, vt patet ex dictis. Consultiùs tamen est, vt distinguantur eædem propositiones iuxta dicta, nec affirmentur, aut negantur sine tali distinctione, hoc modo. Omnia creata coexistunt Deo secundùm se præcisè ab æterno in æternitate; conceditur; Deo quatenùs existenti in diuersis differentiis temporis, seu quatenùs connotanti, & complectenti easdem temporis differentias, negatur; & sic de similibus.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Deus sit ineffabilis, innominabilis, & inuisibilis?

VIDETVR non esse. 1. Quia de nulla re plus loquimur, quàm de Deo; nullamque pluries nominamus, quàm Deum; & eò vnumquodque est cognoscibilius, ac visibilius, quò maius, & perfectiùs est, cùm ratio veri, & ratio entis sint mutuò conuertibiles, ideóque necesse sit vtramque indiuisim crescere, ac minui in vnoquoque: Deus verò est ens omnium maximum, summumque. Ergo Deus est maximè omnium effabilis, nominabilis, atque visibilis.

2. Iob. 36. 26. dicitur: *Omnes homines vident eum.* Et Exodi 15. 3. *Omnipotens nomen eius* Iudith. 9. 10. *Dominus nomen est tibi.* Deindè Aug. l. 1. de doct. Christ. cap 6. subtiliter infert Deum esse nominabilem. Quia ineffabilis dici potest. *Quoniam si illud est ineffabile*, inquit, *quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabili dici potest.* Visibilis igitur, nominabilis, & effabilis est Deus.

Art. 1. Respondetur, Deus est quodammodò nominabilis, & effabilis, & quodammodò non simpliciter, tamen dicendus potiùs est ineffabilis, & innominabilis; nominabilis verò, & effabilis tantùm secundùm quid, & imperfectè. Et quidem Deũ esse ineffabilem, definitur absolutè in c. *Firmiter* de sum. Trinit. Idem colligitur ex 30. Prouer. 4. *Quod est nomẽ eius, aut quod nomẽ Filij eius? si nosti* ex 32. Gen. 29. *Cur quæris nomẽ meũ?* Et ex cõstitutione Christi *in cœlestibus suprà omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro*, 1. ad Ephe. 21. Vnde est celebre apud sanctos PP. illud Platonis, ac Trismegisti. *Deum intelligere, difficile est; loqui autem impossibile.* Et D. Dionysius c. 1. de diu. nom. docet. *Dei neque nomen esse, neque sermonem*, & Aug. l. 7 de Trinit. c. 4. *Verius cogitari de Deo aliquid, quàm dici.* Certum nihilominùs est, ex testimoniis adductis in secunda ratione dubitandi, aliisque similibus quàm pluribus Deum esse aliquo modò nominabilem, nempè nomine imperfectè, ac minimè quidditatiuè significante ipsum; verè tamen discretiuo eiusdem à quibuslibet aliis rebus.

Art. 2. Ratio vtriusque partis est. Quia mensura significationis in vocè desumitur ex qualitate cognitionis, tùm præsuppositæ in loquẽte, tùm generabilis seu excitabilis per ipsam in audiente iuxta intentionẽ loquentis. Cognitio, autem Dei, quam possumus assequi, dum sumus in via, quæque est excitabilis in nobis per voces, siue habentes significationem ex impositione nostra, siue ex impositione Beatorum, vel etiam ipsius Dei, est admodùm imperfecta, vtpotè habita mediantibus creaturis, & repræsentans ipsum ad modum earum, ideóque abstractiua; nec propriè quidditatiua, & plus retinens de ignorantia, quàm participãs de scientia, cum excessu ignorantiæ simpliciter infiniti, propter infinitam distantiam obiectorum creatorũ, & cognoscibilitatis ipsorum, à Deo, & cognoscibilitate Dei. Eadem nihilominùs cognitio est multiplicitet discretiua Dei à creaturis, & eatenùs quodam imperfectò modo quidditatiua, vt patet ex dictis suprà præsertim q. 2. & 5. Est igitur Deus innominabilis potiùs, & ineffabilis, quàm nominabilis, & effabilis, tametsi aliqualiter imperfectè sit nominabilis non solùm Metaphoricè, per nomina desumpta ex rebus corporeis; vt cùm dicitur Sol, leo, ignis, &c. Sed etiam propriè, & sine metaphora, per voces præcisiuas perfectionis ab imperfectione secundùm rectum; vt cùm dicitur omnicius, omnipotens, ens à se, & similia in concreto, ad significandam rationem substantiæ omninò complexæ; vel sapientia infinita, omnipotẽtia, Deitas, Aseitas, & similia in abstracto, ad significandam simplicitatem maximè propriam formarum, vt abstrahentium à concretione materiæ, & compositione.

Art. 3. Vlterior ratio imperfectionis conuenientis cognitioni nostræ circa Deum, dum sumus in via desumitur ex impotentia videndi Deum immediatè, vt est in se, & ex repugnantia cognitionis abstractiuæ æquiualentis intuitiuæ respectu Dei. Inde enim fit, vt cognoscatur à nobis imperfectissimè per ænigmata creaturarum continentia ipsum in se cum infinita imperfectione, & inadæquatione; visionem autem Dei immediatam, vt est in se, esse naturaliter impossibilem, non solùm nobis, sed etiam omni alij substantiæ creatæ, & creabili, patebit ex quæstione sequẽti. Quia verò vnumquodque absolutè denominatur iuxta id quod sibi conuenit ex natura rei, propterea absolutè dicitur Deus inuisibilis, magis etiam, quàm ineffabilis, & innominabilis; tametsi aliquandò dicatur videri à viatoribus, visione latè sumpta pro qualicumque cognitione distinctiua vnius ab alio.

Ex distinctionibus datis patet sufficienter sensus legitimus eorum, quæ dicuntur in rationibus dubitandi. Quod additur in prima ratione, maiora, & perfectiora, esse cognoscibiliora, ac visibiliora; est verum de solo intellectu habente iustam proportionem cum obiecto, quæ minimè inest intellectui nostro respectu Dei, ideóque dicitur communiter ipsum comparari cum Deo, sicut oculi vertilionis comparantur cum sole, qui nimio splendore illos obruit.

QVÆSTIO X.

Vtrùm visio Dei immediata sit connaturalis homini? aut possit esse connaturalis alicui substantiæ creabili?

VIdetur esse connaturalis homini; vel certè non repugnare substantiam creatam, cui sit connaturalis. 1. Quia naturaliter inest homini desiderium

beatitudinis, vt docet, inter alios, frequentissimè Augustinus, maximè verò lib. 13. de Trinit. cap. 8. vbi ait: *Omnes beatos esse velle veritas clamat, natura compellit, cui summè bonus, & immutabiliter beatus hoc indidit.* Et rursus lib. 1. Confess. cap. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et isto autem desiderio, & inquietudine colligit idem August. lib. 4. contra Iul. cap. 3. post med. potestatem consequendi beatitudinem: *Nec enim, dicemus, omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus; nisi esse possemus.* Et ratio est, quia nihil est in natura frustrà, & inutiliter; multò verò minùs ad puram torturam iniecto stimulo appetitus, & desiderij naturalis respectu finis naturaliter inassequibilis. Beatitudo autem nostra consistit in visione immediata Dei, vt docet Augustinus in eodem illo c. 3. contra Iulianum, & est certum ex fide. Ergo ineſt homini naturalis potestas consequendi visionem Dei immediatam.

2. Cuilibet substantiæ intellectuali ineſt naturaliter, & necessariò appetitus videndi causam viso effectu, neque potest quiescere perfectè, nisi deveniat in cognitionem causæ similem cognitioni quam habet de effectu. Id quod experientia ipsa est cuique notissimum, & ratio persuadet. Quia eadem est connexio intentionalis, & physica cuiusque rei cum quibusvis aliis; quandoquidem connexio physica fundat intentionalem connexionem sibi proportionatam. Cùm ergo connaturale sit homini; vt videat immediatè effectus Dei, connaturale quoque ipsi est, vt videat immediatè ipsum Deum, vtque appetitus innatus ipsius quiescere non possit, nisi viso Deo.

3. Intellectus ex suo conceptu, est potentia vniversalis, & quantum est ex se, vniformiter respiciens totam latitudinem entis secundùm omnes ipsius differentias iuxta illud Philosophi: *Intellectus est omnia fieri.* Ergo homini, & cuivis alij substantiæ intellectuali est connaturale videre Deum, qui est maximum, & summum ens, non minùs, quàm videre alia obiecta.

4. Coniuncto ex intellectu humano, & lumine gloriæ ineſt infinita perfectio. Ergo nec substantiæ creatæ habenti in se per solam suam entitatem tantundem præcisè perfectionis, quantum ineſt illi coniuncto, conueniret infinita perfectio. Ergo substantiæ creatæ non habenti perfectionem infinitam esset cõnaturalis visio Dei, non minùs, quàm est connaturalis de facto, & debita ex natura rei coniuncto ex intellectu humano, & lumine gloriæ, Deus autem potest efficere quamlibet speciem substantiæ creatæ non includentis in se perfectionem infinitam, sed solam finitam. Certè ex magnitudine perfectionis non poterit censeri repugnans substantia creata, cui sit connaturalis, & debita ex natura rei visio Dei immediata. Nullum verò aliud caput repugnantiæ apparet in tali substantia, vti pluribus contra ipsam propositis, ac dilutis argumentis operosè demonstrant Ripalda, & nonnulli alij. Ergo absolutè censenda est possibilis.

5. Substantiæ creatæ nec ex conceptu supernaturalitatis, nec ex conceptu substantiæ repugnat connexio cum possibilitate, & existentia visionis Dei. Quia de facto dantur plura accidentia supernaturalia intrinsecè connexa cum visione Dei, & cum eadem connectitur intrinsecè vnio hypostatica, quæ est pars substantialis Christi Domini. Ergo nulla est formalitas in substantia creata intrinsecè connexa cum visione Dei, ratione cuius ipsa repugnet. Ergo est absolutè possibilis.

Artic. 1. Respondetur. A nonnullis Auctoribus præmittitur in præsenti longa ad istam quæstionem controuersia de conceptu entis supernaturalis, quam tamen ipse expono quæst. 6. de gratia. Ex quo loco suppono id esse respectu vniuscuiusque supernaturale, quod est indebitum eidem ex natura rei tam mediatè, quàm immediatè; tàm indeterminatè, & vagè, quàm determinatè sumpto, idque non per accidens, sed per se; & consequenter id esse supernaturale intrinsecè, & absolutè respectu omnis substantiæ purè creatæ, & creabilis, quod nulli tali substantiæ est ita debitum, sed prorsùs indebitum. Duo iam probanda sunt: alterum primariò, & principaliter; nempe visionem Dei immediatam non esse homini connaturalem, sed supernaturalem intrinsecè, & quoad substantiam: alterum secundariò, & minus principaliter; eandem esse similiter supernaturalem, miniméque connaturalem respectu omnis, & cuiuslibet naturæ substantialis, seu substantiæ purè creatæ. Vtrumque tamen indiuisim præstabitur omnibus ferè argumentis, quæ iam subijcio.

Artic. 2. Probatur itaque primò. Humanæ naturæ ex se præcisè non debetur cognitio vlla perfectior, quàm comprehensio sui. Sed visio Dei immediata est cognitio, perfectior, quàm comprehensio humanæ naturæ. Ergo illi ex se præcisè non debetur visio Dei immediata. Minor est manifesta. Tùm quia per visionem Dei immediatam cognoscuntur legitimo conceptu, & vt sunt in se, plures perfectiones, quàm quæ sunt homini communes cum Deo, hoc est quàm omnes, quæ conueniunt homini, & quæ per comprehensionem eius cognoscuntur: tùm quia visio Dei reddit hominem impeccabilem, & perfectè felicem, quod nequaquam ipsi præstat comprehensio sui. Manifestum autem est, cognitionem plura, & maiora perfectè repræsentantem, & præstantem meliores effectus formales, esse perfectiorem. Probatur maior. Primò, quia Deo non debetur cognitio perfectior, quàm comprehensio sui, eaque exhaurit totam vim cognoscitiuam diuinam. Quidni igitur idem conueniat reliquis substantiis cognoscitiuis; vtpotè participibus virtutis cognoscitiuæ, & cognoscibilitatis diuinæ, eo proportionaliter modo; quo ipsa est in se? Deinde cognoscibilitas crescit in vnoquoque iustè iuxta augmentum entitatis, & perfectionis ipsi conuenientis; Quia verum est passio Metaphysica entis; ideóque quantùm crescit vnumquodque in entitate, & perfectione, tantundem necesse est, vt crescat in ratione veri, & cognoscibilis. Vnde prouenit, vt quò perfectior est res aliqua, eò difficilius comprehendatur. Repugnat ergo, vt in aliqua substantia sit maior aliqua alia eius perfectio, ac proindè, vt virtus eius cognoscitiua sit maior, quàm cognoscibilitas eiusdem; atque ideò illam non exhauriri per cognitionem correspondentem huic adæquatè; id est, comprehensiuam ipsius.

Art. 3. Probatur secundò. Habenti visionem Dei debetur perfecta amicitia cũm Deo. Sed homini præcisè ex sua natura non debetur perfecta amicitia cum Deo. Ergo homini præcisè ex sua natura non debetur visio Dei. Patet consequentia. Quia cui aliquid est indebitum, id quoque necesse est, vt sit indebitum eidẽ, quod inducit in illud rationem debiti. Probatur maior. Quia ex visione Dei resultat necessariò perfecta Charitas hominis erga Deum; siquidem bonum infinitum cognitum, vt est in se, rapit necessariò voluntatẽ impotentem odio habere, vel etiam cõtemnere, ac omittere quod nullam habet malitiam aut imperfectionem, nec apparet per modum habentis, ideóque caret motiuo vero, & apparenti odij, & contemptus, seu omissionis. Perfecta autem charitas hominis erga Deum, est perfecta amicitia inter vtrumque, vti pluribus ostenditur efficaciter quæst. 39. de Virt. Theol. Accedit

visione

visione Dei reddi inuicem communia bona hominis, & Dei, vi mutuæ benevolentiæ inter vtrumque; Bona quidem Dei respectu hominis; quia homo per visionem possidet perfectè Deum, vti demonstrabitur cum D. Thoma in qq. de Beatitudine: Bona verò hominis respectu Dei; quia nequit homo perfectè amare Deum; quin se ipsum, & omnia sua velit propter Deum, tanquam propter finem vltimum cui; quandoquidem Deus essentialiter est vltimus finis; & repugnat perfectè amari aliquem, quin per amorem constituatur in eo gradu, qui re ipsa illi conuenit; Constitit verò nuper, visionem Dei esse inductiuam perfecti amoris erga Deum. Ergo visioni Dei est inseparabiliter coniuncta perfecta amicitia inter ipsum Deum, & videntem.

Artic. 4. Perfectam autem amicitiam cum Deo esse indebitam homini præcisè ex sua natura, quæ est minor propositio, ex eo apparet clarè; quia homo ex sua natura est contemptibilis respectu Dei. Quid enim eo indiget, qui nullius indigus est; aut quam habet æstimationis dignitatem vile mancipium, quodvè meritum vt magni fiat ab eo, à cuius infinitâ dignitate distat infinito vilitatis interuallo? Amicus autem iure contemni ab amico non potest; nec cui inest dignitas amicitiæ, simul inesse potest dignitas contemptus. Et quomodò quisquam contemnatur ab eo, cuius omnia bona sunt, aut debent esse illi communia? Adde amicitiam perfectam nec pari à pari debitam esse. Vnusquisque enim est sui iuris, nec tenetur se, & sua in alium transferre sibi alioqui æqualem. Quid ni supremus infimo eandem amicitiæ coniunctionem minimè debeat, impendátque, cui volet, ex pura liberalitate, & per summam quandam dignationem? Adde rursùs similem aliam comparationem. Quia creaturæ rationales habent aliquid magni momenti sibi peculiariter reservatum ex natura rei, & cæteris naturaliter imperuium, ac impenetrabile, quodque sola liberalis amicitiæ gratiosa insinuatione aliis patescat: nimirum secreta cordis, vt dicetur in qq. de Angelis quæst. 4. Deus autem, si deberet creaturis, secundùm se, & ex sua ipsarum natura, & dignitate, amicitiam perfectam, atque visionem sui; nihil haberet eiusmodi. Quia quidquid momenti est in Deo, est sola Deitas; quæ tota provt est in se, patet per visionem ipsius; & latentibus actibus liberis, solùm lateret vel aliquid extrinsecum Deo, vel denominationes intrinsecæ nullius ex se momenti, ac bonitatis peculiaris. Esset igitur Deus deterioris conditionis, quàm quælibet substantia intellectualis creata; quòd est valdè absurdum.

Artic. 5. Tertiò. Visionem Dei ita esse possibilem, vt simul sit naturaliter indebita homini, colligitur ex desiderio illius, quod est ipsi connaturale. Licet enim insit aliquod desiderium, non tamen tale est, quale inest erga alia bona connaturaliter debita, præsertim magna, magnique momenti. Neque enim est absolutum, determinatum, & efficax; hoc namque, vt minimùm, negauit Apostolus 1. ad Corinth. 2. 9. cùm dixit de visione beata. *Neque in cor hominis ascendit*; Naturaliter scilicet, vt patet ex iis, quæ immediatè subiungit. *Nobis autem reuelauit per Spiritum sanctum, &c.* Idem colligitur à posteriori. Quia non dolent homines naturaliter de visione Dei nondum habita, sicut dolent de aliis bonis connaturaliter debitis, quæ nondum habentur. Quis enim Gentilium, aut etiam Catholicorum, dum non admittit perfectè animum ad mysteria, & motiua diuinitùs reuelata ita vnquam doluit de priuatione visionis Dei, sicut de priuatione honoris, sanitatis, & similium? Certè vox illa vitæ mortalis contemptrix. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, orta ex dolore nondum habitæ visionis Dei, propria est spiritus Euangelici, & supra se eleuati, nunquam audita apud Gentiles, nec audienda vnquam à spiritu non illustrato supernaturaliter. Naturaliter enim omnes adhærent vitæ mortali, eiusque quærunt, quantùm possunt prorogationem absque vllo termino. Si autem visio Dei esset connaturaliter debita; cùm procul dubio sit cæteris bonis maior, desideraretur naturaliter plusquam cætera omnia, & consequenter maior esset dolor, ex eius defectu. Ratio verò à priori est. Quia possibilitas visionis Dei non potest naturaliter cognosci certò, & distinctè. Quæ enim Philosophorum scientia illam sic assequuta vnquam est. Imò ratio absoluta ab authoritate, hoc etiam tempore lucis Euangelicæ, fluctuat in vtramque partem. Patet verò desiderium alicuius boni prætergredi non posse limites, & modum cognitionis de possibilitate eius; atque cognitionem boni debiti præsertim summi, & vltimi, esse debitam creaturæ rationali, vt ad illud se conuertat, illudque in omnibus, & per omnes suas actiones perquirat: nec sollicitudo, quæ debet esse omnium maxima; maximè tepescat sub languido illo *forsan*, quod dubiis, & confusis obuertatur.

Art. 6. Quarta probatio in præsenti q. 12. à 4. & sæpè aliàs repetita à D. Thoma; & à plerisque aliis Theologis, licèt à nonnullis, vt Molina, non admodùm fideliter vsurpata, hoc ferè discursu continetur. Modus cognoscendi vnicuique connaturaliter debitus sequitur modum essendi. Quod patet primùm ab experientia. Bruta enim, quia sunt purè materialia, habent modum cognoscendi purè materialem, nec assurgere valent ad modum cognoscendi, qui pertingat vllo modo ad discernendas res spirituales. Similiter anima rationalis, quia dum est vnita corpori; dependet aliquatenùs ab eo quoad esse, dependet etiam quoad cognitionem à phantasia; neque cognoscere potest res spirituales, nisi ad modum rerum corporalium; quæ solæ prælucent in phantasia. Probatur idem rursus à priori. Quia substantia cognoscitiua continet in se intentionaliter obiecta cognoscibilia; nec dubitari potest modum continendi variare modum essendi, eique omninò commensurari; quandoquidem ea continentia est indistincta ab entitate, & comparatur cum eadem tanquam proprietas eius. Modus autem essendi creaturæ est longè diuersus, & infinitè distans à modo essendi diuino. Quia Deus est simplicissimus, & existens per essentiam, homo verò, & quælibet substantia creata componitur ex potentia, & actu; essentia; & subsistentia; nec existit per essentiam, ita vt fiat chimæra per defectum existentiæ, vti accideret Deo, iuxta dicta suprà. Quod planè est differre quoad modum essendi, non solùm penes magis, & minus, vt Angelus inferior à superiori, & anima rationalis ab Angelo, sed simpliciter, & penes genus ipsum essendi, multò profectò magis quàm differunt bruta à creaturis spiritualibus, & anima rationalis, quatenùs immersa corpori, à puris spiritibus. Ergo modus cognoscendi Deum connaturaliter debitus homini, & cuilibet alij substantiæ creatæ distat à modo, quo Deus cognoscit se ipsum, non solùm penes magis, & minùs; quo pacto differunt inter se cognitiones videntis rem provt est in se, altera comprehensiua, & altera non comprehensiua, sed simpliciter, & penes genus ipsum cognoscendi, quo pacto differunt inter se cognitiones, quarum altera representat obiectum abstractiuè, & ad modum alterius; altera verò intuitiuè, & provt est in se. Nulli igitur substantiæ creatæ potest esse cónaturaliter debita ex se præcisè visio Dei

esse connaturaliter debita ex se præcisè visio Dei immediata repræsentans ipsum; vt est in se. Hæc ratio simul cum præcedentibus est prorsùs communis homini cum qualibet alia substantia creata, & creabili, vt patet considerantì. Sola tertia ratio videri posset vim habere respectu solius hominis. Verùm ea etiam transfertur facilè ad omnes, & quaslibet aliàs substantias intellectuales creatas. Quia quælibet alia substantia intellectualis est perfectior homine, ideóque est à fortiori idonea, quæ conquiescat in se ipsa, nec aliam cognitionem anxiè desideret præter eam, quam de se, & in se, deque & ex similibus sibi habere potest. De qua ratione, & comparatione dicetur præterea nonnihil in quæstione de peccabilitate Angelorum. Vbi etiam ostendetur peccabilitatem esse de conceptu substantiæ intellectualis purè creatæ.

Artic. 7. Probabilitati istarum rationum adiungitur certitudo, eaque multiplex ab auctoritate. Primò ex illo ad Rom. 9. 23. *Stipendia enim peccati mors: gratia autem Dei vita æterna.* Nimirum ne ista antithesis sit enervis, & fallax, oportet rationem gratiæ, & indebiti ita convenire vitæ æternæ, hoc est, visioni Dei, iuxta illud Ioann. 17. 3. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te:* sicut convenit morti, & damnationi ratio stipendij peccati. At morti, & damnationi convenit intrinsecè, atque ex natura ipsa rei; & non tantùm ex suppositione aliqua accidentali, esse stipendium peccati; idque tam respectu cuiuslibet alteriùs substantiæ, quàm respectu hominis, quod nemo negat. Ergo vitæ æternæ, & visioni Dei convenit similiter intrinsecè, atque ex natura sua, & non ex sola suppositione accidentali peccati, seu personalis, seu originalis, esse gratiam, atque adeò donum naturaliter indebitum tùm humanæ, tum cuilibet alij naturæ creatæ secundùm se præcisè consideratæ. Obseruandum rursus est illud. Lucæ 6. 38. *Mensuram superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Cui enim datur, quod ipsi debetur ex sua natura, quodque iustè correspondet naturaliter eius capacitati, & exigentiæ, nd vtique datur mensura superefluës; cũ superefluens ideò præcisè dicatur, quod datur, quia excedit capacitatem, & dignitatem recipientis consideratam secundùm se. Nota mensuram gloriæ, & visionis Dei non ideò dici superefluentem, quia excedat proportionem meritorum. *Vnusquisque enim, quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino*, vt habetur ad Ephes. 6. 8. & August. epist. 105. multò ante medium dicit vitam æternam non ideò nuncupari gratiam, id est, mensuram superefluentem, quia non redditur meritis. Dicitur ergo superefluens præcisè per comparationem ad naturam humanam secundùm se, & per excessum eius, quod ipsius dignitati, & capacitati, ac exigentiæ connaturali correspondet tanquam debitum. Quæ ponderatio, vt extendatur ad omnem naturam creabilem; Quis credat Deo competere principatum vsque adeò sterilem, vt non possit eleuare quoslibet subditos, vel seruos suos in maiorem fortunam maiorique donare felicitate, quàm ferat natiua eorum conditio, atque transcendere muneribus iura ipsis conuenientia ex se; Non posset autem, si cui deberet connaturaliter visionem sui. Quia nihil habet maius, quo magis felicem reddere quemquam possit.

Artic. 8. Huc etiam pertinent ea testimonia, quæ in quæstione præcedenti producta sunt circa inuisibilitatem Dei. Licèt enim nonnulli ea applicent soli inuisibilitati per oculos corporeos; tamen, cùm vox videndi vsque adeò frequèter vsurpetur in sacris literis pro visione intellectuali, non licet epithetum ex se vniuersale restringere ad visionem solam marialem. Patet autem non posse dici inuisibilem absolutè eum, cuius visio debetur omnibus, vel saltem aliquibus infra ipsum potentibus absolutè videre aliquid. Quid enim visibilius, magisque oppositum inuisibili, quàm quod fieri naturaliter non potest, vt non videatur ab omnibus, vel saltem ab aliquibus, si ipsi sponte sua non apponant impedimentum videndi? Quod profectò dicunt, quicumque dicunt visionem Dei non posse negari naturæ intellectuali creatæ, nisi ratione peccati.

Articul. 9. Adde his, & aliis similibus benè multis omne ius hominis ad videndum Deum fundari in filiatione eius respectu ipsius Dei, iuxta illud Apostoli. *Quod si filij, & hæredes.* Ista namque puri hominis filiatio est adoptiua, iuxta illud eiusdem Apostoli ad Galat. 4. 5. *Vt adoptionem filiorum Dei reciperemus.* Filius autem adoptiuus dici nequaquam potest is, qui independenter à libera, & purè gratiosa Patris adoptantis voluntate, habet ius ad hæreditatem paternam prorsùs innegabilem ex vi suæ natiuitatis, si ob demerita posteà superaddita non meritò repellatur. Quæ cum sit constantissima, apud omnes gentes, omni ætate, adoptionis significatio; nequit aliò, nisi peruersè, vel violenter traduci intentio Apostoli. Quia verò nulli puræ creaturæ conuenire potest filiatio naturalis respectu Dei, quæ est propria solius Verbi Diuini; patet istam ponderationem esse communem omni substantiæ creatæ, & creabili secundùm naturam. Adde rursus, quæ habentur in qq. de virtut. Theolog. circa supernaturalitem earumdem virtutum. Ea enim conuincunt à fortiori supernaturalitatem absolutam visionis Dei, vt per se satis patet. Postrema probatio sumitur ex Clementia *Ad nostrum* de Hæreticis, quæ est Clementis Quinti in Concilio Viennensi damnantis errorem dicentium animam non indigere lumine gloriæ eleuante ad videndum Deum. Non autem dicitur, eum eleuari, cui solùm conceditur actu ipsi debitus ex natura sua; licet eum ex aliquo accidenti habere de facto non posset. Cæcus namque restituto visu non dicitur propriè eleuatus ad videndum, sed liberatus ab impedimento videndi. Certum itaque est ex fide, visionem Dei immediatam non esse homini connaturalem, sed solùm supernaturaliter, ac gratiosè conferibilem. Idémque pro certo, licet non eodem gradu certitudinis, tenendum est respectu cuiusvis substantiæ purè creatæ, vel etiam creabilis.

Ad 1. Conceditur desiderium beatitudinis esse homini connaturale, & inseparabile ab eodem nondum illam habente; atque ex illo rectè colligi possibilitatem obtinendæ beatitudinis; sed distinguenda est duplex beatitudo; altera naturalis consistens in perfecta Dei cognitione ex creaturis, & in amore subsequenti ad talem cognitionem; altera supernaturalis, consistens in visione Dei immediata, vt est in se ipso. Quæ distinctio exponetur in qq de Beatitudine. Desiderium homini connaturale fertur determinatè, & distinctè ad solam illam Beatitudinem naturalem. Ad visionem verò Dei immediatam non fertur homo tali desiderio, nisi quatenùs eleuatus à Deo per dona ipsi indebita ex natura rei. Iam Aug. dum beatitudinem hominis constituit in visione Dei immediata, loquitur de homine eleuato, sicut de facto eleuatus est ad beatitudinem supernaturalem, quam idem distinguit clarè à beatitudine naturali in illo eodem capite 3. vt apparet, inter alia, ex iis eius verbis: *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est vera, promittit; nihil prosunt homini virtutes: nullo modo veræ possunt esse virtutes* In quibus vera beatitudo, veræque virtutes opponuntur alij beatitudini, aliisque virtutibus, quæ comparatione illarum sint beatitudo,

&

& virtutes tantùm secundùm quid, & potiùs vera miseria, verique defectus virtutum; qualis profecto comparatio est beatitudinis naturalis, & mediorum eius, cum visione immediata Dei, & cum mediis ad eandem, vt apparebit in iisdem quæstionibus de Beatitudine. Nihil igitur natura perperam facit, nullúmque iniicit, stimulum ad torturam, tametsi iniecto desiderio beatitudinis, non conferat ex se præcisè sufficientiam, & possibilitatem ad visionem Dei. Quia confert nihilominus sufficientiam. & possibilitatem ad beatitudinem naturalem.

Ad 2. Omnis substantia intellectualis appetit videre causam viso effectu, neque potest quiescere quousque assequatur eam visionem; si putet eam esse possibilem respectu sui. Si autem putet illam esse impossibilem, aut dubitet de eius impossibilitate, quiescit, cùm eò peruenerit, quò se posse peruenire certum sibi est. Non autem constat naturaliter homini de possibilitate visionis Dei cum vlla certitudine. Ergo non potest naturaliter angi, ac torqueri propter defectum visionis Dei. Id quod apparet manifestè ex rationibus superiùs productis, præsertim ex tertia art. 5.

Ad 3. Ex eo, quòd intellectus sit potentia vniuersalis, solùm deducitur, ipsum posse aliqualiter versari circa omnes differentias entis. Non tamen deducitur, sub quo determinato gradu perfectionis, & per quam determinatè speciem cognitionis attingere possit vnamquamque differentiam entis. Sed hoc est aliundè considerandum; cùm certum sit, non omnia æquè perfectè, & per idem genus cognitionis attingi ab intellectu.

Ad 4. Substantiæ æquivalenti per entitatem indiuisibilem coniuncto ex natura humana, & lumine gloriæ, eo ipso conueniret maior perfectio, quàm quæ conuenit eidem coniuncto. Quia identitas, cæteris paribus, est maior perfectio, quàm vnio physica. Exemplo res fiet clarior. Nulla substantia creata potest esse intelligens, aut volens formaliter per se ipsam. Quia nulla est, quæ finita, & limitata non sit, & cui propterea non repugnet esse à se, seu ab intrinseco; cùm sit de ratione intellectionis, & volitionis esse ab intrinseco, seu esse ab ipso intelligente, & volente; & tamen substantiæ creatæ non repugnat esse intelligentem, & volentem per accidentia sibi superaddita intellectionis, & volitionis, quibus participantur perfectiones istis vocibus significatæ formaliter, quin participetur identitas earundem perfectionum cum diuina substantia. Quia scilicet hoc fieri non potest sine infinitate; id est, quia ea identitas est imparticipabilis. Idem ergo euenit in re nostra ob argumenta superiùs proposita, nec valet consequentia ex possibilitate coniuncti ad possibilitatem entitatis indiuisibilis illi æquivalentis, quin excedat eo ipso. Quia hæc inter æquivalentia est chimerica. Nequit autem valere argumentum à minori ad maius positiuè.

Ad 5. Omnis chimæra constituitur ex coniunctione, vel separatione prædicatorum, quorum vnumquodque secundùm se est possibile, & reale. Nihil igitur concluditur illa enumeratione formalitatum, quarum vnaquælibet seorsim sit possibilis. Sed ostendendum insuper est, nullam esse repugnantiam in mutua illarum omniù coniunctione, ac identitate. Quod fieri non potest, vt liquet ex nostris argumentis. Quod dicitur de vnione hypostatica nihil valet. Quia perfectio cuiusque substantiæ pensatur ex eius natura, non ex vnione partium, aut quasi partium, quæ sunt in vnoquoque ente, vt apparet ex iis, quæ habentur q. 25. de Incarnatione circa ipsam vnionem hypostaticam.

QVÆSTIO XI.

Vtrum intellectus creatus possit diuinitùs eleuari, atque eleuetur de facto per lumen gloriæ ad videndum Deum?

VIDETVR nec posse eleuari, nec eleuari de facto 1. Quia Deus ex 1. ad Timoth. 6. 16. *Lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Idem dicitur inuisibilis absolutè ibidem, v. 17. & ad Coloss. 1. 15. & ad Hebr. 11. v. 17. Eodem pertinet visio Dei concessa Vnigenito tanquam propria, & peculiaris ipsius, eáque de causa negata cæteris ex Ioan. 1. 18. *Deum nemo vidit vnquam; Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Vbi Irænæus, Athanasius, & Euaristus Papa legunt: *nisi Vnigenitus* iuxta illud ibidem, & c. 6. v. 46. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo: hic vidit Patrem.* Accedit, Chrysostomum, Hieronymum, Ambrosium, aliósque Sanctos PP. omninò videri docere, ob hæc testimonia, visionem Dei immediatam esse prorsùs impossibilem, ac repugnantem intellectui creato; vt pluribus ostendere nititur Vasq. disp. 37. à c. 2.

2. Nulla est proportio intellectus creati, vtcunque dispositi ad Deum secundùm se, & vt est in se; vtpotè finiti ad infinitum. Necesse autem est, inter potentiam videntem, & obiectum visum, dari proportionem aliquam. Ergo intellectus creatus nequit vllo pacto sufficienter disponi, ac eleuari ad visionem Dei immediatam.

3. Oculi corporei non sunt eleuabiles ad videndum aliquid spirituale, etiam creatum, ac minimum, vt fert communis, & indubitata Theologorum ferè omnium opinio; Multò verò minùs ad videndum Deum, vt statuit ex communi PP. consensu Petauius tom. 1. Theol. l. 7. c. 2. Ergo nec intellectus creatus est eleuabilis ad visionem Dei. Patet consequentia; tùm quia distantia intellectus creati à Deo est incomparabiliter maior, quàm distantia oculis corporei ab Angelo, aut ab alio quolibet obiecto spirituali creato; tùm quia vtriusque distantia à Deo est infinita, & omninò æqualis, vt infrà dicetur.

4. Repugnat creaturæ comprehensio, seu cognitio adæquata Dei. Ergo, & visio immediata Dei, sicut est in se. Antecedens putant certum ex fide Molina, Suarez, & plures alij, cæteri verò omnes vt minimùm, innegabile citra temeritatem ex communi PP. intelligētia circa 32. Ieremiæ 19. & ex sensu itidem communi Doctorum circa caput *Firmiter* de summa Trinitate, vbi Deus dicitur incomprehensibilis. Probatur consequentia. Quia dum obiectum non comprehenditur, aliquid eius latet videntem, vt apparet ex communi definitione comprehensionis data ab Augustino Epist. 112. c. 6. Repugnat autem Deum videri, sicut est in se, dum aliquid eius latet: tùm quia est omninò simplex, ac indiuisibilis, ideòque non potest latere secundùm aliquid, cui patet secundum aliquid, vt est in se: tùm maximè, quia Deus non esset à parte rei, sicut est de facto, si deesset ipsi in se aliquid eorum, quæ insunt de facto. Ergo nec in intellectu est, sicut est in se, dum aliquid eius latet, seu non adest in eodem intellectu.

5. Visio Dei immediata ex suo conceptu est cognitio perfectionis simpliciter infinitæ. Primò quia eò est perfectior vnaquæque cognitio, quò perfectius est obiectum eius formale, & immediatum: ac proinde, cum ventum erit ad obiectum formale simpliciter infinitum, ventum quoque erit ad cognitionem simpliciter infinitam. Deinde quia visio Dei immediata, superat sua perfectione infinitas cognitiones, inæqualis, semperque crescentis perfectionis circa obiecta formalia creata similiter inæqualia, & crescentia sine fine. Quod autem superat infinita inuicem inæqualia, & alia aliis semper maiora, oportet esse infinitum simpliciter; vtpotè nullis finibile ablationibus finitis in infinitum. Repugnat autem potentiæ simpliciter finitæ actus simpliciter infinitus, nullaque perfectio creata potest esse simpliciter infinita, vt patet ex q.7.

6. Si posset elevari intellectus creatus ad visionem Dei, per lumen gloriæ sibi inhærens intrinsecè, posset etiam elevari extrinsecè sine illo per concursum Dei immediatum, quo suppleretur defectus eius. Quia Deus potest præstare per se ipsum immediatè in genere causæ efficientis, quidquid præstare potest per causas secundas. Quia continet in se adæquatè, quidquid continetur in illis. Sequela autem est falsa, quia dum manet intellectus absque lumine supernaturali sibi intrinseco, manet absque proportione respectu visionis Dei. A causa autem improportionata, manente improportionata, nequidem de potentia Dei absoluta, potest prodire effectus.

7. Repugnat intellectui creato verbum, seu similitudo, & species expressa Dei, vt est in se. Ergo, & visio immediata. Probatur Antecedens; quia omnia creata differunt infinitè à Deo; Vnde nihil creatum potest assimilari ipsi, vt est in se. Et præterea cognitio per similitudinem solùm est possibilis respectu obiecti absentis. Quæ conditio repugnat Deo. Patet consequentia; quia Augustinus l.9. de Trinit. c.10. & 11. Anselm. in Monol. c.31. & D. Thomas q.27. art.1. & in 1. dist.27 q.2.a 2. atque alibi sæpe docent clarè de ratione intelligentis, atque adeò, de ratione videntis intellectualiter aliquid, esse, vt illius in se verbum ac similitudinem efformet, seu concipiat.

Art.1. Respondetur. Visio Dei, sicut est in se, tripliciter vsurpatur. Primò latè, pro cognitione qualitercumque discretiua ipsius à rebus creatis, licet sit habita per species rerum creatarum, ideóque sit abstractiua, & ænigmatica, repræsentans Deum ad modum illarum: id est, concipiens quidem, ac exprimens rationem differentialem. Dei; sed cum quadam nebulosa confusione, ac veluti permixtione rationis differentialis creaturarum. Secundò sumitur propriè, ac strictè, sed inadæquatè, pro cognitione, quæ non solùm sufficiat ad discernendum Deum à creaturis, enunciatiuè, verùm etiam apprehensiuè, & quoad modum concipiendi, conceptu videlicet minimè ænigmatico, & adinstar alterius, atque habito per concursum obiectiuum immediatum ipsius Dei, ideóque terminato ad eundem secundùm se, & vt est in se, absque vlla quasi mixtione, vmbris, & fuco creaturarum obseruantium cognitionem, atque alienantium, ex parte, interpositione sui, sed tamen cum imperfectione necessariò in illam redundante ex parte principij creati incapacis ad adæquandam totam Dei cognoscibilitatem, virtute sua cognoscitiua vtcumque supernaturaliter adiuta à Deo. Tertiò sumitur propriissimè, ac strictissimè, & adæquatè pro cognitione non solùm distinguente Deum à creaturis, nec concipiente ipsum adinstar earum, sed etiam adæquante totam eius cognoscibilitatem, atque adeò comprehendente perfectè essentiam Diuinam; ita vt non solùm cognoscatur, quatenùs infinita, sed etiam infinitè, nec solùm tota, sed etiam totaliter; tantáque sit perfectio cognitionis in genere suo, quanta est perfectio obiecti cogniti in suo.

Art.2. Primum genus visionis dicitur propriè cognitio abstractiua, & ænigmatica Dei, inestque nobis connaturaliter; nec negatur existentia eius, præterquàm ab Atheistis. Istiusmodi cognitionem confuderunt Eunomius, & Anomæi cum secundo genere visionis, quod ex vsu communi dicitur absolutè, visio Dei, & cum tertio, quod dicitur communiter, comprehensio Dei. Idque fecerunt impotentes, aut nolentes distinguere cognitionem Dei immediatam sola immediatione terminationis ab immediata immediatione motiui formalis adæquati; & cognitionem discretiuam Dei à creaturis, sed inadæquatam, ab adæquata. & comprehensiua. Vnde consequenter dixere homines etiam viatores, dum sunt in vita mortali, videre Deum immediatè, sicutiste in se, eumdémque comprehendere, atque cognoscere tanta cum perfectione, cum quanta cognoscit Deus se ipsum; ac demum ad neutrum horum esse necessarium lumen supernaturale infusum à Deo. His accessere Beguardi, atque Beguinæ, quoad sufficientiam naturæ humanæ ad videndum Deum immediatè absque lumine gloriæ. Quæ hæresis damnata est in Concilio Viennensi, vt apparet ex Clementina *Ad nostrum* de hæreticis.

Art. 3. E contra Armeni olim, ac deinde Abailardus, & Arnaldus Brixiensis confuderunt visionem Dei immediatam cum perfecta comprehensione Dei. Quia verò comprehensio Dei revera est impossibilis creaturæ, visionem quoque Dei dixere repugnantem intellectui creato, siue elevato diuinitùs per lumen gloriæ, siue non elevato; & consequenter eandem negauere existentem de facto in Beatis; Quæ hæresis damnata est à Concilio Francofordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, à Concilio Florentino in decreto de purgatorio, ab Euaristo Papa in Epistola 1. & à Benedicto 12. in extrauaganti *Benedictus*. Itaque veritas Catholica media via incedit inter prædictos errores. Negat enim possibilem intellectui creato visionem quidem immediatam Dei naturaliter, seu ex sufficientia naturæ, vt dictum est in quæstione præcedenti; comprehensionem verò etiam de potentia absoluta, vt dicetur hic ad 4. Simul tamen affirmat possibilem supernaturaliter, & existentem actu eandem visionem in Angelis, & hominibus beatis elevatis, & adiutis à Deo per lumen gloriæ ipsis infusum. Quòd solùm superest ostendendum.

Art. 4. Et sanè ineſſe de facto mentibus Beatorum visionem Dei immediatam, qualis nuper secundo loco exposita est in art.1. Vltra testimonia modò indicata, manifestè demonstrant verba Apostoli 1. ad Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Vbi in primis antithesis inter visionem specularem ænigmaticam, & eam, quæ est facie ad faciem excludit manifestè ab hac secunda visione omne ænigma, & omne medium, atque representationem obiecti ad modum alterius. Deinde τὸ *facie* excludit omne medium ex parte cognoscentis; & τὸ *ad faciem* ex parte cogniti; Vnde per vtramque particulam simul exprimitur intuitio immediata Dei omninò similis intuitioni corporeæ, terminatæ immediatè ad præsens sensibile. Eò, vel maximè, quia cùm Apostolus loquatur de anima separata, nomine faciei ex parte ipsius animæ intelligenda venit sola mentis acies visque intellectiua omni corporeo impedimento denu-

data;

data. Cui cognoscentis faciei non alia intelligi potest correspondere facies ex parte Dei cogniti, quàm ipsa eius cognoscibilitas, & essentia nullo corporali, aut spirituali intermedio velamine præpedita. Postremò illa comparatio, *cognoscam, sicut, & cognitus sum*, non minùs adstruit vniformitatem quoad modum cognoscendi, quàm adstrueret æqualitatem perfectionis in cognitione, & comprehensione Dei in Beatis, si diceret *quantum, & cognitus sum*; Cum ergo Deus cognoscat omnia immediate visione propriè tali, oportet ipsum etiam videri à Beatis æquè immediate, vt sic modus cognoscendi, & videndi euadat vtrinque vniformis, provt prædicitur ab Apostolo. Consonant his illa ex 1.Ioan. 3.2. *Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum; sicuti est.* Math 5.8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, &c.* 18.10. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.*

Art. 5. His vsque adeò claris testimoniis propterea faciliùs accommodatur assensus in sensu explicato; quia cùm intellectus, & voluntas sint potentiæ ex sua natura vniuersales, atque ille naturaliter feratur ad rationem entis, vt sic, ac proindè complectatur, intra suam sphæram omnem rationem veritatis; & voluntas similiter complectatur omnem rationem bonitatis, ideòque desiderium eius naturaliter feratur ad contemplationem, & possessionem summi boni sub conceptu vniuersali perfectissimæ contemplationis, & possessionis, nulla apparet, nullàque potest inueniri repugnantia per discursum naturalem, quo minus intellectus humanus eleuari diuinitùs possit ad videndum Deum immediatè, vt est in se. Imò congruit plurimum rationi naturali possibilitas huius eleuationis; quandoquidem intellectus, per talem elevationem, non diducitur extra sphæram suam, sed solùm perficitur supernaturaliter intra ipsam; atque ideò appetitui innato, & elicito naturali substantiæ rationalis vniuersaliter, & amplissimè appetenti confertur plenitudo quædam perfecta, & cumulata satietatis, & quietis. Quæ autem habent naturalem huius generis credibilitatem, debent nanciscì integram fidem, quoties verba diuinæ reuelationis illam exigunt, vt iacent; nec sunt à sensu, quem spontè præferunt, dimouenda per violentam interpretationem. Quapropter, licet ratio naturalis non conuincat euidenter se sola possibilitatem visionis Dei immediatæ, & vt est in se, quod est ipsi commune cum reliquis omnibus rebus supernaturalibus, conuincit tamen euidenter testimonia sacra nuper proposita accipienda esse iuxta sensum illis attributum à nobis cum communi consensu sanctorum PP. quem scilicet spontè præ se ferunt. Quia verbis Scripturæ non est inferenda vis absque euidenti ratione, vel vrgentiori alio eiusdem Scripturæ testimonio in contrarium. Atque hic solus proculdubio fuit scopus D. Thomæ, quantum quidem ego assequor, dum q. 12. art. 1. persuadet ratione naturali possibilitatem visionis Dei immediatæ; cùm nihil vlteriùs rationes eius re ipsa conuincant.

Art. 6. Rationes Theologicæ possent afferri plures pro eadem veritate visionis creatæ immediatè ad Deum terminatæ; non solùm possibilis, sed etiam existentis de facto. Verùm duæ sunt præcipuæ. Altera est; quia Deus init de facto perfectam, veram, ac propriam cum iustis amicitiam, vt apparet ex q. 39. de Virtut. Theol. atque de ratione amicitiæ est inclinatio connaturalis ad mutuum amicorum conspectum, & vis eiusdem aliquando inductiua, vt ibidem ostenditur ad 8. ex doctrina Philos. lib 8 Ethic. cap. 5. & lib. 9. cap. 10. atque 11. Altera ratio desumitur ex Incarnatione Verbi Diuini, & passione Christi; atque fundatur in illis verbis ad Rom. 8. 32. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Nempè secluſa visione Dei immediata, eiusque per peccatum impeditæ restitutione, nullus alius apparet finis creatus Incarnationis Verbi, & passionis Christi, qui satis deceat infinitam Verbi, & Christi dignitatem, neque cum ipso omnia nobis donasset Deus, nisi donasset visionem sui immediatam, quæ est finis, & complementum cæterorum bonorum Accedit Filiationi naturali Christi esse deuinctam ex natura rei Filiationem adoptiuam aliorum, atque huic Filiationi esse similiter deuinctam hæreditatem vitæ æternæ constitutæ per visionem Dei, vt apparet ex q. 3. de Iustificatione, Ergo visio Dei non solùm est absolutè possibilis, sed etiam confertur de facto omnibus non ponentibus obicem gratiæ, cuius existentia de facto iam præmissa est ex definitione Concilij Viennensis, exponentur ampliùs, quæ sequenti vltra ea, quæ dicta sunt in qu. præcedenti.

Ad 1. Cùm visio Dei non vno vbique sensu vsurpetur in sacris Literis, & apud Sanctos PP. vt initio notatum est, considerandus est contextus, & scopus cuiusque sententiæ, tam affirmantis, quàm negantis visionem, pro eruendo legitimo eius sensu. Qui si adhuc lateat, textus obscuriores trahendi sunt ad sensum, & consensum clariorum. Quare, cùm testimonia adstruentia in Beatis visionem immediatam Dei, sicut est in se, propriè talem, sint quàm clarissima; testimonia alia, quæ videntur eandem negare, vel existentem, vel absolutè possibilem, accipienda sunt, vel de comprehensione Dei propriè tali, vel de visione per oculos corporeos, vel de intellectuali, vt assequibili per solas vires naturæ, aut etiam supernaturaliter respectu purè viatorum, seu degentium in carne mortali. Aliquid enim ex iis quatuor legitimè accommodatur omnibus eiusmodi testimoniis, etiam Chrysostomi, vt videre licet, inter alios apud Fasolum quæst. 12. art. 1. dubit. 3. & 4.

Ad 2. Repugnat quidem inter finitum, & infinitum proportio Arithmetica propria mensuræ, & mensurati, ratione cuius repetito aliquoties extremo minori possit deueniri ad æqualitatem, cum extremo maiori. Non tamen repugnat proportio Geometrica, eáque irregularis, & insuper similitudinaria tantùm, consistens in aliquali alterius ad alterum habitudine præscindenti, atque omninò independenti ab æqualitate, & adæquabilitate inter vtrumque comparationis extremum. Qualis habitudo datur proculdubio multiplex inter Deum, & creaturas; vtpotè participantes perfectionem eius; similes aliquatenùs eidem; merentes apud eundem; eundémque cognoscentes abstractiuè, & amantes naturaliter, &c. non autem requiritur aliud genus proportionis pro visione inadæquata Dei. Quæ videlicet eo ipso superatur à cognoscibilitate, & perfectione Dei excessu simpliciter infinito, non minùs, quàm superetur potentia ipsa cognoscitiua creata.

Art. 1. Ad 3. Sicut visus non potest supernaturaliter audire; nec auditus, vel odoratus videre: ita non potest potentia vlla materialis, seu existens seu absolutè possibilis percipere supernaturaliter aliquid spirituale. Quia potentia materialis ex hoc dicitur materialis, & differt ab intellectu, quòd nequit naturaliter percipere, nisi obiecta materialia, ac sensibilia; nec potest naturaliter abstrahere rationes obiectis spiritualibus, & materialibus; Deo & creaturis communes. Quapropter Deus, omniaque

que ſpiritualia tam ſunt, extra obiectum naturaliter adæquatum, & extra totam ſphæram naturalem potentiæ cuiuſuis materialis; quàm ſunt extra obiectum, & ſphæram potentiæ viſiuæ ſonus, aut odor, & ſic de ſimilibus; ideòque eſt æqualis vtrobique ineluabilitas. Oſtendetur namque ratione vniuerſali in qq. de Sacramentis, non poſſe ſupernaturaliter iuuari, ac eleuari vllam potentiam circa ea, circa quæ nihil naturaliter præſtare poteſt ſaltem imperfectè. Intellectus autem poteſt naturaliter attingere Deum, tùm in particulari; tùm ſecundùm rationem communem, & vniuerſalem, vt dictum eſt art. 5. Quæ ratio differentiæ eſt ſatis manifeſta.

Art. 2. Conceſſo igitur antecedenti, quidquid in contrarium excipiant de potentia materiali poſſibili Ripalda, & nonnulli alij; auſuſque ſit quoad de facto Drexellius fretus conniuentia Auguſtini lib. 22. de Ciuit. c. 23. quem tamen exponit legitimè D. Thomas q. 12. art. 3. ad 2. tanquam diſputatiuè ſolum, & conditionaliter ibi loquutum; cùm abſolutam repugnantiam viſionis Dei in ſe per oculos corporeos docuiſſet ex profeſſo Epiſt. 6. Conceſſo, inquam, antecedenti, negatur conſequentia propter diſcrimen datum. Nec enim, pro re præſenti, attenditur diſtantia, vel indiſtantia præcise, quoad entitatem, vel magnitudinem perfectionis; ſed ſecundùm conſiderationem potentiæ, & obiecti connaturalis. Sub qua conſideratione iam manifeſtata eſt inæqualitas, & diſpar ratio vtriuſque potentiæ reſpectu Dei, & cuiuſuis alterius obiecti ſpiritualis.

Art. 1. Ad 4. Videtur illud antecedens dicendum potiùs certum ex fide. Quia nulla eſt ratio ſatis efficax, quo minùs accipiantur, vt ſonant teſtimonia ſacra, quæ illi ſuffragantur, & communis conſenſus PP. eòdem manducit. Sed conſequentia eſt illegitima. Quia licet in re indiuiſibili, ac perfectè ſimplici, qualis eſt Deus, non detur aliquid, & aliquid realiter, ac formaliter; datur tamen ratione noſtra, & æquiualenter; idque ſufficit, vt vnum indiuiſibile poſſit eſſe ſimile alteri indiuiſibili, non tamen omninò, vt patet in cognitione abſtractiua, & in phyſica participatione creata bonitatis diuinæ.

Art. 2. Iam cùm Deus dicitur videri à Beatis, ſicut eſt in ſe, τὸ *ſicut* non ſumitur adæquatè, ſolúmque intenditur Deum non cognoſci ænigmaticè, & adinſtar alterius, ſeu ex vi alteriùs motiui formalis. Inadæquatio verò intelligitur, non ratione cuius aliqua Dei prædicata innoteſcant, & alia non innoteſcant videnti ipſum; quod fieri nullatenus poteſt; ſed ratione cuius omnia Dei prædicata cognoſcantur minùs perfectè, quàm abſolutè, ex ſua natura cognoſci poſſunt. Quia videlicet cognitio Beati eſt minùs perfecta, quàm ſit entitas, & cognoſcibilitas Dei. Cuius rei adiicietur maior, & plenior expoſitio quæſt. 13.

Art. 3. Quod autem Deus non eſſet futurus Deus, nec extiturus in ſe, ſicut exiſtit de facto; ſi eſſet minùs perfectus, quàm eſt, aut minùs perfectè haberet, quàm habeat de facto, quæcunque; habet: ſolùm probat nulla viſione creata poſſe repræſentari Deum ſicut eſt in ſe, τὸ *ſicut* ſumpto poſitiuè, & ſecundùm ſimilitudinem omninò perfectam, qua excludatur omnis diſſimilitudo, nulluſque permittatur defectus ſimilitudinis. Quod nihil nocet intentioni Theologorum ſic loquentium. Quia Theologi τὸ *ſicut* vſurpant potiùs negatiuè, vt ab immediata viſione creata Dei excludant ænigmata, & repræſentationem, quæ ex parte obiecti repræſentati ſit ad modum alterius, admixta, ſimilitudini cognitionis cum Deo, diſſimilitudine; vt ita dicam, poſitiua cum eodem; qualis diſſimilitudo intercedit inter albedinem, & nigredinem. Cuius generis diſſimilitudo conuenit, ex parte, cognitioni abſtractiuæ Dei habitæ per ſpecies creaturarum, cum viſioni creatæ immediatæ Dei ſola inſit diſſimilitudo cum eodem purè negatiua; Qualis diſſimilitudo intercedit inter albedinem, aut nigredinem maiorem, & minorem. Quod tamen non tollit, quominùs magis, & minùs albus dicantur abſolutè ſimiles in colore, ſeu eiuſdem coloris. Hoc igitur ſenſu accipitur, quod in Scriptura, & à Theologis dicitur, *videbimus Deum, ſicuti eſt.* Dicitur autem legitimè; licet ſit chimæricum, vt Deus ſit in ſe à parte rei diminutè; & nihilominùs ſit, ſicut eſt de facto. Quia imagines rei poſſunt eſſe multiplices, & diſpares; eſto, res ipſa in ſe non poſſit eſſe multipliciter, ac diſpariter.

Art. 1. Ad 5. Negatur antecedens. Quia in iis, quæ creſcunt cum proportione tantùm Geometrica, eaque irregulari, & inſuper impropria, & ſimilitudinaria tantùm, qualis ſola proportio conuenit viſioni creatæ reſpectu Dei, vt dictum eſt ad 2. non rectè arguitur ex infinitudine vnius extremi infinitudo extremi alterius, vt indidem ſatis apparet. Solùm namque colligitur; quod creſcit cum ea proportione ad infinitum, exceedere, cæteris paribus, ea omnia; quæ creſcunt, cum ſimili proportione ad aliquid finitum.

Art. 2. Verùm neque exceſſus, qui inde deducitur in viſione Dei, ſupra cognitiones Dei abſtractiuas, & ſupra viſiones aliarum rerum ſyncategorematicè infinitas inter ſe inæquales, conuincit infinitatem ſimpliciter eiuſdem viſionis. Primò, quia hoc eſt commune cuilibet rei creatæ, vt habeat infrà, & ſuper ſe res alias poſſibiles ſyncategorematicè infinitas inæqualis perfectionis. Nulla enim poſſibilium habet vel infimum, vel ſupremum locum inter omnes poſſibiles, vt alibi oſtenſum eſt. Deinde, (atque hæc eſt præcipua ratio) quia ad exceſſum eiuſmodi ſupra infinita alia, ſufficit entitatem excedentem contineri in genere ſuperiori, tametſi finito, & limitato; cùm res generis, aut generum inferiorum, vtcumque creſcant, nunquam peruenire poſſint ad præſtantiam generis ſuperioris; vt apparet in amore Dei propter ſe; in vnione hypoſtatica; in ſubſtantia, aut viuenti, aut ſenſitiua, aut intellectuali, comparatis cum aliis infinitis, aut amoribus, aut vnionibus, aut ſubſtantiis non viuentibus, &c. creſcentibus gradatim ſine fine.

Art. 3. Ratio eſt; quia talis exceſſus non conſtituitur per totidem formalitates rei excedentis non communicantes inuicem formaliter in perfectione, quot ſunt entitates inferiores diuerſæ ſpeciei. Quinimò in exceſſu reſpectu cuiuſuis inferioris, includitur formaliter ratio differentialis propria excedentis, quæ conſiſtit, in indiuiſibili, etiam ratione noſtra conſiderante rem directè ſecundùm ſuum proprium conceptum quidditatiuum. Vnde non ſubſiſtit, quod dicitur tot quaſi particulas, & formalitates excedentis eſſe quaſi auferibiles ab excedente, ſeu deſignabiles in eodem per intellectum, quot ſunt ſpecies rerum inferiorum; ideòque perfectionem excedentis: nullis finitis quaſi ablationibus, finiri poſſe. Aufertur enim tota, etiam formaliter, & ratione noſtra, per ablationem rationis formalis excedendi quamlibet entitatem inferiorem; quandoquidem aufertur eo ipſo ratio differentialis conſiſtens formaliter in indiuiſibili.

Ad 6.

Ad 6. Tam sententia affirmans, quàm negans possibilitatem eleuationis purè extrinsecæ ad operationes supernaturales est valdè probabilis, & vtramque docent plures, & boni auctores; neutra verò, quantum quidem ego assequor, habet pro se rationem vllam positiuam satis efficacem. Quare transmisso antecedenti cum sua probatione, negatur absurditas eius. Quia licet intellectus, dum caret lumine supernaturali sibi intrinseco, non sit proportionatus intrinsecè ad visionem Dei; dici tamen potest proportionatus extrinsecè ratione concursus diuini specialis immediati supernaturaliter præparati iam à Deo. Nec apparet cur huiusmodi proportio non sufficiat intellectui ad eliciendam visionem Dei; dum non ostenditur alia ratione requiri lumen intrinsecum in genere causæ formalis ad videndum; sicut requiritur cognitio intrinsecè inhærens ad volendum, & simplex apprehensio ad iudicandum. Id quod nemo huc vsque satis efficaciter, aut probauit, aut impugnauit.

Art. 1. Ad 7. Visio intellectualis est species quædam cognitionis formaliter, aut eminenter iudicatiuæ. Cognitio autem ex suo conceptu est repræsentatio obiecti, cuius est cognitio, & quæ est iudicatiua, est specialiter supra se ipsam reflexiua, vtpotè cognoscens, ac affirmans conformitatem sui cum eodem obiecto. De quo alibi cum D. Thoma expressè vtrumque docente. Rursus repræsentatio causata ab obiecto repræsentato per ipsam, eidemque conformis, est similitudo, & imago eius; vtpotè deriuata ab obiecto tanquam ab exemplari, atque ob hunc finem existens, vt ipsum repræsentet, ac manifestet. Quatenùs verò eadem repræsentatio est reflexiua, modo illo speciali, supra se ipsam, habet rationem dictionis, & verbi respectu cognoscentis. Quia cognoscens eo ipso secum quasi loquitur, dicitque sibi obiectum tale esse, quale repræsentatur per suum actum. Ergo visio Dei habet rationem similitudinis expressæ, & verbi mentis inadæquati quidem, & imperfecti, modo nuper indicato, propriè tamen talis. Quod docetur clarè ab August. & D. Thoma locis in obiectione relatis, & alibi sæpè.

Art. 2. Verùm quia similitudo, hæc, & verbum non est vt *quod*, habens rationem puri medij, v. cuius, vt obiecti formalis motiui, cognoscatur Deus, sicut est in se, sed solùm vt *quo*, & per quod non causaliter, ac efficienter, sed formaliter repræsentetur Deus; idque inadæquatè, ac imperfectè; propterea cessat omne inconueniens obiectum in argumento. Vnde negatur eius antecedens. Cuius probationes confundunt similitudinem formalem, ac intentionalem, eámque inadæquatam, & verbum, quo dicitur formaliter, ac repræsentatur obiectum; possibilia vtique respectu Dei, atque existentia de facto ex sententia Augustini, ac D. Thomæ; confundunt, inquam, cum similitudine obiectiua, & physica, nec non cum intentionali omninò adæquatâ, & cũ verbo vt *quod*, seu in quo cognoscatur obiectum, vt est in se; quæ repugnant respectu Dei, vt dicetur in q sequenti; eaque sola negantur à D. Thoma; vbicumque negat similitudinem creatam, & verbum mentis creatæ respectu Dei, vt ibidem manifestabitur, quantum sufficit. Hæc porrò sola æquiuocatio est origo totius hac de re controuersiæ inter Scotistas, & alios plures nobiscum loquentes, atque inter Thomistas nonnullos; & paucos alios contradicentes Scotistis.

QVÆSTIO XII.

Vtrum species impressa Dei sit absolutè possibilis, & existens de facto? atque indistincta realiter à lumine gloriæ?

VIDETVR non esse. 1. Quia repugnat qualitas essentialiter superuacanea, seu quæ ex sua natura habeat vt nullum vnquam possit præstare effectum formalem. Hoc enim perindè est, ac dicere, repugnare formam, cui repugnet intrinsecè, vt informet; siquidem informare nihil est aliud, quàm præstare aliquem effectum formalem. Huiusmodi autem formæ repugnantia non indiget probatione; sicut nec repugnantia agentis, cui essentiale sit nihil vnquam agere. At species impressa Dei esset qualitas essentialiter superuacanea, nullumque potens vnquam præstare effectum formalem. Quia vnicus effectus formalis speciei impressæ est, reddere obiectum, cuius est species, proximè intelligibile, atque vltimò completum in ratione intelligibilis, Deus autem essentialiter est summè intelligibilis, & vltimò completus in ratione intelligibilis, non secùs, ac in ratione intellectiui, ideòque repugnat, vt per aliquid creatum reddatur proximè intelligibilis, & vltimò completus in ratione intelligibilis, & non secus, ac in ratione intellectiui, ideòque repugnat, vt per aliquid creatum reddatur proximè intelligibilis, & vltimò completus in ratione talis, non minùs, quàm repugnat, vt per aliquid creatum reddatur proximè intellectiuus, seu proximè potens intelligere. Repugnat igitur species impressa Dei.

1. De conceptu speciei impressæ est, vt contineat adæquatè suum obiectum in ratione cognoscibilis: ideòque, vt gignere possit; quantum est ex se, cognitionem obiecti, quantam, & qualem gignere potest idem obiectum per se ipsum, atque vt hoc præstare possit, siue adsit re ipsa, siue non adsit idem obiectum, vel absolutè in rerum natura, vel intra sphæram potentiæ cooperantis speciei. Quæ omnia constant ex communi consensu auctorum circa naturam speciei impressæ, & confirmantur præterea efficaciter inductione facta per omnes species impressas, quas certè nouimus, aut existentes, aut possibiles. Cùm ergo Deus sufficiat, quantum est ex se, suo concursu obiectiuo immediato, ad comprehensionem sui, & ad visionem beatificam; sufficiens vtique esset ad hæc ipsa præstanda se solo aliquid creatum, quantum est ex se; eáque perfectè præstaret, tametsi per impossibile supponatur Deum non existere: si esset possibilis species impressa creata Dei vt est in se. Quod tamen consequens est manifestè absurdum.

3. Impossibilis est qualitas vicaria Dei, quatenùs valentis concurrere immediatè per se ipsum in ratione causæ primæ, ac vniuersali ad omnes & singulos effectus causarum secundarum. Ergo repugnat similiter qualitas Vicaria Dei, quatenùs valentis concurrere immediatè per se ipsum, in ratione obiecti formalis motiui, ad visionem sui. Antecedens est indubitatum apud omnes, & meritò, Patet consequentia, tùm negatiuè, quia nulla est assignabilis ratio differentiæ; tùm positiuè, quia non est minor perfectio

fectio Dei, quatenùs valentis exhibere concursum obiectum immediatum in visionem sui, quàm quatenùs valentis exhibere concursum vniuersalem immediatum. Vterque igitur iste concursus est æquè insupplebilis per aliquid creatum.

4. Impossibilis est species obiectiua creata, in qua tanquam in medio, & motiuo formali, cognoscatur Deus, sicut est in se, atque adeò videatur perfectè, ad eum ferè modum, quo creaturæ videntur in Deo à Beatis. Ergo etiam est impossibilis species impressa creata effectiua visionis immediatæ Dei, vt est in se. De antecedenti non dubitatur inter Catholicos. Patet consequentia. Quia species impressa effectiua visionis immediatæ Dei, vt est in se esset perfectè similis Deo, vtpotè effectiua perfectæ similitudinis formalis Dei; quatenùs talis; & præterea est de conceptu vniuersali speciei impressæ, vt sit eiusdem ordinis & perfectionis in genere intentionali cum suo obiecto; Quidlibet autem est cognoscibile perfectè secundùm suum conceptum quidditatiuum, vt est in se, ex vi obiecti motiui perfectè similis ipsi. Hac enim de causa homo in homine, & quidlibet in quolibet alio eiusdem infimæ speciei, est cognoscibile quidditatiuè.

5. Pro cognitione obiecti ex se intelligibilis, atque intimè præsentis cognoscenti, non est necessaria, nec datur ex natura rei species impressa; tametsi obiectum sit absolutè capax, quod producat speciem impressam propriam sui. Hac enim de causa Angelus non indiget, nec vtitur specie impressa ad cognitionem sui, tametsi possibilis absolutè ea sit, deturque de facto in mentibus aliorum Angelorum. Deus autem est immediatè intelligibilis ex se, & est intimè præsens omni intellectui. Ergo ad cognitionem, & visionem eius, nulla est necessaria species impressa, nec est admittenda existens connaturaliter, & de facto; tametsi absolutè esset possibilis. Confirmatur, quia species impressa communiter definitur qualitas vicaria obiecti. Innaturale autem est, vt quod est præsens, & facilè, ac perfectè potest præstare immediatè per se, quod spectat ad ipsum; vtatur nihilominùs Vicario.

6. Species impressa tenet se ex parte obiecti; lumen verò gloriæ ex parte intellectus. Illa deseruit ad conferendam cognitioni rationem similitudinis, & imaginis obiecti; istud verò ad supplendum defectum proprium intellectus insufficientis ex se ad producendum actum adæquatè supernaturalem, adeóque non contentum in actiuitate naturali intellectus, etiam quoad ea prædicata, quæ intellectui, & non obiecto, formaliter correspondent. Ergo species impressa ad visionem Dei immediatam dicenda est distincta realiter à lumine gloriæ, tametsi ea admittatur possibilis, & actu existens.

Confirmatur primò quia voluntas ad dilectionem, & fruitionem beatificam non sola indiget visione beata, quæ allicit, & mouet ex parte obiecti, ideóque correspondet quodammodò speciei impressæ. Sed indiget præterea habitu charitatis iuuante insufficientiam potentiæ volitiuæ naturalis, secundùm se. Intellectus autem comparatur cum visione, sicut voluntas cum dilectione, & fruitione. Confirmatur rursùs, quia lumen gloriæ succedit habitui fidei, nec aliter illud iuuat ad videndum Deum, quàm iuuet hic ad credendum Deo. Habitus autem fidei distinguitur ab speciebus impressis obiectorum terminantium actus fidei; patet vt in puero baptizato præhabente habitum fidei, & tamen incapaci credere vsque dum acquirat species credendorum. Ergo,

7. Necessitas, & existentia luminis gloriæ est certa ex fide; cùm non solùm existentia, sed & possibilitas speciei impressæ Dei sit valdè incerta, & negetur à plerisque Theologis. De quibus, quis credat, aut dicere audeat, idem eos sub diuersis vocibus affirmare tanquam certum ex fide, simulque negarè, & dicere chimæricum, & repugnans? Ergo species, & lumen non sunt idem.

Art. 1. Respondetur. Species intellectualis, seu iuuans intellectum, ad actum intelligendi alia est obiectiua, & in *qua*; alia impressa, & *qua*. Species obiectiua, & in qua, dicitur, quæ quatenùs cognita immediatè, & ratione sui, confert, & ducit ad cognitionem mediatam obiecti, cuius est species. Quo pacto Deus communiter dicitur videri à viatoribus in speciebus, & in speculo, & nondum facie ad faciem. Quia nimirum videtur solùm, & apparet in creaturis quatenùs cognitis immediatè ratione sui. Species impressa, & qua, dicitur, quæ independenter à cognitione sui saltem immediata, & ratione sui, confert, & ducit ad cognitionem obiecti; cuius est species; iuuando nimirum intellectum non per motionem obiectum, simulque terminatiuam cognitionis, sed per cooperationem solùm in genere causæ efficientis.

Art. 2. Quæstio de specie obiectiua creata ad videndum Deum est summi momenti. Quia hinc dependet, An Deus solus per se ipsum sit obiectum beatificum; an potiùs aliquid creatum? Omnis namque cognitio specificatur ex suo motiuo formali; & obiecto immediato, atque ab eo accipit totam suam perfectionem peculiarem. Illud verò obiectum est beatificum, ex quo specificatur, & desumit suam perfectionem peculiarem cognitio beatifica. Quam ob rem Alensis, D. Thomas, & alij antiquiores magni Theologi locis indicatis à Fasolo quæst. 12. art. 2. dubit. 10. & 31. præcipuè, ac ferè vnicè egerunt de specie ista obiectiua, eamque reiecerunt vsque adeò efficaciter, ad profligandum errorem suprà memoratum Armenorum de visione Dei in radio, seu fulgore quodam emananti ex ipso, vt nulla deinde ratio ea de re dubitandi superfuerit posteris, vti, insinuabitur ad 4.

Art. 3. Quæstio verò de specie impressa Dei, vt possibili, siue vt existenti de facto, non est tanti momenti, saltem directe, ac immediatè; dummodò retineatur necessitas, & existentia luminis gloriæ. Vtrouis enim modo de illa statuatur, hoc retento; retinetur insufficientia naturæ ad visionem Dei, vt patet; & tribuitur essentiæ diuinæ ratio formalis motiui adæquati, ac immediati respectu visionis beatificæ, vti Paulo post apparebit. His autem duobus præhabitis, quod reliquum est de specie Dei, ferè totum est Philosophicum, & pertinet ad cognitionem naturæ, muneris, & perfectionis, quæ sunt propria speciei impressæ, vt sic & in communi, & ratione quorum ipsa est necessaria, ac vtilis intellectui respectu cuiusque obiecti, siue creati, siue increati. Nihilominus posteriores Theologi, maximè verò omnium postremi, magno hinc & inde conatu incubuere in examen speciei impressæ Dei, ea fortassis potissimùm de causa, quia nihil satis clarè, ac efficaciter demonstrari de illa potest; & facile est, circa tale rerum genus, multa cum specie nouitatis, & acuminis producere, atque multiplici impugnatione in aliorum, & sententias, & probationes & probationum impugnationes grassari. Quibus quàm plurimùm delectantur plerique moderni

moderni, sicut pueri magnis, & inanibus sudoribus.

Artic. 4. Vtcumque hoc habeat; speciem impressam Dei negant possibilem Granados, Arrubal, & plures alij cum Thomistis; existentem verò, admissa possibilitate, Suarez, Molina, Valentia, & plures alij. Affirmant è contra possibilem, & existentem de facto, atque indistinctam realiter à lumine gloriæ Vasquez, Smising, Alarcon, Gaspar Hurtado, Bernal, & alij apud ipsos. Quæ posterior sententia videtur probabilior, & absolutè vera. Et quidem lumen gloriæ esse qualitatem supernaturalem creatam intrinsecè inhærentem intellectui Beati, tametsi Durandus, & nonnulli alij in dubium revocare voluerint, iam tamen est apud omnes Theologos omninò indubitatum; nec ea Durandi contraria opinio reputatur satis tuta in fide, atque Catholica. Quia Concilium Viennense relatum in Clementina *ad nostrum* de hæreticis, dum condemnat istam propositionem: *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum*; vsurpat lumen gloriæ eo procul dubio sensu, qui erat in vsu apud Doctores Catholicos, qui semper sub ea voce intellexere qualitatem intrinsecè inhærentem videnti. Atque aliàs sensus realis Concilij, fuisset animam indigere Deo, & nullo alio, ad videndum Deum. Qui tamen sensus est valdè, vt per se patet, absurdus, & nihil conferens ad punctum controversum, vel etiam controvertibile cum hæreticis. Eadem absurditas inesset illis ex Psalm. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*, & Apoc. 21. 23. *Claritas Dei illuminavit eam*; societatem Beatorum. Inesset inquam, absurditas; Si claritas Dei, & lumen Dei Deum ipsum vtrobique, & non aliquid creatum beatis mentibus infusum, reipsa significaret. Quapropter à D. Thoma & ab aliis communiter subintelligitur in his duobus testimoniis, debétque omninò subintelligi lumen supernaturale creatum.

Artic. 5. Accedit, ad actus charitatis, aliósque omnes supernaturales proprios voluntatis; nec non ad actum fidei conferri à Deo, & esse necessarios ex natura rei, habitus supernaturales inhærentes intrinsecè operanti, vt apparet ex quæst. 2. de Virt. Theolog. Quidni ergo concedatur etiam habitus supernaturalis intrinsecus ad visionem Dei? Imò est maior ratio, vt detur talis habitus, & virtus operativa intrinsecè inhærens ad actum beatificum visionis Dei; tum quia quò effectus est magis supernaturalis, magisque perfectus; eò magis insufficientia naturæ indiget comprincipio intrinseco perficiente, ac elevante ipsam; atque visio beata est operatio summa ideóque maximè omnium supernaturalis: tum quia quælibet causa eò nobiliùs, ac glorioſiùs operatur, quo magis operatur ab intrinseco, maiorique cum sufficientia sibi intrinseca: decet verò, vt operatio, quæ est ipsa gloria, & culmen nobilitatis, exerceatur nobilissimè, ac glorioſissimè, atque ideò cum comprincipio intrinseco elevante, & conferente sufficientiam, quanta possibilis est respectu ipsius. Certum itaque est infundi Beatis, nec fieri potuisse ex natura rei, vt non infunderet Deus qualitatem supernaturalem effectiuam visionis immediatæ Dei, & elevativam intellectus ad ipsam. Quæ qualitas dicitur, & est lumen gloriæ.

Art. 6. Iam verò istiusmodi qualitatem esse indistinctam realiter ab specie impressa Dei, neque aliud quidquam esse posse, suadetur primùm ex principio vniversali, quod stabilietur ex professo in qq. de Sacramentis. Nimirùm nullam causam, siue efficientem, siue materialem esse elevabilem diuinitùs, præterquàm ad effectus, & formas specialiter affines effectibus, & formis sibi connaturalibus, & promotiuas eorumdem intrà proprium cuiusque genus, & perfectionem peculiarem. Quo supposito ex dicendis ibi, clarè apparet intellectū sola specie impressa Dei, nullaque alia qualitate esse iuuabilem, ac elevabilem diuinitùs ad visionem Dei. Certum siquidem est, intellectum solis speciebus impressis, nullaque alia qualitate, ac formaliuari, & perfici in ordine ad cognitiones sibi connaturales. Ergo lumen gloriæ, quo de facto iuuatur, ac elevatur intellectus Beati ad visionem Dei, nihil aliud esse potest, quam species impressa Dei.

Art. 7. Confirmatur. Ideò intellectus est elevabilis ad visionem Dei, quæ est perfecta ipsius cognitio, quia naturaliter elicit cognitionem Dei abstractiuam, quæ est imperfecta eius cognitio; potentia verò visiua materialis non est elevabilis ad eandem Dei visionē, quia nullam Dei cognitionem efficere, aut accipere naturaliter potest. Quæ est ratio discriminis assignata suprà q. præc. ad 3. & communiter à Theologis approbata vnicè. Ergo cùm intellectus sit naturaliter expers omnis luminis distincti ab speciebus impressis obiectorum, non secùs, ac potentia materialis visiua est naturaliter expers omnis cognitionis circa Deum; erit profectò intellectus similiter inelevabilis ad lumen, & per lumen distinctum ab speciebus; non secùs, ac potentia materialis visiua est inelevabilis ad Dei, rerúmque aliarum spiritualium cognitionem, siue eliciendam, siue recipiendam. Nempè vbi est eadem discrepantia, atque totalis exorbitantia rei ordinis supernaturalis à rebus ordinis naturalis respectu cuiusque potentiæ, non potest non esse eadem eiusdem potentiæ incapacitas Metaphysica, ac totalis ad talem rem supernaturalem; vtpotè non promotiuam ordinis naturalis intra genus suum, sed habentem se impertinenter ad hunc ordinem ideóque superuenturam potentiæ naturali, nulla præsupposita, ex parte ipsius, capacitate naturali respectu sui.

Art. 8. Probatur idem rursus ex natura intellectus, Intellectus enim ex suo conceptu est potentia purè assimilatiua, solúmque effectiua similitudinum; & imaginum formalium omnis generis obiectorum. Quapropter à Philosopho, & ab aliis communiter dicitur potentiam intellectiuam esse quodammodo omnia; quatenùs potest induere facies, & quasi colores, ac lineamenta rerum omnium; adiungendo sibi earum omnium similitudines, & imagines. Potentia autem hoc modo assimilatiua, & ad nihil aliud habens vllam intrinsecam habilitatem, & capacitatem, solum potest iuuari, ac promoueri in opere suo per comprincipia ex suo conceptu pariter assimilatiua, atque ideò contentiua, in hoc genere, eorum specialiter obiectorum, ad quorum cognitiones iuuari, ac promoueri absolutè potest per eadem comprincipia: sicut corpus vt plus, aut velociùs ascendat, vel descendat actione sua solū iuuari potest maiori, ac perfectiori granitate, & leuitate; & sic de similibus proportionaliter, absque vlla exceptione. Comprincipium autem ex sua natura specialiter assimilatiuū, respectu alicuius obiecti sola, potest esse species impressa. Quæ videlicet sola est ex suo conceptu contentiua intentionaliter huius, vel illius obiecti in particulari. Ergo lumen gloriæ, quo specialiter iuuatur, ac promouetur intellectus ad visionem Dei; id est ad perfectam ipsius, seu ad minus imperfectam similitudinem, ac imaginem formalem, nihil aliud esse potest, quàm species impressa Dei, quæ videlicet sola potest esse contentiua specialiter ipsius in genere intentionali.

Artic. 9. Confirmatur. Quia species impressæ rerum creatarum eatenùs præcisè possunt iuuare intel-

lectum; atque perducere ad cognitionem abstractiuam, & ænigmaticam Dei, quatenùs continent intentionaliter res ipsa creatas, quæ sunt similitudines physicæ Dei, ac proindè continent in se intentionaliter ipsum etiam Deum, non secundùm se, sed prout participatum à creaturis; atque præscindendo ab huiusmodi intentionali continentia, nihil prorsùs conferre possent ad cognitionem abstractiuam Dei. Ergo neque lumen gloriæ posset quidquam conferre ad visionem, & cognitionem perfectam Dei, si Deum ipsum secundùm se non contineret in se intentionaliter in actu primo, tanquam ipsius similitudo intentionalis virtualis. Quod quidem pertinet ad conceptum proprium, & differentialem speciei impressæ respectu cuiusque obiecti, vt est in se. Ergo lumen gloriæ, si non esset species impressa Dei, vt est in se, nihil conferre posset ad visionem Dei, vt est in se.

Art. 10. Probatur denique. Quia si Deus, per se ipsum exhiberet cõcursum obiectiuum immediatum, & vt quo, & vt quod, respectu visionis beatæ: eò ipso superflueret lumen gloriæ inhærens intrinsecè intellectui Beati, & consequenter non daretur de facto. Et similiter, si ponatur Deũ, per possibile, vel impossibile infundere Beato speciem impressam sui, vt est in se: superflueret eò ipso omnis alia qualitas iuuans beatum ad visionem Dei, & consequenter nulla talis qualitas daretur de facto. At non est superfluum lumen gloriæ, datúrque de facto. Ergo Deus nec exhibet, per se ipsum, concursum obiectiuum immediatum, vt quo, & vt quod; nec infundit Beato qualitatem vllã adiutricem ex parte actus primi distinctam ab specie impressa. Probatur sequela maioris. Quia ad cognitionem abstractiuam naturalem Dei ex creaturis, non indiget, nec vtitur intellectus vllo adiutorio distincto à concursu obiectiuo immediato, aut à specie impressa earundem creaturarum. Ergo neque ad cognitionem immediatè intuitiuam Dei, vt est in se, indigeret, aut vteretur idem intellectus adiutorio vllo distincto à concursu obiectiuo immediato Dei, aut à specie impressa ipsius, vt est in se.

Art. 11. Ratio huius paritatis est. Quia si principio eleuabili ab effectu connaturali ad effectum supernaturalem, tanta fiat proportialis additio perfectionis ex parte comprincipij supernaturalis vltra perfectionem comprincipij connaturalis, quanta facienda est additio ex parte effectus supernaturalis vltra perfectionem effectus connaturalis; eò ipso principium naturale redditur adæquatè sufficiens ad effectum supernaturalem; & quidquid vlteriùs superaddetur, erit superfluum, & consequenter impossibile ex natura rei. Concursus autem obiectiuus præstitus à Deo, vel per se ipsum immediatè, vel per speciem impressam propriam ipsius secundùm se, tantundem superat, excessu perfectionis, concursum obiectiuum præstitum à creaturis, vel per se ipsas immediatè, vel per species proprias ipsarum, quanto excessu perfectionis superat visio immediata Dei cognitionem abstractiuam eiusdem: quandoquidem, in prioribus vtriusque comparationis extremis prouenit excessus eodem proportialiter modo ab excessu Dei supra creaturas. Superflueret ergo lumen gloriæ, nec posset existere ex natura rei; si vel existeret species impressa propria Dei distincta realiter ab illo, vel Deus per se ipsum immediatè, exhiberet concursum obiectiuum in visionem sui. Non autem superfluit lumen gloriæ, & datur de facto. Ergo est indistinctum realiter ab specie impressa propria Dei; nec Deus immediatè per se ipsum concurrit obiectiuè, vt quo, & vt quod, ad visionem beatificam.

Ad 1. Est quidem Deus summè intelligibilis essentialiter, atque vltimò completus in ratione talis præcisè per se ipsum respectu sui, non tamen respectu intellectus creati, saltem ex natura rei. Quia intellectus creatus indiget, saltem ex natura rei, forma intrinsecè inhærente, disponente, ac eleuante ad visionem Dei. Quod cùm species impressa Dei præstare possit, Deus verò immediatè per se ipsum præstare non possit, vtpotè pertinens ad genus causæ formalis; patet speciem impressam Dei non esse essentialiter superuacaneam, sed potiùs necessariam, saltem ex natura rei, ad visionem creatam Dei, propter perfectionem intellectus creati coniunctam cum perfectione propria status beatifici.

Artic. 1. Ad 2. Res creatæ concurrunt ad cognitionem sui, quantum possunt, siue concurrant per se ipsas immediatè, siue per species impressas. Quia essentialiter sunt ordinatæ ad manifestandam gloriam Creatoris, quantum possunt; idque præstant per cognitionem sui. Eam proinde gignunt, quantum est ex se, omninò comprehensiuam, si non obstet imperfectio intellectus, cui cooperantur. Quapropter Deus etiam deberet necessariò communicare vnicuique intellectui creato cognitionem, & visionem sui, quantam absolutè communicare potest, siue per se immediatè, siue per speciem sui concurret ad illam obiectiuè; si teneret inductio ex creaturis respectu Dei. Sed non tenet. Quia visibilitas immediata Dei est sufficientia ipsius ad beatificandas substantias intellectuales creatas, iuxta mensuram, vel meritorum cuiusque, vel voluntatis suæ purè gratiosæ. Vnde sicut ad perfectionem specialem Dei, dominiique diuini spectat, ex sententia etiam aduersariorum, vt concurrat cum vnoquoque plus, vel minùs, prout ipsi placet, & congruit, siquidem obiectiuè concurrat immediatè per se ipsum solum: ita spectat ad eandem perfectionem specialem Dei, vt speciem impressam sui communicet vnicuique plus, vel minùs intensam, maiorisque, aut minoris sufficientiæ, iuxta eandem mensuram: nulli verò communicet, aut communicare possit speciem, quæ quantum est ex se, sufficiat ad comprehensionem ipsius Dei. Quia comprehensio Dei, & sufficientia ad ipsam, excedunt limites felicitatis creatæ, multò verò magis meritorum creaturæ.

Art. 2. Transmisso itaque, quòd sit de conceptu speciei impressæ obiecti creati, vt sufficiat, quantum est ex se, ad comprehensionem ipsius; negatur ad ipsum esse conceptu speciei impressæ, vt sic, & vt complectitur speciem etiam Dei, propter rationem, & paritatem datam. Conceditur præterea consequenter, tam perfectè cognosci posse Deum ab intellectu creato cum specie impressa ipsius, quàm cum concursu obiectiuo immediato eiusdem. Verùm sicut hic concursus potest esse, seu posset esse maior, & minor; ita species potest esse magis, & minus intensa; & vtfouis modo peræquè potest visio Dei euadere magis, & minus intensa, ac perfecta.

Articul. 3. Casus, qui fingitur, absentiæ obiecti formalis motiui repugnat specialiter speciei impressæ Dei, propter essentialem dependentiam ipsius à Deo, vt à causa sua, tum vniuersali, tum particulari. Deinde species impressa habet ex suo conceptu rationem instrumenti respectu obiecti, cuius est species; & comparatur cum intellectu, ad eum ferè modum, quo comparatur cum voluntate cognitio finis. Vnde assimili ratione repugnat speciei impressæ, & cognitioni qualicumque Dei, vt inducant se solis actus beatificos visionis,

nis, & fruitionis Dei, quin Deus ipse ad eos concurrat, quod tanquam motiuum formale immediatum ipsorum. Demum casuculi euentuum eiusmodi impossibilium possunt ab vnoquoque fingi, & retenta consequentia determinari, vt libet, absque præiudicio veritatis; cùm ex impossibili sequatur quidlibet re ipsa.

Ad 3. Non opus est multis. Ponatur, pro veritate antecedentis quodlibet fundamentum ad arbitrium obiicientis; & illud ipsum erit ratio discriminis pro consequenti. Nunquam enim fieri poterit, vt concessio dependentiæ immediatæ à Deo fundata in imperfectione entis creati vt sic, sit ratio æquè conuincens dependentiam immediatam, & adæquatam à Deo quoad rationes alias magis particulares, quatenùs tales. Deinde intellectus indiget, & est capax, vt perficiatur intrinsecè ad rationem particularem propriam suæ operationis, vt dictum est; non tamen est capax, ac proinde nec indiget, vt perficiatur intrinsecè ad rationem communem entis creati, quæ non continetur intra sphæram intellectus, quæque formaliter correspondet concursui vniuersali, vtpotè transcendenti omnes causalitates omnium, & singularum causarum secundarum. Quod dicitur de æquali perfectione vtriusque concursus diuini, nihil probat. Quia omnis concursus diuinus immediatus est prorsus idem, ex parte actus primi. & ex parte actus secundi, non spectatur, pro concursu vniuersali, perfectio prædicati producendi, sed imperfectio causæ secundæ essentialiter dependentis, qua causa secunda est, à cooperatione causæ primæ. Falsò denique supponitur concursum obiectiuum immediatum vt quo, respectu visionis Dei, spectare ad Deum ipsum ex natura rei, sicut spectat concursus vniuersalis immediatus. Quia superiora nostra argumenta, vt minimùm, probant non posse, saltem ex natura rei, exhiberi illum à Deo per se ipsum immediatè. Vnde paritas obiectionis non magis tenet contra nos circa speciem impressam Dei, quàm contra obiicientes ipsos, omnesque alios, circa lumen gloriæ, & circa quodlibet aliud comprincipium accidentale conferibile substantiis creatis; ideóque nihil absolutè conuincit.

Ad 4. Neque species impressa, neque expressa est æqualis perfectionis cum suo obiecto, ex conceptu suo. Quia neutra est similitudo physica obiecti, sed solùm intentionalis; illa virtualis, hæc formalis; id est, est similitudo diuersi, & generis, & ordinis, atque analogicè tantùm eiusdem. Vnde est indifferens, ex suo conceptu, ad excessum, & inferioritatem perfectionis ex parte vtriusuis extremi, & repugnans æqualitati physicæ inter vtrumque. At species obiectiua, id est, obiectum formale motiuum cognitionis, cum sit specificatiuum ipsius, & conferens illi, vt quod, seu tanquam causa principalis, perfectionem suam peculiarem; oportet, vt contineat in se formaliter, vel æquiualenter in proprio genere, perfectionem propriam obiecti materialis, cuius peculiarem, & quidditatiuam cognitionem gignere valet. Quod cùm repugnet cuilibet rei creatæ respectu Dei, vt est ex se latis manifestum, & demonstrat clarè D. Thomas quæstione 12. art. 2. & quidem rationibus nihil omninò concludentibus contra speciem impressam Dei, vt vel leuiter consideranti facilè apparet, & ostendit inter alios Fasolus dubit. illa 11. atque à nobis obseruabitur circa 7. constat rationem discriminis esse innegabilem; neque cognitionem, cuius motiuum formale immediatum, seu species obiectiua esset species impressa, aut visio Dei, forè tam perfectam; ac est visio ipsa immediatè terminata ad Deum, ipso solo mouente ad illam immediatè, atque specie ipsius impressa cooperante tantùm efficienter, & non nisi instrumentaliter, & vt quo.

Ad 5. Deus, non obstante vniformitate, tùm suæ præsentiæ localis ad omnes causas secundas, tum sufficientiæ suæ adæquatæ, ad quosuis earum effectus possibiles; concurrit nihilominùs cum singulis ad particulares effectus, vel hos, vel illos, iuxta dispositionem intrinsecam ipsarum, & iuxta exigentiam concursus diuini fundatam in eadem dispositione; nec oppositum fieri potest ex natura rei. Non igitur sufficit, saltem ex natura rei, Deum esse localiter præsentem intellectui creato, vt concurrat cum eo ad visionem sui immediatam; sed insuper requiritur, vt disponatur, ac perficiatur intrinsecè intellectus in ordine ad eandem visionem. Quod per solam speciem impressam Dei fieri potest, vt ostensum est suprà. Audiatur insuper D. Thomas quæst. 10. de Verit. art. 11. ad 11. *Quamvis Diuina essentia sit præsens intellectui nostro, non est tamen ei coniuncta, vt forma intelligibilis, quam intelligere possit, quamdiu lumine gloriæ non perficitur, ipsa enim mens non habet facultatem videndi Deum per essentiam, antequàm prædicto lumine gloriæ illustretur.* Cuiusmodi vtique illustratio, & nihil aliud, est munus proprium speciei impressæ. Paritas ex cognitione Angeli erga se, absque specie impressa sui, ideò non tenet; quia Angelus non solùm localiter est sibi præsens, sed præterea communicat se sibi intrinsecè per identitatem realem, quæ est summa communicatio perfectiua. Essentia verò diuina non est per se ipsam, præcisè communicatio sui, intrinsecè perfectiua, & specialiter dispositiua intellectus creati, vt patet.

Artic. 1. Ad 6. Species impressa non dicitur se tenere ex parte obiecti, quasi adiuuans actiuitate, & cooperatione sua actiuitatem, & operationem immediatam obiecti; quæ videlicet ab eo minimè exercetur, cùm datur species; quare in hoc genere species impressa se tenet præcisè parte intellectus; cuius videlicet solam actiuitatem, & operationem immediatam iuuat actiuitate, & cooperatione sua. Igitur species impressa tenet se ex parte obiecti in genere causæ formalis, quatenùs est similitudo intentionalis virtualis ipsius, estque instrumentum eiusdem ad iuuandum intellectum in sua operatione. At in genere causæ efficientis tenet se præcisè ex parte intellectus, non secùs ac se tenet, ex parte voluntatis, habitus charitatis. Quapropter eadem re ipsa indiuisibilis qualitas dicitur species relatè ad obiectum, quod præ se fert, seu cuius est similitudo; lumen verò, relatè ad intellectum, quem iuuat ad videndum, & illustrat, atque confortat: sicut idem modus dicitur actio, & passio, relatè ad agens, & passum: eadem gratia habitualis dicitur adoptio, & puritas, atque sanctificatio, relatè ad Deum, & hominem: Idem actus charitatis amor, & odium, relatè ad Deum & peccatum; & sic de aliis eiusmodi. Hoc igitur, quòd species impressa se teneat ex parte obiecti, est pura, quædam æquiuocatio, & fallacia figuræ dictionis.

Artic. 2. Ad primam confirmationem. Potentia pendens à priori alia potentia, indiget pluribus ad suam operationem siue naturalem, siue supernaturalem perfectè exercendam; nempè iisdem proportionaliter, quibus indiget potentia natura prior, & insuper operatione, seu effectu eiusdem potentiæ naturæ prioris. Hinc voluntas etiam in ordine naturali;

vltra cognitionem submministratam ab intellectu, vtitur habitibus conferentibus ipsi facultatem suauiter, delectabiliter, ac permanenter operandi. Quæ circumstantia est propria, & peculiaris huius potentiæ. Idem consequenter contingit in ordine supernaturali, propter necessariam ordinis naturalis imitationem superiùs obseruatam in ipso, & exponendam specialiter quoad hoc punctum qq. de Habitibus.

Art. 3. Ad posteriorem confirmationem. Ex secunda nostra probatione art. 8. & 9. apparet omnes habitus intellectuales, atque adeò, & habitum fidei, esse indistinctos ab speciebus impressis. Verùm, Quia ad actum fidei, præter speciem impressam auctoritatis, locutionisque diuinæ indistinctam ab habitu fidei, sunt necessariæ species impressæ credibiliũ, & credibilitatis, nec non actus phantasiæ, & simplices apprehensiones illis correspondentes; propterea non potest credere paruulus præhabens habitum fidei, donec ea omnia acquirat dependenter à sensibus.

Art. 1. Ad 7. Quis nescit existentiam auxilij efficacis; gratiæ habitualis, vnionis hypostaticæ; huiusque ipsius, de qua agitur, visionis, certam ex fide; simulque controuersam indistinctionem eorum à physica prædeterminatione; ab habitu charitatis; ab entitate modali; à similitudine expressa; à verbo mentis; & sic de aliis quàm pluribus? Similiter ergo in præsenti definitũ est à Concilio Viennensi, sub nomine, & conceptu luminis gloriæ adiutoriũ supernaturale necessarium ad videndum Deum, relicta simul Theologis libertate examinandi eius naturam, & munus, sub aliis vocibus, atque conceptibus, ideóque negandi sub illis eandem realiter, seu materialiter entitatem, quam necesse est affirmare sub priori voce, & conceptu. Quod nullius est incommodi, attenta imperfectione, tenuitate, & inadæquatione intellectus humani, maximè respectu rerum supernaturalium.

Articul. 2. Quod additur, negari à plerisque Theologis speciem impressam Dei, vt est in se; verum est; sed dissident vsque adeò inter se, sibique inuicem displicent quoad fundamenta, vt sua ipsorum mutua censura videantur non tanti faciendi in hac re. Præterea plerique eorum admittunt speciem expressam Dei, quæ negari nequaquam debet, vt in quæstione præcedenti ad 7. breuiter, sed efficaciter ostensum est. Admissa autem ea specie, committitur inconsequentia nimiùm manifesta in neganda specie impressa, saltem vt possibili; vtpotè imperfectiori intra idem genus. Deindè sunt etiam satis multi auctores pro nostra sententia. Et quod caput est; illi potiùs fauet, quàm oppositæ, D. Thomas. Quam in rem libet aliqua ex ipso obseruare, ac breuiter expendere.

Artic. 3. Adscribit imprimis sæpè D. Thomas lumini gloriæ similitudinem Dei; intentionalem vtique, & effectiuam; cum similitudo purè physica cum Deo communis rebus omnibus creatis incongruenter, ac perperam toties in illo obseruaretur, tanquam quid peculiare. Eiusmodi autem similitudo est vnica differentialis ratio speciei impressæ ab aliis qualitatibus, vt liquet ex principio tradito ab eodem S. Doctore infrà quæstione 85. articul. 8. ad 3. *Similitudo* ait, *per quam intelligimus, est species cogniti in cognoscente.* Audiatur iam in ista quæstione 12. art. 2. ad medium. *Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte potentiæ visiuæ, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum.* Est autem efficax per lumen gloriæ. Vnde in fine cap. *Dicendum ergo* concludit, *quòd ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visiuæ potentiæ, scilicet lumen gloriæ diuinæ confortans intellectum ad videndum Deum.* Rursus ad 1. *Dicendum*, ait, *quòd auctoritas illa* (nempè 1. Ioann. 3. 2. *Cùm apparuerit, similes ei erimus*) *loquitur de similitudine, quæ est per participationem luminis gloriæ.* Manifestum autem est in eo testimonio Ioannis sermonem esse de similitudine intentionali, & propria speciei pertinentis ad intellectum; vt sola determinatio talis, vel talis speciei intellectualis, obiectiuæ scilicet, impressæ, vel expressæ, ad interpretem pertineat. Determinat verò ad speciem impressam D. Thomas dum reuocat eam similitudinem ad lumen, quod se tenet ex parte potentiæ intellectiuæ. Clariùs idem exprimit in art. 5. c. fine dicens: *Istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21. Quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem Beatorum Deum videntium. Et secundùm hoc lumen efficiuntur Dei formes, id est, Deo similes, secundùm illud* 1. Ioann. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Quibus ita exprimit identitatem speciei impressæ cum lumine gloriæ, vt non facilè appareat, quò pacto potuerit clariùs illam exprimere, nisi sub hac ipsa voce speciei impressæ; quam tamen neque affirmando, neque negando pronunciat vllibi D. Thomas, dum agit de hac materia.

Art. 4. Quapropter D. Thomas tùm in præsenti, tùm quæstione 10. de Verit. art. 11. In 4. dist. 49. q. 2. art. 1. lib. 3. contra gent. cap. 51. Quodl. 7. quæst. 1. art. 1. dum negat similitudinem creatam ad videndum Deum quidditatiuè, & vt est in se, solùm agit de similitudine obiectiua, quæ cognita immediatè ratione sui ducat mediatè in cognitionem Dei. Nec enim potest, nisi cum manifesta inconsequentia negare similitudinem creatam effectiuam visionis tenentem se in hoc genere ex parte potentiæ intellectiuæ, & quæ, quin cognoscatur immediatè ratione sui, inuet ad cognoscendum Deum immediatè ratione sui, reddatque intellectum capacem, qui in hoc genere moueatur immediatè per essentiam diuinam. Huiusmodi namque similitudinem semel atque iterum affirmat quàm clarissimè sub ea ipsa voce in locis modò indicatis; & de eius necessitate, ac existentia, procul dubio putauit, dubitari minimè posse, ex quo pro certo ponitur, ac demonstratur necessitas, & existentia luminis gloriæ, vt ipse ponit, ac demonstrat in dicto art. 5. Certè rationes, quibus vtitur in dicto art. 2. ad impugnandam similitudinem creatam Dei, ita sunt demonstratiuæ aduersus speciem obiectiuam, vt sint prorsùs ineptæ aduersus impressam, nec possint ipsius repugnantiæ, nisi perabsurdè accommodari.

Art. 5. In primis enim ratio dubitandi in argumento. *Sed contra* desumitur ex eo, quòd visio Dei non sit cognitio specularis, & ænigmatica. Quod nihil habet commune cum specie impressa. Quia hæc non inducit ad cognitionem sui obiecti, vt præcognita immediatè, & ratione sui; quod tamen est de conceptu ænigmatis, & cognitionis specularis. Deindè conclusio in corpore ad probandum præfixa statuit, pro videndo Deo, requiri quidem similitudinem Dei ex parte potentiæ visiuæ; at ex parte rei visæ, nec requiri, nec esse possibilem. Cuius conclusionis pars prior affirmatiua amplectitur speciem impressam, vt dictum est; posterior verò pars negatiua nullatenus tangit eandem; cùm species impressa non iuuet ad videndum, quatenùs visa, ac proindè non occurrat intellectui ex parte rei visæ. Et præterea ineptè distingueretur similitudo ex parte potentiæ, à similitudine ex parte obiecti, cum affirmatione vnius; & negatione alterius, si similitudo

litudo intrinsecè perficiens potentiam, eamque iuuans efficienter, quod solum est munus speciei impressæ, eo ipso esset directè, vel etiam indirectè similitudo tenens se ex parte rei visæ. Indè enim fieret, vt prior pars conclusionis pugnaret directè, vel saltem indirectè, cum parte posteriori. Eadem consideratio æquè cadit in illationem, quam deducit in fine Corporis. Quæ videlicet eodem prorsus modo exprimit, quod initio probandum propositum erat.

Art. 6. Prima ratio interposita conclusioni, & illationi ad probandam secundam partem negatiuam, desumitur ex auctoritate Dionysij dicentis. *Per similitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora, posse cognosci.* Quod esset absurde, si ageretur de specie impressa creata Dei, vel sola, vel coniuncta cum obiectiua. Quia nemo ponentium talem speciem dicit eam esse similitudinem inferioris ordinis rerum, sed esse similitudinem solius Dei. Secunda, & tertia, eademque postrema ratio assumunt diuinam essentiam esse ipsum esse eius; esse aliquod incircumscriptum, continens in se supereminenter omnia intelligibilia; atque nihil creatum huiusmodi esse posse. Quod non minùs ineptè dirigeretur contra speciem impressam; quandoquidem apud omnes admittentes tales species, certum, ac manifestum est, non esse de ratione ipsarum, vt sint tantæ perfectionis, quanta est perfectio obiectorum, aut vt sint, in eodem cum ipsis gradu entis, & modi essendi physici, constitutæ; ac proinde speciem impressam Angeli, alteriusue substantiæ, non esse physicè Angelum, aut substantiam, & ens per se, aut naturam intellectiuam; & sic de aliis. Ergo ex illis principiis, ne quidem apparenter inferri potuit directè saltem, & immediatè, vt infert D. Thomas repugnantiam speciei, de qua agit, repugnare speciem impressam Dei, sed ostendendum insuper fuisset esse de conceptu speciei impressæ Dei, licet non sit de conceptu aliarum specierum impressarum, vt sit tantæ perfectionis, quantæ est Deus; vtque habeat eundem modum essendi, quem habet Deus. Quod tamen non tentauit ostendere D. Thomas, quia ad scopum eius nihil attinebat, vt ostenderet; & quia ostendi nullo pacto potest: sicut nec ostendi potest id ipsum esse de conceptu visionis, repræsentationis, & similitudinis intentionalis formalis Dei.

Art. 7. adde post prædictas tres rationes adiungi à D. Thoma præambulam istam illationem. *Vnde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere diuinam essentiam non videri* (sed videlicet solam aliquam rem creatam.) *Quod est erroneum.* Quod nemo non videt, quàm aptè cadat, quoad rem illatam, & quoad eius censuram, suprà speciem obiectiuam creatam Dei respectu Beatorum; & tamen res illata minimè congruit speciei impressæ Dei. Quia hæc species non inseruit videnti, vt visa, sed tantùm, vt efficiens visionem obiecti à se distincti, cuius est species. Multò verò minùs inuti potuit censura tam grauis eidem speciei impressæ, vel secundùm se, vel secundùm consequentias ipsius tàm clarè patentes, quàm clarè contendit D. Thomas patere eas, quas ipse deducit, cùm hæc species asseratur existens à pluribus Catholicis DD. & à longè pluribus, vt possibilis, ijdemque magna cum probabilitate respondeant ad omnia argumenta in contrarium. Adde rursus ijsdem istis rationibus vti vbique D. Thomam, & nulla alia quoad substantiam, dum impugnat speciem creatam Dei, atque ideò nullibi impugnare voluisse speciem impressam Dei, sed solam obiectiuam; ne dicatur, quod dici non potest, absurdissimè tantum Doctorem contra illam disputasse. Verùm eam vbique fuisse intentionem Sancti Doctoris apparet sponte absque vllius ponderationis adminiculo ex lect. 4. ad cap. 14. epist. 1. ad Corinth. Ibi enim circa illud; *tunc autem facie ad faciem* producit aduersus speciem Dei creatam simul, & beatificam easdem omnes rationes nuper ponderatas, & concludit sic: *Vnde ponere; quod Deus videatur solum per similitudinem, seu per quandam refulgentiam claritatis suæ, est ponere diuinam essentiam non videri. Et præterea cum anima sit quædam similitudo Dei, visio illa non magis esset specularis, & ænigmatica, quæ est in via, quàm visio clara, & aperta, quæ repromittitur Sanctis in gloria, & in qua erit beatitudo nostra. Vnde Augustinus dicit hic in glossa, quod visio Dei, quæ est per similitudinem, pertinet ad visionem speculi, & ænigmatis. Sequeretur etiam, quod beatitudo hominis vltima esset in alio, quàm in ipso Deo, quod est alienum à fide. Naturale etiam hominis desiderium, quod est perueniendi ad primam rerum causam, & cognoscendi ipsam per seipsam, esset inane.* Hæc ibi, ex quibus apparet clarè conatum Doctoris Angelici totum vbique fuisse aduersus solam speciem obiectiuam Dei, quæ cognita ratione sui duceret ad cognitionem Dei, vt obiecti mediati, ac materialis.

Art. 8. Neque hinc sequitur, quod nonnullos moueat, defectuosam esse doctrinam D. Thomæ; quasi nullibi egerit de specie impressa Dei. Agit enim de ipsa eamque affirmat, vbicumque agit de lumine gloriæ, ipsumque affirmat, vt apparet ex verbis eius suprà ponderatis. Video, difficulter ad hoc credendum adduci eos posse, qui assueuere magnæ æstimationi quæstionis de specie impressa Dei, post admissam necessitatem, & existentiam luminis gloriæ, & post reiectam possibilitatem speciei obiectiuæ Dei; & præterea sensim sine sensu, vel cum sensu blandiuntur sibi de similitudine sui cum D. Thoma in librandis momentis rerum Theologicarum; nec satis aduertunt discrimen initio notatum inter speciem creatam Dei obiectiuam, & impressam aut non valent retrotrahere intellectum ad statum rerum pro tempore longè priori, & apud Auctores antiquiores. Cæterùm qui ad hæc omnia aduerterit animum diligenter, spero fore, vt facilè acquiescat iis, quæ dicta sunt de mente D. Thomæ.

Art. 9. Id in contrarium mouere neminem debet, quo tamen maximè omnium mouentur plerique aduersariorum, quod D. Thomas sæpiùs, ac multipliciter vrget, præsertim in locis suprà indicatis de veritate, & in 4. nempè nullum dari medium, vel vt quod, vel vt quo, per quod videatur diuina essentia, ipsámque diuinam essentiam esse, & quod videtur, & quo videtur; ac proinde solùm dari medium sub quo, quod est lumen gloriæ. Hoc, inquam, neminem monere debet; cùm sit vsque adeò frequens apud D. Thomam, aliósque Auctores diuisio rationis formalis obiectiuæ concurrentis ad cognitionem, & visionem sui, quatenùs visa, & cognita est, in rationem formalem *quæ* & rationem formalem *qua*. Quo pacto dicitur communiter lumen corporale esse, quo vident oculi colores; Colores verò ipsos esse, qui videntur. Et eodem pacto respectu cuiusque potentiæ, & habitus, dici solet ratio formalis *qua*, quæ est vniformiter vniuersalis respectu ipsius secundùm omnes eius actus; ratio verò formalis *quæ*, quæ non est ita vniuersalis. Intentio igitur D. Thomæ est, excludere à visione Dei omne, & solùm tale medium, dum excludit medium *quod* & *quo*, & *in quo* creatum; simulque admittere speciem impressam, dum admittit medium creatum *sub quo*; id est, lumen gloriæ, iuxta dicta.

QVÆSTIO XIII.

Utrum videntes Deum videant cum inæquali perfectione?

VIDETVR non esse possibilem talem inæqualitatem perfectionis. 1. Quia repugnat aliquid videri perfectius ab vno, quàm ab alio, quin vnus videat plus, alius minus. Nequit enim manifestatio, & repræsentatio esse maior, ac perfectior vna, quàm alia, si per vtramque idem prorsus assequatur intellectus: sicut non potest vnus cursus esse velocior, quam alius, si non peragatur plus spatij per vnum, quàm per alium intra idem tempus; & sic de similibus. In Deo autem, inque eius essentia secundùm se non datur plus, & minus; cùm sit omninò indiuisibilis, & perfectè simplex. Ergo vna visio Dei non potest esse perfectior, quàm alia.

2. Omnis præcisio intellectus, omnisque distinctio rationis dependet à distinctione reali motiuorum. Quia intellectus operatur iuxta motionem obiecti. Vndè sicut fieri non potest, vt vna cognitio differat specie ab alia, quin motiuum vnius differat specie à motiuo alterius; ita fieri non potest, vt vna cognitio sit magis præcisiua, quàm alia, seu minùs perfecta, quàm alia, quin obiectum moueat ad vnam cognitionem secundùm pauciores formalitates, quàm ad aliam. In essentia autem Diuina, quæ secundùm se præcisè, & vt est in se, est motiuum adæquatum visionis beatæ, non dantur aliæ, & aliæ formalitates, siue realiter, siue etiam virtualiter intrinsecè, vt patet ex q. 4. Ergo non potest secundùm plures formalitates mouere ad vnam sui visionem, quàm ad aliam.

3. Omnes Dei visiones existentes de facto, & possibiles absolutè, sunt eiusdem infimæ speciei iuxta communem sententiam; quia est vnum, & idem motiuum formale adæquatum omnium. Ergo omnes sunt æqualis perfectionis; quia ad omnes mouet Deus secundùm eandem, ideóque supereminenter æqualem perfectionem essentiæ suæ. Patet consequentia. Quia tam repugnat aliquid Diuinum esse magis, aut minùs perfectum, quàm aliquid aliud diuinum: quàm repugnat essentiam Diuinam distingui specie ab essentia Diuina. Ergo relatè ad Deum secundùm se, & vt est in se, tàm repugnat inæqualitas, quàm diuersitas specifica visionum.

4. Si fieri posset, vt videntium Deum alius alio perfectiùs videret, fieri quoque posset, vt aliquis tam imperfectè videret Deum, vt non discerneret Trinitatem Personarum, seu, vt non videret Personas Diuinas, iuxta sententiam Scoti; vtque non cognosceret vllam creaturam, siue existentem, siue possibilem, quod docet idem Auctor, pluresque alij; ac demum, vt non discerneret Deum à creatura ex vi visionis immediatæ Dei, sed solam cognosceret rationem communem entis, aut substantiæ, provt dicit Arriaga. Nempè nulla potest assignari ratio, quare perfectio visionis in talem vsque aliquem determinatum gradum decrescere possit, & non possit decrescere amplius. Hæc autem, quæ illata sunt, absurda sunt. Quia quicumque videt Deum immediatè, eò ipso est beatus, vt constat ex Apostolo nullum alium constituente discrimen beati à misero, nisi quòd ille cognoscit Deum facie ad faciem; hic verò in speculo, & in ænigmate, vt ostensum est quæstione 11. art 4. Nequit autem esse Beatus, qui nequit discernere, quænam persona sit, à qua sit beatus, & quæ sibi est auctor tanti boni. Multò verò minùs potest esse beatus, & concipere gaudium beatificum ex vi obiecti visi, qui solam cognoscit distinctè rationem communem entis, substantiæ, &c. aut nequit distinctè aduertere bonum, quod possidet, tantâ, vt minimùm, præditum esse potestate benefica, quanta inest ipsi videnti, ac possidenti; id est, tot, ac tanta, vt minimùm, fieri ab illo posse, quot fieri possunt ab ipso beato. Nulla igitur inæqualitas admittenda est possibilis in visionibus Dei.

5. Nulla inæqualitas visionum Dei prouenire potest ex maiori, vel minori intensione luminis gloriæ secundùm se præcisè. Quia lumen gloriæ est indistinctum ab specie impressa Dei vt dictum est suprà. Quælibet autem species impressa propria obiecti, vt est in se, est sufficiens, quantum est de se, ad comprehensionem ipsius. Quia quælibet species impressa est ipsum obiectum intentionaliter, & in esse intelligibilis, ideóque continet in se necessariò totam eius intelligibilitatem. Multò verò minùs prouenire potest eadem inæqualitas ex parte intellectus, magis, vel minùs perfecti. Primò, quia omnes formalitates visionis Dei sunt supernaturales. Ergo nihil conferre potest inæqualitas potentiæ naturalis ad augmentum, vel diminutionem illius secundùm aliquam ipsius formalitatem. Deindè, quia inde fieret præditum intellectu perfectiori nanciscì perfectiorem Dei visionem cum meritis æqualibus, aut etiam minoribus. Quod est absurdum contra fidem, quæ docet visionem Dei distribui iuxta mensuram meritorum, vt paulò pòst patebit art. 13. Istud ipsum inconueniens premitur aliunde magis. Quia lumen gloriæ non est tota ratio agendi, sed partialis tantummodò, intellectu simul agente partialiter immediatè etiam, vt quo, provt apparet, ex q. 28. de Gratia. Effectus autem pendens immediatè à duplici causa partiali crescit crescente vtralibet, si crescit crescente altera, nec consistit in indiuisibili. Ergo perfectio, & intensio visionis Dei consistit in indiuisibili.

Art. 1. Respondetur. Certum in primis est, Deum non comprehendi à Beatis, nec comprehendi posse ab vllo intellectu creato vtcumque eleuato, comprehensione propriè, & strictè sumpta, licet comprehendatur ab omnibus Beatis comprehensione latè sumpta; nempè sumpta pro assecutione, seu tentione, & possessione stabili. Certum inquam, est ex fide, vt positum est q. 11. ad 4. & pluribus efficaciter ostendit Montoya disput. 6. de scientia Dei à sect. 2. ad 8. Ratio est, quia, vt definit Augustinus epist. 111. de videndo Deo ad Paulinam, c. 9. *Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, vt nihil eius lateat videntem, seu, cuius fines circumspici possunt*, Quæ secunda pars, est expositio prioris, iuxta illud eiusdem l. 21. de Ciuit. c. 18. *Id, quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* & l. 83. q. 14. *Quod se comprehendit, finitum est sibi.* Vnde D. Thom. in 4. dist. 49. q. 2. art. 5. c. *Et ideo*, ait, *tunc dicitur aliquid per cognitionem comprehendi, quando cognitum stat sub actu virtutis cognoscitiuæ, & non excedit ipsum.* Itaque de ratione cognitionis comprehensiuæ est, vt in primis sit certa, clara, ac immediata; id est, visiua, vt dicit Augustinus, & tradit D. Thomas quæst. 12. art. 7. Deinde, vt sit iusta mensura perfectionis conuenientis obiecto; ita vt comprehensor ex vi suæ cognitionis dicere certò, ac distinctè possit: tantum, ac tale

tale est hoc, & neque plus, neque minus, aut aliter. Quod est adæquari cognitionem cognoscibilitati obiecti, tantamque esse perfectionem cognoscentis in ratione talis, quanta est perfectio obiecti in ratione cognoscibilis, & nihil super esse, seu formaliter, seu virtualiter ex parte obiecti, vltra id, quod distinctè apparet in cognitione; ad eum ferè modum, quo nihil corporis adæquatè contenti in alio corpore, sit extra ipsum continens. Hæc nimirum omnia sunt conuertibilia, & æquiualentia mutuò.

Art. 2. Repugnat autem, vt eo vsque perfectionis, & adæquationis pertingat virtus aliqua intellectiua creata comparatione Dei. Quia cognoscibilitas eius est simpliciter infinita; nempè veritas, & cognoscibilitas est vsque adeò perfectè conuertibilis cum ratione entis, eique commensurata, vt non solùm quodlibet ens sit cognoscibile, sed etiam quilibet gradus, ac modus essendi, ideòque tantundem in vnoquoque necesse sit crescere cognoscibilitatem, quantum crescit in eodem ratio essendi, & perfecto entitatiua, ex quocumque demum capite crescat. Cùm ergo esse Dei sit simpliciter infinitum, ac incircumscriptum, vt dictum est suprà, patet cognoscibilitatem quoque eius esse simpliciter infinitam, ac incircumscriptam. Repugnat autem virtus cognoscitiua creata simpliciter infinita, & incircumscripta. Repugnat igitur virtus cognoscitiua creata adæquate commensurata cognoscibilitati Dei, & quæ tantumdem cognoscat, quantum cognoscibilis est Deus; eumque ita in se contineat, vt non excedat, nec sit maior perfectio cognoscibilitatis, quàm cognitionis, vnaquaque considerata in proprio genere. Repugnat igitur Deum comprehendi propriè, & strictè ab intellectu creato.

Art. 3. Confirmatur; quia hoc est summum in cognitione diuina respectu sui, vt comprehendat se ipsum. Nec enim Deus habet maiorem virtutem cognoscitiuam, quàm cognoscibilitatem: aliàs haberet virtutem cognoscitiuam essentialiter otiosam, nec reducibilem in actum secundùm, saltem ex parte. Quia comprehenso Deo, nihil supereset cognoscibilitatis, circa quam illa exerceri possit. Nulla autem virtus cognoscitiua, aut cognitio creata tanta esse potest, quanta est virtus cognoscitiua, & cognitio diuina; Quandoquidem nihil creatum tantum esse potest, quantum est, quod quodammodò est summum in Deo. Nulla igitur virtus cognoscitiua, aut cognitio creata potest adæquari cognoscibilitati diuinæ.

Art. 4. Confirmatur rursus Quia, vt dicetur in quæst. sequenti virtus delectatiua cuiusque rei fundatur in cognoscibilitate ipsius; sicut delectabilitas actiua, & delectatio fundatur in virtute cognoscitiua, cognitione. Virtus autem delectatiua diuina est simpliciter infinita; cùm beatitudo Dei, quam habet ex seipso sit simpliciter infinita; ac proindè tam cognoscibilitas, quàm cognitio Dei de se ipso est simpliciter infinita. Eadem igitur ratione, qua repugnat virtutem fruitiuam, aut delectationem atque beatitudinem creatam esse simpliciter infinitam, aut tantam, quanta est vis delectandi, & delectatio, atque beatitudo diuina; repugnat etiam virtutem cognoscitiuam, aut cognitionem creatam esse tantam, quanta est cognoscibilitas, aut cognitio diuina; ac proinde repugnat alterutram ex illis alterutri ex his adæquari. Repugnat igitur cognitione creata Deum comprehendi.

Art. 5. Pro maiori intelligentia istarum confirtionum obseruanda est ratio, ob quam non tam facilè apparet magna perfectio sub conceptu magnæ cognoscibilitatis passiuæ, quàm sub conceptu magnæ virtutis cognoscitiuæ. Ratio autem est. Quia cognoscibilitas passiua est communis rebus omnibus etiam vilissimis; atque res ipsæ vilissimæ sunt maximè familiares, ac obuiæ cognitioni humanæ; vtpotè habitæ dependenter à sensibus, qui non sunt capaces nisi obiectorum vilium, & plerumque circa vilissima detinentur. Virtus autem cognoscendi solis est communis substantiis nobilioribus, & plerumque apprehenditur ab homine conceptu reflectente supra se ipsum, qua rationalis est, hoc est, qua valdè perfectus est, atque imago Dei est. Difficilius autem est emergere, ac erigi ad summa sub conceptu retinere affinitatem, & communionem quandam cum vilissimis, iisdemque familiarissimis rebus, quàm sub conceptu eleuato ad magna ab initio totius progressus.

Art. 6. Cæterùm, re tota intimiùs considerata, deprehenditur clarè cognoscibilitatem vniuscuiusque rei crescere iustè iuxta augmentum totius bonitatis, ac perfectionis ipsi conuenientis. Quia iuxta augmentum totius eiusdem perfectionis crescit in vnoquoque virtus delectatiua, seu gignendi maiorem delectationem. Quod non eget probatione. Virtus autem delectandi fundatur immediate in cognoscibilitate, sicut delectatio fundatur in cognitione. Ergo magnitudo, & perfectio cognoscibilitatis crescit in vnoquoque iuxta magnitudinem totius bonitatis, & perfectionis ipsi conuenientis. Quapropter cognoscibilitas passiua Dei, cuius bonitas est infinita simpliciter, est & ipsa simpliciter infinita, non minùs, aut aliter, quàm virtus cognoscitiua eiusdem. Eadem igitur ratione, qua repugnat creatura tantæ cognoscibilitatis passiuæ, quæ adæquet, & exhauriat totam virtutem cognoscitiuam diuinam, ita vt ea intensiuè comprehensa perfectè, nulla vlteriùs virtus cognoscendi supersit in Deo: repugnat etiam virtus cognoscitiua, & cognitio creata, quæ adæquet, ac exhauriat totam cognoscibilitatem Dei, ita vt nihil vlteriùs secundùm supersit in Deo, seu potiùs non possit Deus cognosci magis. Repugnat igitur cognitione creata comprehendi Deum.

Artic. 7. Ex incomprehensibilitate Dei sequitur nullum intellectum creatum posse videre in Deo omnes creaturas possibiles distinctè & clarè, secundùm omnes rationes ipsarum, omniaque prædicata, & combinationes mutuas. Quia, vt probat D. Thomas quæst. 12. articul. 8. eò plures effectus videntur in causa, quò perfectiùs videtur ipsa causa. Ergo in causa, quæ non potest perfectissimè videri secundùm totam eius cognoscibilitatem, seu non potest comprehendi; non possunt videri omnes effectus possibiles fieri à tali causa, secundùm totam cognoscibilitatem ipsorum. Et quidem causa vniuoca necessariò comprehenditur ab eo, qui in ipsa comprehendit eius effectum; cùm sit æqualis vtriusque cognoscibilitas. Eadem autem est ratio de causa æquiuoca. Quia nequit in ea videri perfectè effectus, quin simul videatur excessus causæ cum æquali perfectione. Ergo non possunt videri perfectè, & adæquatè omnes effectus causæ æquiuocæ, quin videatur simul perfectè, & adæquatè totus excessus causæ respectu ipsorum; atque adeò, quin comprehendatur ipsa causa.

Artic. 8. Vnde apparet, etsi non esset necessarius intellectus simpliciter infinitus, nec cognitio simpliciter infinita ad comprehensionem omnium creaturarum possibilium secundùm se præcisè, seu ad eas comprehendendas immediatè in se ipsis; non

inde sequi, nec etiam esse necessarium infinitatem simpliciter cognitionis, & cognoscentis ad comprehensionem earundem in Deo. Quia comprehensio creaturarum in Deo, includit in se perfectam cognitionem totius excessus Dei supra creaturas; ideóque includit in se perfectionem, & adæquationem cognitionis respectu Dei, simul cum perfectione, & adæquatione respectu creaturarum. Quod est plus in infinitum, quàm perfectio, & adæquatio respectu creaturarum tantùm.

Art. 9. Indidem rursus apparet, tametsi comprehensio ex.gr. hominis in Deo, non inferat comprehensionem potentiæ Dei, quatenùs valentis producere hominem, comprehensionem nihilominus omnium effectibilium à Deo, concludere comprehensionem simpliciter ipsius Dei. Quia causa adæquata hominis, quatenùs talis formaliter, includit in se perfectionem simpliciter infinitam; cùm nihil finitum possit esse causa omninò adæquata, & penitùs independens ab omni alia causa, respectu alicuius effectus, etiam minimi. Repugnat autem cognosci perfectè causam, quatenùs infinitam in ratione causæ, quin cognoscatur posse ab ipsa fieri aliquid maius homine. Repugnat igitur in terminis Deum comprehendi, quatenùs potentem efficere hominem, & nihilominus non cognosci possibilitatem aliorum effectuum præter hominem. Est autem eadem ratio, vt patet, de repugnantia comprehensionis Dei, quatenùs potentis efficere decem, aut centum, aut mille species rerum, & sic de quouis alio numero finito, quin cognoscatur Deum plura adhuc, & maiora efficere posse, atque ideò quin cognoscantur distinctè, ac comprehensiuè omnia possibilia.

Art. 10. Ex his omnibus apparet vlteriùs possibiles esse visiones Dei inter se inæquales, & qualibet positâ tantæ determinatè perfectionis possibilem semper supereesse aliam, atque aliam perfectiorem sine fine. Quia quælibet visio inæqualis, & defectuosa respectu Dei, adeóque finita, distat infinitè à perfectione, & cognoscibilitate Dei; & vltra quamlibet determinatam, ac finitam collectionem creaturarum cognitarum per eandem visionem, supersunt aliæ, atque aliæ possibiles sine fine, quoad numerum, & species. Eæque non minùs cognoscibiles in Deo, quantum est ex parte ipsius, quàm quæ supponuntur de facto cognitæ distinctè. Ergo posita qualibet visione Dei tantæ determinatè perfectionis supersunt possibiles aliæ, atque aliæ perfectiores visiones sine fine. Suppositio antecedentis, ipsumque antecedens patent ex dictis. Probatur consequentia. Quia inter ea, quæ distant inuicem infinitè, potest fieri additio sine fine ex parte extremi minoris, quin perueniatur ad æqualitatem cum extremo maiori. Perfectioni autem creatæ sola illa additio vlterioris perfectionis repugnat, per quam extrahitur à ratione finiti, & perducitur ad æqualitatem cum Deo. Nihil enim; quod fit minus Deo, repugnat fieri à Deo propter magnitudinem suæ perfectionis. Potest igitur efficere Deus visiones creatas sui qualibet data perfectiores, & perfectiores sine fine; magisque, ac magis expressiuas magnitudinis, & bonitatis suæ; & perfectè discretiuas plurium, ac plurium; & meliorum, ac meliorum creaturarum; tùm possibilium, tùm existentium.

Art. 11. Confirmatur; quia visio Dei est præmium meritorum respectu substantiarum rationalium vtentium ratione, dum sunt in via, iuxta illud: *Visio est tota merces.* Merita autem substantiarum rationalium possunt, & esse inter se inæqualia, & crescere sine fine; Quandoquidem liberè exhibentur ab vnoquoque plus, vel minùs operante, vt sibi placet, & durante plus, vel minus, & excitato pluries, vel rariùs, intensiùs, vel remissiùs, vt placet Deo. Cùm igitur oporteat præmium esse proportionale respectu meritorum, patet visiones Dei posse esse inuicem inæquales modo dicto.

Art. 12. Confirmatur rursus, & ponitur ob oculos clariùs huiusmodi inæqualitas visionum Dei, argumento à pari. Quia bonitas, & potentia Dei sunt simpliciter infinitæ; possunt efficere infinitas communicationes, & participationes, ac similitudines physicas sui, inter se inæquales, tametsi bonitas, & potentia Dei participabiles per effectus creatos, sint in se perfectè simplices, atque partium omnis generis prorsùs expertes. Ergo quia cognoscibilitas, & eadem potentia Dei sunt itidem infinitæ; possunt eodem modo efficere infinitas communicationes, & participationes, atque similitudines, & imagines intentionales sui inter se inæquales; id est, plus, & minùs exprimentes essentiam, omniáque prædicata Dei, non obstante indiuisibilitate, & perfecta vnitate ipsius. Nulla profectò apparet ratio, cur omnipotentia Dei in se indiuisibilis possit communicari inæqualiter diuersis causis secundis, itavt aliæ sint præstantiores, magisque similes ipsi physicè, quàm aliæ; & non possit similiter virtus cognoscitiua Dei, & cognitio intuitiua, quam habet de se ipso, tametsi indiuisibilis in se, communicari cum proportionali inæqualitate, virtutibus cognoscitiuis, & cognitionibus, atque intuitionibus creatis, quarum aliæ sint clariores, magisque similes virtuti cognoscitiuæ, & cognitioni diuinæ, quàm aliæ, quo ferè discursu, & comparatione vtitur in re simili D. Thomas quæst. 57. art. 2. post med.

Art. 13. Certum iam secundò est ex fide, istiusmodi inæqualitatem visionum dari de facto in Beatis, eásque singulis distribui magis vel minùs perfectas iuxta mensuram meritorum; quæ in vnoquoque præextitere maiora, vel minora, vt patet ex illo 2. ad Corinth. 9. 6. *Qui parcè seminat, parcè, & metet.* Vnde Tridentinum sess. 6. cap. 16. & can. 32. definit mensuram gloriæ correspondere mensuræ meritorum; & Florentinum in literis vnionis alium alio perfectiùs intueri Deum Trinum, & vnum, pro diuersitate meritorum. Nec obstat parabola operariorum accipientium æquale stipendium pro tempore inæquali laboris apud Matth. cap. 20. Quia inter alias expositiones probabiles, quæ videri possunt apud Vasquez disp. 47. cap. 3. aliosque in q. ista 12. art. 6. ea est obuia, & legitima, vti & communior apud Sanctos PP. aliosque interpretes, quæ illam exponit de meritis ortis ex maiori gratia, & exhibitis maiori conatu, ideóque æquantibus intra breue tempus merita segniùs, licet diuturniùs, laborantium.

Art. 14. Ista porrò inæqualitas visionum, licet in genere causæ efficientis proueniat ex meritis tanquam ex prima radice moraliter; proximè tamen, & immediatè prouenit physicè ex solo lumine gloriæ magis vel minùs intenso; non verò ex maiori, vel minori perfectione intellectus. Et quidem, quod inæqualitas luminis sufficiat ad inducendam inæqualitatem visionum, nemo dubitat. Quia lumen est principium eiusdem ordinis cum visione, & contentiuum formaliter rationis differentialis, & perfectionis propriæ, ac specialis repertæ in ipsa; vtpotè datum intellectui, vt determinet, ac iuuet ad talem determinatam speciem actus. Vnde inducere potest maiorem perfectionem eiusdem actus secundùm rationem specificam atomam, quò intensius, ac perfectius fuerit. Inæqualitatem autem intellectus nihil ex se præcisè ad hoc conferre, communior Theologo

logorum sententia est cum D. Thoma apertè illam supponente vt certam in dicto art. 6. cap. & ad 3 licet oppositum tuantur Smising. cum Scoto; & cæteris Scotistis, & Ripalda cum Molina, nonnullis aliis; nec non cum Caietano 3. p. quæst. 10. art. 4. circa 2.

Art. 15. Standum verò est pro communi sententia cum Suarez, Vasquez, Valent. & aliis. Ratio est, quia causa entitatiuè naturalis, quæ est eleuabilis ad effectus supernaturales, eum tantummodò perfectionis gradum communicare illis potest, quantum est ex se præcisè, qui est communis effectibus summè perfectis inter eos, qui sunt eidem causæ connaturales. Nulla namque causa potest habere vllam actiuitatem, & communicabilitatem suæ perfectionis necessariò otiosam ex natura rei, siue adæquatè, siue inadæquatè, solúmque supernaturaliter reducibilem in actum secundum, vti ostendetur in qq. de Sacramentis. Quapropter si eadem causa eleuetur ad genus effectuum supernaturalium, quorum nulli sit communis seu communicabilis illa ratio perfectionis, secundùm quam solam possunt esse inæquales effectus connaturales; sed illa tantummodò perfectio sit illis communicabilis, secundùm quam iidem effectus connaturales sunt omnes prorsùs æquales inter se; nulla profectò inæqualitas resultare poterit, ex tali causa entitatiuè naturali, in tale genus effectuum supernaturalium.

Art. 16. Intellectus autem, siue Angelicus, siue humanus, eatenùs præcise potest elicere cognitiones naturales inæqualis perfectionis, circa Deum quatenùs cognoscit Deum per ænigmata, seu per obiecta creata inæqualia, aut quatenus idem ænigma, seu obiectum creatum inæqualiter cognoscit. Neuter enim cognoscere potest Deum naturaliter, nisi ænigmaticè, & mediatè; atque omnis perfectio cognitionis circa obiectum mediate, ac ænigmatice cognitum, dependet ab eiusdem perfectione circa obiectum cognitum immediate, & ratione sui, & vt est in se. Cùm igitur nulla visio Dei sit, vlla ex parte, ænigmatica, sicut est ænigmatica fides supernaturalis; patet nullam inæqualitatem perfectionis redundare posse in visiones Dei præcise ex inæqualitate potentiæ intellectiuæ, siue angelicæ, siue humanæ; Esto, redundare indidem possit aliqua inæqualitas in actus fide supernaturali cum æquali habitu fidei. Nempè intellectui creato, ex quo est ænigmatum subsidio destitutus, quæ sola respicit immediatè actiuitas eius naturalis, sola relinquitur habilitas, & eleuabilitas ad cognitionem, & visionem Dei immediatam secundum rationem eius vniformiter communem, quantum est ex vi eiusdem intellectus secundum se præcisè considerari. Tota igitur inæqualitas visionum prouenit formaliter ex parte luminis magis, vel minùs intensi; ex parte verò intellectus, non nisi identice, & materialiter, vtpotè perfectè eatenus subordinati lumini.

Art. 17. Accedit iuxta sententiam oppositam non posse legitimè exponi, & ad instam correspondentiam reduci proportionem visionum cum meritis paulò prius stabilitam ex Euangelio, Concilio Tridentino, & Florentino. Quia si habenti minora merita, & magis perfectum intellectum conferatur lumen iusta proportione, minus pro minoritate meritorum, efficiet visionem maioris perfectionis; quàm quæ correspondet meritis, propter excessum ex parte intellectus. Si verò detrahatur aliquid ex intensione luminis propter eundem excessum ex parte intellectus, non poterit suppleri in visione per actiuitatem intellectus, quod deerit ex parte luminis. Quia quilibet gradus perfectionis conuenientis potentiæ naturali est longè inferior quolibet gradu perfectionis conuenientis lumini, nec fieri potest, vt redigantur ad æqualitatem additio ex parte potentiæ naturalis, & detractio ex parte comprincipij supernaturalis; cum hoc excedat propè infinite ex genere suo genus perfectionis proprium potentiæ naturalis. Nullo ergo pacto fieri poterit, vt seruetur proportio omninò iusta visionis cum meritis. Quod autem dici solet, inæqualitatem visionum prouenientem ex inæqualitate potentiæ naturalis esse materialem, nec formaliter pertinere ad rationem meriti, subsistere nequaquam potest; Quia Euangelium, & Concilia non solùm docent præmium fore inæquale pro inæqualitate meritorum; sed docent visionem, & messem fore inæqualem pro eorundem inæqualitate. Vnde non sola inæqualitas visionum non proportionata meritis aduersatur sacris documentis; dummodò inæqualitas sit formaliter penes visiones, quatenùs visiones Dei sunt, ita vt vna sit clarior, alia minùs clara respectu Dei. Quòd si inæqualitas visionum ex inæqualitate potentiæ naturalis diceretur esse penes prædicatum aliquod genericum vitalis, spiritualis, aut aliud simile, certaret quidem inconueniens Theologicum, sed superesset nihilominùs inconueniens Philosophicum, inducta inæqualitate penes rationem generica, absque simili inæqualitate penes rationem specificam adæquatè sumptam, cui subordinatur ex conceptu suo ratio generica. De quo aliàs.

Art. 18. Consequenter ad ea, quæ dicta sunt, dicendum vlterius est, inæqualitatem visionum prouenire ex parte motiui formalis, quod est essentia Diuina, plus, vel minus mouentis intellectum. Quia lumen gloriæ est indistinctum ab specie impressa Dei, vt dictum est supra. Quod autem præstat, vt quo species impressa obiecti, eo ipso præstat, vt quod, ipsum obiectum. Illa porrò inæqualitas motionis ex parte obiecti non in hoc consistit, quòd Deus moueat ad visiones sui secundum plures, vel pauciores suas formalitates: sicut quòd omnipotentia producat effectus purè physice inæquales, non in hoc consistit, quòd productio aliquorum effectuum proueniat à pluribus formalitatibus diuinis, quàm productio aliorum. Ad quasuis enim visiones, & ad quosuis alios effectus concurrit Deus secundùm se totum, & æqualiter secundùm omnes suas formalitates. Quia in prædicatis Dei absolutis, penes quæ sola est tota Dei actiuitas, & perfectio operatiua ad extra, non datur vlla distinctio, vt patet ex quæst. 4. præterquàm rationis extrinseca, à qua nequaquam dependat causalitas, seu motiua intentionaliter, seu physice effectiua; quæ videlicet exercetur a parte rei à diuinitate, vt est in se intrinsecè, & non prout consideratur à nobis mediantibus obiectis creatis. Igitur ea inæqualitas motionis in hoc præcise consistit, quòd Deus secundùm omnia sua prædicata influat inæqualiter cum alio, atque alio intellectu applicando se per liberum suum decretum immediatè, & mediatè per lumen, vnicuique intellectui ad producendum visionem magis, vel minus perfectam; & magis, vel minùs inadæquatam respectu cognoscibilitatis diuinæ, ita vt vniformiter crescat vel decrescat repræsentatio, & expressio diuinitatis in vnaquaque visione quoad omnia, & singula prædicata, & formalitates diuinas; quarum alia ab aliis solæ possunt præscindere cognitiones abstractiuæ Dei, propter interpositionem diuersorum obiectorum creatorum, vt expositum est q. 5. & 6. cùm è contra visiones omnes ferantur immediatè in Deum, vt est in se, ideóque versentur cum necessaria

cessaria vniformitate quoad omnia, & singula, quæ necessariò insunt Deo, siue perfectiùs, siue minùs perfectè ipsum attingant.

Art. 19. Quia verò inter prædicata necessaria Dei, eminent omnipotentia, omniscientia, & dominium vniuersale; atque hæc cognosci minimè possunt, quin cognoscatur, Deum omnia posse facere, omnia cognoscere, & esse liberum, vt faciat quidlibet, vel non faciat; quod perindè est, atque cognoscere omnia à Deo fieri, atque cognosci posse, eadèmque posse fieri, & non fieri: consequens est, vt quilibet Beatus necessariò videat in Deo omnia possibilia, saltem secundùm istam rationem communem. Distinctè autem, & cum expressione, quoad conceptum specificum, tùm subalternum, tùm infimum, tùm etiam individualem, eò plura vnusquisque videt, quò perfectiùs Deum videt, vt apparet ex illationibus superiùs adiunctis incomprehensibilitati Dei ab art. 7. Quoad cognitionem verò creaturarum existentium, non militat eadem ratio. Quia essentia Diuina, quæ est motiuum adæquatum omnis visionis beatæ, non habet connexionem determinatam cum existentia potiùs, quàm cum non existentia creaturarum; & cum existentia istarum potiùs, quàm aliarum. Vndè neutrum ex his extremis necesse est, vt determinatè appareat, aut simpliciter, aut secundùm magis, & minùs, ex vi visionis Dei, quatenùs magis, vel minùs perfectæ. Quapropter Deus peculiari libertate, vltra eam, quam exercet in conferenda visione sui, tantæ, vel tantæ perfections præscribit vnicuique tot, ac talium rerum, vt existentium, cognitionem in se ipso, tanquam in speculo, quoad hoc specialiter, ac seorsim voluntario. Qua de re plusçula determinanda, ac exponenda sunt in qq. de Beatitudine. Id pro nunc specialiter obseruandum est; non oportere, vt peculiari similiter libertate superaddatur peculiaris perfectio, ex parte luminis gloriæ, pro cognitione rerum, vt existentium, vltra eam perfectionem, quæ inest eidem pro cognitione earundem, vt possibilium. Quia visio existentiæ rerum creatarum in Deo nullam superaddit perfectionem peculiarem visioni possibilitatis earundem in eodem. Idque ob eam ipsam rationem, qua infrà ostendetur, scientiam diuinam visionis non superaddere vllam perfectionem peculiarem scientiæ simplicis intelligentiæ.

Art. 20. Demum in genere causæ formalis inæqualitas visionum reuocatur, vt patet, in maiorem, & minorem intensionem earum. An ista intensionis inæqualitas consurgat ex gradibus realiter inter se distinctis, iisque homogeneis, vel heterogeneis? An verò consistat in perfectione penitus simplici entitatiuè maiori vel minori ad eum modum, quo substantiæ sunt inuicem inæquales? Difficultas est huic cognitionum generi communis cum omnibus, & quibusuis cognitionibus, & pertinet ad libros de anima. Vnde in præsenti supponitur intensionem cognitionis, quidquid sit de aliis qualitatibus, non esse formaliter gradualem, sed tantùm æquiualenter; quatenùs vna cognitio, per entitatem in se realiter penitùs simplicem, est magis similis suo obiecto, quàm alia. Qui excessus similitudinis relatè ad eundem terminum, & sub eodem modo respiciendi illum, appellatur intensio; & eò maior, quò maior est similitudo. Ex his igitur omnibus liquet, possibiles esse, & dari de facto visiones Dei inæquales; & vndè ea inæqualitas proueniat in omni genere.

Art. 1. Ad 1. Non ob hoc dicitur non comprehendi Deus, aut minùs videri vna visione, quàm alia; quia aliquid Dei videtur, & aliquid aliud Dei non videtur; aut quia videntur plura ex parte ipsius per vnam visionem, quàm per aliam. Hæc enim est imaginatio orta ex assuetudine rerum materialium inuicem inæqualium, in quibus ex parte excedentis, excessus est diuisibilis à reliquo. Res autem spirituales inter se inæquales excedunt & exceduntur se totis; cùm sint partium expertes. Quia videlicet tota perfectio vnius est maior, quàm tota perfectio alterius; & si sit multò maior, erit inæqualitas valdè magna.

Art. 2. Ideò ergo nulla visione creata comprehenditur Deus, eóque minùs videtur vna visione, quàm alia; quia nulla est visio creata, cuius perfectio sit tanta in genere suo, quanta est perfectio cognoscibilitatis diuinæ in suo; & quia minor est perfectio vnius visionis; quàm alterius. Et licet per quamlibet visionem cognoscatur Deus esse infinitus; nullà tamen cognoscitur infinitè. Quia in nulla visione creata datur apparentia, repræsentatio, assimilatio intentionalis, aut claritas (quæ sunt prædicata inuicem æquiualentia) infinita; sed in alia maior, in alia minor; non extensione, aut coarctatione cognitionis ad plura, vel pauciora; sed augmento, & diminutione perfectionis circa idem secundùm idem.

Art. 3. Iam ratio, & perfectio cursus corporalis in hoc tota consistit, vt corpus transmittat ab vna parte spatij in aliam. Vnde perfectior, ac celerior esse non potest, quin transmittat corpus ad plures partes spatij intra idem tempus. At ratio, & perfectio cognitionis non includit in suo conceptu vllam comparationem sui cum partibus obiecti. Quia non est de ratione eius, vt versetur circa obiectum habens partes, aut etiam formalitates in se intrinsecè aliquo modo distinctas. Sola itaque est de ratione eius assimilatio obiecti, quæ potest esse maior inter totam vnam entitatem simplicem, & totam aliam itidem simplicem; quàm inter aliam, & aliam vt patet in comparatione Angelorum, inter se, & cum Deo.

Ad 2. Pro maiori perfectione, seu claritate, minorique præcisione vnius cognitionis præ alia non est opus pluritate reali motiuorum, aut motione obiecti secundùm plures formalitates. Sufficit enim, vt idem obiectum secundùm eadem formalitates plus moueat; sicut ad inæqualitatem aliorum effectuum sufficit, quòd omnipotentia plus, vel minùs agat, licet non agat secundùm plures, vel pauciores formalitates ex parte sui. Concursus autem essentiæ Diuinæ in visiones beatas est inæqualis iuxta inæqualitatem intensionis in lumine gloriæ, vt dictum est; Ideóque cum lumine, vt quatuor, gignit apparentiam, & manifestationem sui, vt quatuor; & vt octo, cum lumine, vt octo, &c. Apparet itaque Deus, vt infinitus, & vt talis manifestatur, atque æstimatur per quamlibet sui visionem; per nullam tamen visionem creatam id ipsum habetur infinitè, sed finitè propter finitatem concursus præstiti ab obiecto infinito, iuxta finitam capacitatem intellectus creati. Notanda est differentia inter distinctionem positiuam rationis, qua idem obiectum apparet tanquam aliud, & aliud, & diuiditur in plures formalitates logicè diuersas, & inter distinctionem rationis purè negatiuam, ob quam obiectum sortitur minorem apparentiam in intellectu, quàm sit cognoscibilitas, & entitas eius in se. Ad priorem distinctionem est necessaria pluralitas, & diuersitas obiectorum seorsim aliqualiter mouentium ad cognitiones vt patet ex dictis q. 5. Ad posteriorem distinctionem sufficit idem obiectum secundùm se præcisè minùs influere, quàm absolutè possit, vel quia ita libet, vel propter impedimentum accidentaliter interueniens, vel

propter

propter incapacitatem cognoscentis, vt apparet ex proximè dictis, & ex tota ista quæstione.

Art. 1. Ad 3. Necesse est, vt omnes cognitiones causatæ immediatè ab aliquo obiecto, ferantur in ipsum tanquam, in motiuum suum adæquatum cognitum ratione sui; non tamen necesse est, vt idem obiectum influat in omnes illas æquali influxu, vt modò dicebatur. Omnes autem cognitiones repræsentantes idem motiuum formale adæquatum, dicuntur communiter esse eiusdem speciei, & similiter dicuntur ab omnibus inæquales ij effectus, ad quos inæqualiter influit eorum causa. Licet igitur necesse sit omnes visiones Dei esse eiusdem speciei, iuxta modum loquendi magis communem: non tamen necesse est, omnes esse inter se æquales quoad intensionem.

Art. 2. Inquam, iuxta modum loquendi magis communem. Quia videtur esse controuersia de voce inter affirmantes, & negantes visiones Dei, quæ sunt intensione inæquales, esse eiusdem infimæ speciei: vti exponetur vniuersaliter in qq. de actibus humanis. Dici interim potest, visiones Dei inæquales esse diuersæ speciei Logicæ, Theologicæ verò eiusdem. Quia videlicet intensio inæqualis est prædicatum intrinsecum visionum, per quod inuicem discerni possunt, aptúmque proindè est ad abstractiones, & prædicationes diuersas; quo respicit Logicus. Et nihilominùs quælibet visio Dei vniformiter sufficit ad constituendum, videntem, possessorem summi boni, atque ad perfectam eiusdem felicitatem cum plena quiete appetitus; quò respicit Theologus, tanquam ad totam substantiam, & conceptum quidditatiuum rei, & cætera reputat velut accidentia, & circumstantias adiacentes substantiæ, ac essentiæ rei.

Art. 1. Ad 4. Personalitates Diuinæ nullam habent in se perfectionem peculiarem, vltra eam quæ est ipsis indiuisim communis cum essentia diuina, & est indistincta ab eadem essentia, etiam virtualiter intrinsecè: vt dicetur quæst. 40. Vnde sicut nullam aliam operationem ad extra exercere possunt, præterquàm indiuisim virtute essentiæ: ita neque motionem vllam intellectus creati præstare aliter possunt, quàm indiuisim virtute eiusdem essentiæ. Itaque essentia Diuina est tota ratio, totaque virtus mouendi intellectum creatum ad visionem immediatam tùm sui, tùm Personarum. Vnde Personæ diuinæ neque inter se, neque cum essentia vllam habent oppositionem, aut discrepantiam in ratione cognoscibilis immediatè, & vt sunt in se; sed cognoscibilitatem immediatam habent prorsùs communem, ac indiuiduam, non minùs, aut aliter, quàm essentiam; ipsáque essentia se sola est adæquata cognoscibilitas immediata, & sui, & Personarum. Repugnat igitur, vt essentia diuina vi sua exhibeat se se immediatè spectandam, vt est à parte rei, & non manifestet simul Trinitatem Personarum sub eodem prorsùs gradu claritatis, & expressionis, sub quo ipsa essentia diuina apparebit intuenti.

Art. 2. Multò minùs fieri potest, vt videatur Deus immediatè per speciem propriam, ac peculiarem, aut per concursum obiectiuum præstitum ab eodem immediatè se solo, & nihilominùs confundatur cum omnibus aliis rebus sub conceptu entis vt sic. Primò, quia authoritas Apostoli inducta in obiectione, ipsa quin etiam, apprehensio terminorum ita ad hoc cogunt, vt etsi nulla vlterior occurreret ratio, nullatenus esset dicendum oppositum, sed magis agnoscenda esset propria mentis insufficientia ad ostensionem veritatis. Deinde intellectus, quatenùs coniunctus cum specie propria, & peculiari alicuius obiecti in particuliari, eidemque cooperans directè, non est capax ad confundendum idem obiectum cum aliquo alio, sed necessariò accipit ab specie determinationem; quæ eidem speciei est intrinseca respectu sui obiecti particularis. Nempe intellectus operans independenter à sensu; & consequenter à distantia, & indistantia locali obiecti, non est capax nubecularum aliarumque indispositionum, quibus vitiato sensorio visus, corrumpitur directè visio corporalis, & indirectè mentalis, & vtraque impeditur à discretione vnius obiecti ab alio. Denique, respectu etiam visus corporalis, eò est faciliùs discernere vnum obiectum ab alio, & difficiliùs vtrumque confundere, quò maior est distantia, & differentia inter illa. Qua de causa est impossibile; vt qui re ipsa intuetur montem immediatè, confundat illum cum atomo, vel cicere, vtque dubitet, ex vi talis actus, vt præsentis, an quod videt, sit atomus, vel cicer, an mons. Quid igitur dicendum de intellectu purè intellectualiter, & immediatè intuenti Deum, cuius distantia à quouis alio obiecto est simpliciter infinita?

Art. 3. Quia verò eadem est indistantia sapientiæ, potentiæ, iustitiæ infinitæ, à quauis re finita, atque à sapientia, potentia, iustitia finita; idque non identicè tantum, ac materialiter; sed formaliter, & secundùm quod ipsum; propterea dicendum est, impossibile esse, vt quisquam immediatè videns Deum, non discernat ipsum formaliter, & expresè ab ente, tum insipiente, impotente, iniusto; tùm finitè sapiente, potente, iusto. Eadem est ratio de quibus suis aliis perfectionibus Diuinis non continentibus, secundùm suos conceptus formales, repetitionem sui mutuam, vel non mutuam. Qualis repetitio datur in perfectione spectante ad conceptum omnipotentiæ, dum concipitur, iam vt potentia adæquata ad producendum leonem, iam vt potentia adæquata ad producendum hominem. Vtrobique enim repetitur idem genus perfectionis cum sola quadam, & pura extensione ex parte obliqui. Quapropter huiusmodi formalitatum mutuò se includentium, & saltem inadæquatè repetentium expressio peculiaris pertinet ad solam maiorem intensionem cognitionis discernentis Deum à rebus creatis; nec necesse est, vt æqualiter insit omni immediatæ visioni Diuinæ essentiæ: sed potest esse maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem perfectionem visionis, vt dictum est suprà; tametsi necesse sit discerni per omnem visionem Deum trinum, & vnum, quoad omnes, & singulas perfectiones non repetentes se mutuò modo explicato. Quæ perfectiones dici communiter solent à Theologis primariæ; illæ verò aliæ mutuò se repetentes, secundariæ; quin tamen satis apertè tradatur ab iisdem communiter differentia denotata per eas voces.

Ad 5. Constitit iam suprà art. 5. totam inæqualitatem visionum Dei reuocari ad inæqualitatem intensionis in lumine gloriæ, nullámque eatenùs esse paritatem inter ipsum, & intellectum. Quoad sufficientiam porrò cuiuslibet speciei impressæ ad comprehensionem obiecti, reddita est ratio discriminis inter Deum, & obiecta creata in q. præcedenti ad 2. atque ibidem ostensa est paritas, & vniformis quoad hoc ratio inter concursum obiectiuum præstitum à Deo; tùm per se ipsum immediatè etiam, vt quo; tum per speciem impressam sui. Vnde vlteriùs deducitur; sicut per speciem impressam Dei non potest videri in Deo euentus non existentiæ simpliciter ipsius speciei; ita neque Deo concurrente obiectiuè per se ipsum immediatè posse videri in eodem euentu non concurrendi eo modo ad vllam visionem. Neutrum tamen horum derogat perfectioni, & conceptui, vel speciei impressæ

ressæ Dei, vel concursus obiectiui immediati. Quia non potest esse de conceptu, & perfectione instrumenti, vt inserviat ad actionem exclusiuam ipsius, & exercendam non interposito instrumento: Sicut neque est de conceptu, & perfectione actionis præstandæ immediatè à causa principali, vt sit indifferens ad vsum, & interpositionem instrumenti. Deinde speciei impressæ Dei, ex suo conceptu, insunt virtualiter, quæ insunt formaliter visioni Dei Nulla autem visione Dei videri potest in Deo, nullam existere visionem Dei, sicut nulla specie impressa videri potest nullam talem speciem existere; sed vna visione, & specie videri potest non existere visionem aliam, aut speciem.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Deus sit summè bonus, Pulcher & Perfectus?

VIDETVR non esse. Quia ratio bonitatis consistit in modo, specie, & ordine, vt habetur ex Augustino c. 3. de natura boni. Ratio verò pulchri consistit in debita partium proportione, vt habetur ex Dionysio cap. 4. de diu. nom. Ratio denique perfectionis consistit in consummatione facti, quasi totaliter facti, vt habetur ex Isidoro lib. 1. sentent. cap. 2. sent. 4. Nihil autem horum datur in Deo; vt potè non facto, nec habente partes proportionabiles, aut ordinabiles inuicem, aut mensurabiles; nec constituto in aliqua specie; cùm sit ens à se perfectè simplex, nec contentum in aliquo genere, vt suprà dictum est. Ergo Deus nec bonus, nec pulcher est, neque perfectus.

Art. 1. Respondetur. Transitus ab attributis negatiuis huc vsque explicatis ad positiua deinceps explicanda, incipit ab iis quæ sunt notissima, & priora; nempe à bonitate, pulchritudine, & perfectione. Bonum dicitur formaliter relatè ad appetitum; atque à Philosopho 1. Ethic. sub initium, & ab aliis communiter definitur. *Quod omnia appetunt.* Pulchrum verò dicitur formaliter relatè ad cognitionem, & secundariò relatè ad appetitum, atque à D. Thoma q. 5. art. 4. ad 1. & ab aliis communiter definitur. *Quod visum placet.* Ita videlicet, vt visio ipsa sit causa complacentiæ, non tantùm vt quo, seu tanquam propositio, & applicatio pura obiecti sed etiam, vt quod, & tanquam obiectum mouens, atque se ipsa, formaliter superaddens materiam complacentiæ. Perfectum nec relatè ad appetitum dicitur, nec relatè ad cognitionem, sed est conceptus absolutus, & nihilominus est conceptus ratione posterior comparatione, & boni, & pulchri; quatenùs est vltimum vtriusque complementum. Perfectum enim definitur ex Philos. 3. phis c. 6. & 5. Metap. c. 16. *Cui nihil deest eorum, quæ spectant ad ipsum* id est, quod nullam patitur priuationem bonitatis, aut pulchritudinis, cuius est capax.

Art. 2. Summum itaque & vniuersalissimum bonum, & pulchrum est, quod est appetibile respectu omnium, & singulorum, & expletiuum, ac satiatiuum omnis appetitus, & quod visum omni videnti summè placet; eodémque modo vniuersaliter, atque in omni genere, absque vlla limitatione, ac restrictione, perfectum est, cui nulla omninò deest ratio bonitatis, aut pulchritudinis absolutè, & simpliciter possibilis. Deus autem est appetibilis in primis vniuersaliter ab omnibus. Quia omnibus, quæcunque sunt, est causa, vt sint. Quare eadem necessitate, qua vnum quodque appetit suum esse, compellitur, vt appetat esse Dei, ex quo suum esse dependet. Impossibile siquidem est, vt appetens absolutè aliquid esse, non appetat eo ipso omne necessarium, & positiuè conferens, vt illud sit, maximè verò vnicam causam, à qua essentialiter illud dependet, & sine cuius influxu esse nequaquam potest: Consequenter Deus est satiatiuus, omnis appetitus. Quia est causatiuus, atque adeò contentiuus omnium appetibilium, ac proinde expletiuus, ac satiatiuus cuiusuis appetitus, sicut fons omniem aquarum esset extinctiuus omnis sitis. Est igitur summum, & vniuersalissimum bonum. Hinc deducitur summam quoque, & vniuersalissimam pulchritudinem ei conuenire. Quia pulchritudo fundatur in bonitate; ideò enim obiectum visum placet, quatenùs visum, & cognitum quia habet in se bonitatem, & perfectionem, quà est simile bonitati, & perfectioni potentiæ visiuæ, aut per quam conformatur ideæ bonitatis, & perfectionis præexistentis in eo, qui videt & contemplatur conformitatem rei visæ cum perfectione propria, aut cum idea perfectionis iam præhabita. Igitur Deus præhabens in se omnem bonitatem, & explens, ac superans omnem ideam bonitatis extrà se, habet etiam necessariò rationem summæ, & infinitæ pulchritudinis. Indidem vlteriùs concluditur Deum esse vniuersaliter, atque in omni genere absolutè perfectum. Quia præhabenti in se omnem bonitatem, & pulchritudinem absolutè possibilem, nulla potest deesse ratio bonitatis, aut pulchritudinis.

Art. 3. Prima, & summa horum omnium ratio est. Quia Deus, vt dictum est q. 2 est ens necessarium, & à se. Ens autem necessarium, vt ibidem ostensum est, necesse est, vt careat omni defectu, vtque præditum sit omni pura perfectione, ac bonitate. Et similiter est de conceptu entis à se, vt se solo sit sibi sufficiens ad suum esse, & consequenter, vt habeat secum identificatam omnem puram perfectionem, seu, vt communiter dicitur, omnem perfectionem simpliciter simplicem. Quia perfectio simpliciter simplex, ex definitione Anselmi c. 14. Monol. & c. 5. Prosol. est, quam melius est esse, quàm non esse, seu est prædicatum, quod absolutè, & non tantùm respectu huius, vel illius, est melius, & præstantiùs, atque æstimabilius quolibet incompossibili secum. Sicut esse sapientem dominatiuum, omnipotentem, aut aliquid simile, est melius quolibet non sapiente, non dominatiuo, non omnipotente, aut quolibet non simili. Consequenter esse collectionem, seu potiùs esse indiuisim essentiam eiusmodi omnium est melius quolibet eorum seorsim, id est, identitas eorum mutua præualet distinctioni cuiuslibet eorum à reliquis. Quod ex eo est manifestissimum; quia posito aliquod ex eiusmodi prædicatis distingui realiter ab aliquo ex eiusmodi alio prædicato, eséque incompossibile cum eodem, sequitur vtrumlibet eorum esse melius altero, ac proinde vtrumlibet esse minus bonum, quàm alterum, & consequenter quàm se ipsum. Clarissimum autem est, quod est sibi se solo sufficiens ad esse, esse melius quolibet similiter non sufficiente sibi, atque indigente alterius extra se subuentione. Manifestum igitur est, ens à se essentialiter esse omnem puram perfectionem, seu esse perfectionem simpliciter simplicem, & collectionem simplissimam omnium perfectionum simpliciter simplicium, atque adeò esse summam bonitatem summam pulchritudinem, summamque perfectionem per essentiam. Hæc igitur omnia est Deus per essentiã.

Ad

Ad rationem dubitandi, Deus est causa adæquata totius modi, speciei, & ordinis existentis in rebus creatis; nec non totius consonantiæ, & iustæ proportionis earum inter se, & cum qualibet ipsarum idea non fallaci; sibique ipsi est loco causæ. Quapropter continet in se eminenter, & meliori modo, omnem rationem bonitatis, pulchritudinis, & perfectionis rerum omnium, seclusis ipsarum imperfectionibus, rationæ quarum præcisè imperfectionum opponuntur inter se, & multiplicantur, & à quibus non abstrahunt definitiones ibi positæ, vt potè propriæ rerum creatarum. Quæ proindè definitiones, sicut & nomina primitùs imposita rebus creatis cum expressione imperfectionis earum, transferuntur ad Deum retenta sola, & pura perfectione significata per talia nomina, & definitiones, recisis omnibus imperfectionibus.

QVÆSTIO XV.

Vtrum Deus sit scientia comprehensiua sui, & aliorum omnium, ac singulorum in se?

VIDETVR non esse. 1. Quia scientia est habitus illatiuus conclusionis ex præmissis; ideoque est accidens inducens rationem causæ, & causati in eo, cui inest. Quæ includunt imperfectionem repugnantem Deo.

2. Intelligere est quoddam pati; est moueri ab obiecto, eique assimilari, vt habetur ex 3. de anima à text. 12. Deus autem est immobilis, & impassibilis, vt suprà dictum est; nec potest esse similis, aut sibi, vt per se patet, aut aliis extra se, vt docet D. Thomas q. 4. art. 3. ad 3. cum Dionysio c. 9. de diu. nom. & cum vtroque communiter alij. Ergo Deus nihil intelligit.

3. Repugnat actus intelligendi absque potentia ad intelligendum, perfectibili per actum, & consequenter absque specie obiecti intellecti, quæ est pars eius potentiæ. Repugnat autem Deo omnis potentialitas, & perfectibilitas; cùm per essentiam sit omnis perfectio, & pura actualitas ex qu. præcedenti.

4. Si Deus esset sua scientia, scientia Dei de se ipso esset pura quædam reflexio supra se ipsam. Quod repugnat ex terminis. Quia de conceptu reflexionis, & quasi reflexionis est, vt præsupponat, aut quasi præsupponat tendentiam directam ad aliquid aliud. Aliter enim nihil, aut erit, aut concipi poterit, supra quod cadat reflexio. Ergo Deus non est sua scientia.

5. Comprehensio præscribit limites, ac finem rei comprehensæ. Vnde Augustinus locis indicatis qu. 13. art. 1. ait. *Quod comprehendit se, finitum est sibi. Illud comprehenditur, cuius fines circumspici possunt. Quod scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.* Ergo, si Deus comprehenderet se ipsum, secundum suam cognitionem, seque iudice, esset finitus. Vnumquodque autem est absolutè, & in veritate, quale Deo videtur, non quale videtur nobis. Ergo ex data hypotesi, Deus esset ens finitum absolutè, & secundum veritatem; quod constat esse absurdum ex dictis qu. 7. Ergo implicat inesse Deo scientiam comprehensiuam sui.

6. Deus extra se, neque vniuersalia cognoscit, nec singularia. Quia cognitio vniuersalium est abstractiua, & præcisiua rationis communis à particularibus, ac proindè est inadæquata, & imperfecta. Cognitio verò singularium, seu particularium, manifestiùs est imperfecta. Quia indiuiduatio sumitur ex materia, ideoque eius cognitio pertinet ad solam potentiam cognoscitiuam materialem. Vnde in 2. de anima tex. 60. & 1. phys. text. 49. dicitur, quòd *Ratio est vniuersalium sensus verò particularium.* Neutra ergo cognitio Deo conuenit. Ergò Deus non cognoscit quidquam à se distinctum.

7. Infinitum, ex suo conceptu, est ignotum, & incomprehensibile. Quia aliquid eius semper est extra, vt habetur ex 3. phys. text. 63. Ideóque non potest totum intrà cognitionem aliquam contineri; & consequenter, nec comprehendi: cùm quod comprehenditur, scientis comprehensione finiatur, vt modò dicebatur ex August. Cognoscibilia autem distincta à Deo; tùm possibilia, tùm futura per æternitatem, sunt infinita: Ergo scientia Dei non est comprehensiua omnium, & singulorum distinctorum à Deo.

8. Deus, quatenùs cognitus in creaturis, apparet ad modum plurium, estque multiplex ratione, propter multiplicitatem realem illarum, vt dictum est q. 6. Ergo creaturæ, quatenùs cognitæ in Deo, apparent ad modum vnius, propter realem vnitatem, & simplicitatem ipsius. Ergo, si Deus cognoscit in se, quæ sunt extra ipsum, non cognoscit illa distinctè, & singulariter, vt sunt in se.

9. Quia perfectio Dei non reperitur in creaturis, nisi imperfectè, & inadæquatè; non potest Deus perfectè, & adæquatè cognosci in, & ex creaturis. Ergo, quia imperfectiones creatæ, per quas solas distinguuntur inter se creaturæ, nullatenùs reperiuntur in Deo; non potest Deus cognoscere in se ipso perfectè, & adæquatè imperfectiones, & distinctiones specificas, ac indiuiduales creaturarum.

Art. 1. Respondetur. Existentia scientiæ in Deo exprimitur Ecclesiastici 23. 28. Iob. 12. 13. Psal. 138. 5. & alibi propè infinities; & colligitur ex omnibus testimoniis comprobantibus processionem Verbi Diuini, reuelationes Diuinas, Dominium, & libertatem Dei, eiusdem beatitudinem, prouidentiam, prædestinationem, & reprobationem; beneficentiam, aliasque virtutes Diuinas. Quæ videlicet absque cognitione subsistere nequaquam possunt. Consequenter eadem veritas comprobatur indirectè iis omnibus rationibus, quibus hæc omnia, ac singula demonstrantur directè de Deo.

Art. 2. Probatur prætereà specialiter primò. Quia quælibet substantia intellectiua est melior qualibet non intellectiua. Deo autem nihil est melius. Secundò, quia Deus est causa adæquata mediata, vel immediata rerum omnium creatarum, atque adeò & substantiarum intellectualium. Nequit autem substantia non intelligens esse causa adæquata intelligentis. Quia nequit effectus esse perfectior sua causa adæquata. Quæ ratio deducitur ex Ps. 93. *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* Tertiò, quia Deus habet vniuersalitatem essendi, vt potè continens in se omnes, & singulas rerum omnium perfectiones, seclusis imperfectionibus, vt constat ex qu. præcedenti, & sæpè aliàs dictum est suprà; atque adeò caret omni prorsùs materialitate determinanti ad certum aliquod genus, & inducenti indiuiduationes discreuitas aliorum ab aliis entibus, eorumque restrictiuas, quo minùs habeant in se perfectiones peculiares aliorum. Huiusmodi autem amplitudo essendi, & exclusio restrictionis, atque coarctationis, est propria substantiæ intellectiuæ, iuxta illud Philosophi 3. de Anima text. 37. *Anima est quodammodo omnia; & intellectus est omnia fieri.* Deus igitur habens perfectissimè, & summè eam amplitudinem essendi,

& exclusionem eiusmodi coarctationis, est perfectissimè, & summè intelligens. Quæ est vnica ratio D. Thomæ pro hac veritate qu.14.ar.1. Multipliciter ab aliis, atque aliis, aut exposita, aut intricata.

Art. 3. Motiuum formale adæquatum scientiæ Dei est sola essentia Diuina, vt docent communiter Theologi ferè omnes, cum D. Thoma qu.ista 14. art.5. & 1. contra Gent. cap.49. Quia motiuum formale cuiusque cognitionis est obiectum, à quo ipsa specificatur, seu accipit perfectionem suam, & vi cuius per se, vel per speciem sui cooperantis intellectui, existit eadem cognitio. Nempè de hoc obiecto accipitur axioma apud omnes commune, auctoribus Philosopho, & August. *Ex obiecto, & potentia paritur notitia.* Neque secluſa ista acceptione obiecti formalis motiui, superesse potest vlla differentia realis inter ipsum, & obiectum formale purè terminatiuum. Omnes namque aliæ differentiæ fundantur in ista. Cùm, quoad terminationem immediatam, & continentiam intentionalem sui in cognitione, omninò inter se conueniant, quæcumque verè cognoscuntur. Patet autem scientiam Dei, si quidem est indistincta, tùm realiter, tùm virtualiter intrinsecè ab essentia Dei iuxta dicta superiùs de simplicitate Diuina qu. 3. & 4. non posse specificari, & accipere perfectionem suam, aut dependere per veram aliquam causalitatem à creaturis, aut à Personalitatibus diuinis, vt influentibus, vel immediatè per se ipsas, quod non indiget probatione; vel mediatè, per speciem impressam sui, quod probatur facilè.

Art. 4. Probatur, inquam. Quia essentia Diuina habet maiorem essendi vniuersalitatem, extensiuè quidem, & intensiuè, idque infinitè, quàm creaturæ; extensiue verò, quàm personalitates. Essentia enim diuina continet in se omnes creaturarum omnium perfectiones cum excessu infinito supra singulas, & supra collectionem omnium. Deinde eadem essentia est per identitatem realem, tùm tota Trinitas Personarum collectiuè, tùm vnaquæque Persona diuina seorsim. Quod ipsum nec toti eidem Trinitati, nec alicui seorsim Personæ conuenit, vt patet. Nequit autem quod, aut maius est, aut latiùs patet, existere vi, & causalitate, vel quasi causalitate, seu mediata, seu immediata ignobilioris, aut minùs vniuersalis. Igitur essentia Diuina est ratio, & causa, vel quasi causa suæ scientiæ; ideſt, sui ipsius; non vt species impressa, sed solùm, vt species obiectiua creaturarum, & Personalitatum; de qua specierum distinctione dictum est qu.12.art.1. & 2. Ergo sola essentia diuina est obiectum formale motiuum adæquatum scientiæ diuinæ adæquatè sumptæ; & creaturæ sunt obiectum purè materiale; Personalitates verò, licet realiter sint obiectum formale motiuum propter identitatem realem cum essentia; virtualiter tamen ratione sui formaliter sunt obiectum materiale, seu formale purè terminatiuum.

Art. 5. Quia verò essentia diuina non est minoris perfectionis, quatenùs est cognoscitiua, & actualis cognitio sui, quàm quatenùs cognoscibilis, & actualiter cognita per se ipsam; atque cognitio adæquans cognoscibilitatem sui obiecti est perfectè comprehensiua ipsius, vt patet ex dictis qu. 13. initio circa conceptum comprehensionis, patet scientiam Dei esse perfectè comprehensiuam essentiæ diuinæ. Rursùs, Quia comprehensa causa necesse est, vt eo ipso comprehendantur in eadem causa omnes, & singuli effectus contenti in illa adæquatè, vt ibidem dictum est, concluditur vlteriùs scientiam Dei esse comprehensiuam, omnium, & singulorum cognoscibilium quomodolibet distinctorum ab essentia diuina, eáque omnia, & singula cognosci in eadem essentia. Id quod innotesceret clariùs in progressu. Audiatur interim Dionysius exponens hæc omnia dilucidè cap. 7. de diu. nom. *Nec enim ea, quæ sunt, ex iis, quæ sunt, nouit diuina mens; sed ex se, & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet. Non quod per speciem singula consideret, sed quòd vno causæ complexu omnia sciat. Se ipsam ergo cognoscens diuina sapientia nouit omnia, sine materia ea, quæ materia constant, sine diuisione ea, quæ diuidua sunt.* Ista porrò indiuisio, & perfecta simplicitas scientiæ Dei, est præcipuus totius eius capitis scopus; & tota probatio nititur indiuisione, & simplicitate perfecta motiui formalis. Quapropter opponuntur Dionysio è diametro, non solùm Erice, & pauci alij tribuentes creaturis rationem motiui formalis partialis scientiæ Dei, quæ sanè est indigna opinatio, & paradoxa, sed etiam Montoya, & aliqui alij adscribentes eandem rationem motiui Relationibus diuinis pro vt distinctis virtualiter ab essentia Dei. Eo namque ipso adstruunt in motiuo scientiæ Dei diuisionem, & multiplicitatem, qualem non agnoscunt, & nefas est agnoscere in ipsa scientia: Ideoque contradicunt claré intentioni, & sententiæ Dionysij. Dicendum itaque est, Deum essentialiter esse scientiam comprehensiuam sui, & aliorum omnium in se, inque sola sua essentia.

Ad 1. 2. & 3. Nomina primitùs imposita perfectionibus creatis transferuntur vbique ad Deum secluſis earum imperfectionibus. Vnde nomine scientiæ intelligitur in Deo cognitio actualis, clara, & comprehensiua absque compositione, & diuisione; illatione conclusionis ex præmissionis; causa, & causato; habitu; specie impressa; potentia actiua, & passiua; motione, causalitate, & informatione propriè talibus: quæ videlicet omnia, quoad suam proprietatem, fundantur in limitatione potentiæ intellectiuæ non sufficientis sibi se sola ad intelligendum actualiter, nec habentis ex se præcisè vltimam determinationem, & puram actualitatem intelligendi. Huiusmodi autem potentia exponitur ibi à Philosopho; & nequaquam datur in Deo. Quia Deus eadem ratione, qua est ens à se, est etiam intellectio à se, non facta, aut concepta ad instar cuiusquam alterius; Ideoque non habens rationem imaginis, aut similitudinis, propriè talis, respectu cuiusquam alterius; sed potiùs exemplaris, & archetypi omnium aliorum. Cæterùm illa eadem dantur in Deo, ex modo nostro concipiendi apprehendente ex parte Dei potentiam metaphysicam, seu non repugnantiam intelligendi, & identitatem realem, ac virtualem intrinsecam cum cognitione, ad modum potentiæ actiuæ, & receptiuæ intellectionis à se distinctæ, & cognoscibilitatem metaphysicam, seu non repugnantiam, vt cognoscatur immediatè, & ratione sui, ad modum virtutis propriè motiuæ, & causantis cognitionem; & sic de aliis. In quo nullum est inconueniens. Quia nulla propterea admittitur reipsa, aut affirmatur imperfectio in Deo; sed solùm in nostro intellectu non valenti pro statu præsenti apprehendere vllam puram perfectionem, nisi ad instar perfectionis coniunctæ cum imperfectione, vt iam iterum notatum est suprà vniuersaliter.

Art. 1. ad 4. Scientia Dei de se ipso, quatenùs est cognitio omnipotentiæ, immensitatis, aliarumque perfectionum formaliter distinctarum ab ipsa cognitione, vt cognitio est, apprehenditur ad modum cognitionis purè directæ. Quatenùs verò nullum habet obiectum formale realiter, & virtualiter intrinsecè distinctum ab ipsa cognitione, apprehenditur ad modum cognitionis purè reflexæ. Re tamen ipsa cognitio Dei est media inter purè reflexam, & purè directam. Quia motiuum eius formale adæquatum, nec est vllo modo distinctum obiectiuè, & in se à cogni-

tione

sione, nec est pura cognitio nullum habens præditatum, & munus proprium, ac differentiale, præterquàm repræsentandi, & continendi in se aliquid intentionaliter; Cùm habeat infinitas prætereà formalitates, & perfectiones alias identificatas secum. Quo cessat inconueniens obiectionis. Dicatur itaque scientia Dei de se ipso, cognitio simul, atque indiuisim directa, & reflexa; vt potè complectens, formalitate reipsa penitùs simplici, totam perfectionem propriam vtriúsque.

Art. 2. An verò admittendus sit in diuina cognitione, processus syncategorematicè infinitus reflexionum distinctarum ratione nostra? (quod tenet sollicitos Montoyam, Herice, & nonnullos alios) res est mirabiliter leuis, & est ex eo genere rerum, quæ irrepserunt in disputationes, & libros Theologicos cum infamia Theologiæ apud non paucos. Admittatur porrò eiusmodi processus; quandoquidem supra quamlibet cognitionem creatam consurgere possunt sine fine aliæ, atque aliæ reflexiones realiter inter se distinctæ; atque fundamentum distinguendi ratione inter diuina est distinctio realis similium prædicatorum inter creata, vt suprà dictum est. Et quale inconueniens est intellectum finitum hærentem ænigmatis, non posse vnquam quiescere perfectè, aut inuenire finem in consideratione Diuinorum? De reipsa iam constitit non dari nisi vnicam reflexionem, seu quasi reflexionem in Deo.

Ad 5. Licet comprehensio corporalis fiat cum excessu rei comprehendentis, vltra eam, quæ comprehenditur, ad comprehensionem nihilominus intellectualem sufficit adæquatio intelligentis cum re intellecta. Ita videlicet, vt nihil lateat videntem; tantique sit apparentia obiecti in intellectu, quantùm est eiusdem esse in se ipso. Quare quod dicitur ab Augustino, & aliis, rem comprehensam finiri per comprehensionem, sumitur negatiuè tantùm; quatenus res comprehensa non protenditur vltra cognitionem. Ex quo fit, vt obiectum perindè comparetur cum cognitione infinita, qua comprehenditur; atque comparatur res vna finita cum re alia finita sibi æquali, & quarum vtralibet est quasi mensura alterius. Patet autem nullum esse inconueniens, quòd infinitum ita comparetur cum infinito. Iam verò quod existente adæquatione perfecta inter cognitionem, & cognoscibilitatem obiecti, cognitio dicatur comprehensio; ideoque significetur ad modum excedentis, puto ortum traxisse ex maiori apparentia perfectionis in cognitione, quàm in cognoscibilitate, cæteris paribus, iuxta considerationem adhibitam qu. 13. art. 5.

Ad 6. Deus cognoscit simul prædicata, quibus res creatæ inuicem conueniunt, & prædicata, quibus inuicem differunt; id est, ea prædicata, ratione quorum seorsim, sunt confusibiles sub eadem cognitione, & ea prædicata, ratione quorum sunt discernibiles mutuò. Quapropter Deus cognoscit vniuersalia æterna, ac infinita, absque vniuersalitate, confusione, ac præcisione ex parte suæ cognitionis; simulque cognoscit particularia, seu singularia, ac materialia, absque limitatione, & restrictione cognitionis suæ ad aliquid vnum finitum, ac limitatum. Vnde in cognitione diuina non datur imperfectio propria, aut intellectus abstrahentis, præscindentis, & confundentis; aut sensus restricti ad particularia, & contingentia. Sed alterutrius ex his perfectione coniuncta superabundanter cum perfectione alterius; excluditur à se imperfectiones vtriúsque. Nec video, quidquam aliud realiter subesse controuersiis longiusculis aliquorum circa hæc.

Ad 7. Suscipienti finitè, aut etiam sine fine, sed successiuè, ex infinito, semper supereſt aliquid extra. Idque solùm intendit Philosophus. At si infinitum se toto simul accipiat infinitum aliud, nihil opus est, vt supersit extra, nec fieri potest, vt supersit. Hoc autem modo cadit infinita Dei cognitio supra infinita creata, & possibilia, & futura. Quapropter in cognitione diuina dantur infinita actu, & categorematicè, actualitate cognitionis simplicis infinitorum, non verò actualitate ipsorum infinitorum, quæ cognoscuntur? Quæ distinctio est obseruanda, & inspicienda attentè pro vitandis sophismatis arguentium ex diuina infinitorum cognitione actualiter existente, possibilitatem infiniti creati categorematici; Id est, arguentium ex existentia cuiusdam in se simplicissimi circa infinita non existentia, possibilitatem, vt hæc eadem in se intrinsecè simul existant. Quod perindè est ridiculum, atque inferre possibilitatem coëxistentiæ assensus, & dissensus in eodem circa idem, ex simultanea cognitione circa eundem assensum, & dissensum, vt possibiles simul simultate possibilitatis, non verò simultate ipsorum, quæ possibilia sunt, sed de hoc aliàs.

Ad 8. Obiectum materiale potest cognosci perfectè, vt est in se, ex vi motiui formalis continentis illud perfectè, & adæquatè, vt est in se, secùs verò ex vi motiui non ita continentis. Creaturæ autem, ipsarumque multitudo continentur in Deo perfectè, & adæquatè; cùm Deus imperfectè tantùm, & inadæquatè contineatur in illis. Ergo ex imperfecta, & impropria cognitione Dei ad modum plurium dependenter à creaturis, non rectè colligitur imperfecta similiter, & impropria cognitio creaturarum ad modum vnius in Deo, maximè cognito comprehensiue, vti cognoscitur à se ipso.

Ad 9. Imperfectiones non possunt cognosci ratione sui. Quia consistunt adæquatè in negatione, aut priuatione, quarum neutra potest habere ratione sui formaliter vim vllam causatiuam cognitionis, & motiuam intellectus; cùm ista vis causatiua, & motiua sit prædicatum positiuum, vt pater. Quare solæ perfectiones, & prædicata sunt positiua obiecta formalia motiua cognitionis sui, & oppositarum imperfectionum; & eò plus vel minùs, quò sunt maiores vel minores perfectiones. Perfectiones igitur creatæ, quia sunt exiguæ, exiguum tantùm cognitionem causare possunt circa infinitam Dei perfectionem. Hæc verò, ob rationem contrariam, potest causare, seu quasi causare cognitionem adæquatam omnium, & quarumlibet imperfectionum absolutè possibilium, manifestando, quantum vnicuique rei communicari ipsa possit. In quo conceptu continetur magnitudo, tùm perfectionis, tùm imperfectionis possibilis in vnaqualibet re tùm seorsim considerata, tùm comparata cum aliis specie, & numero distinctis. Nec enim perfecte, & comprehensiue cognosceret se Deus, nisi perfectè, & comprehensiue cognosceret, quantum, & quibus communicabilis ipse sit, & quorum, & quotupliciter sit libere electiuus; Cùm hæc sint prædicata, & perfectiones essentiales ipsius.

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Deus cognoscat possibilia, mala, negationes, & entia rationis?

VIDETVR non cognoscere. 1. Quia ità se habet vnumquodque ad cognosci; sicut se habet ad esse, & tantundem præcisè veritatis, seu cognoscibilitatis habet, quantum habet entitatis. Ens namque, & verum sunt omnibus modis perfecte conuertibilia mutuò. Possibilia autem præcisè, vt possibilia, sunt in totali potentia ad esse, ideóque nihil actu participant de esse. Multò minùs conuenit esse malo, & negationi. Quia de conceptu vtriusque est pura exclusio ipsius esse, seu actualitatis, & perfectionis. Minime verò omnium conuenit esse enti rationis. Cui nimirum repugnat ex suo conceptu, vt sit in se intrinsecè; solúmque habet esse obiectiuè in intellectu fingente. Nihil igitur horum habet vllam veram cognoscibilitatem. Quod autem cognoscibile nullatenùs est, ne quidem à Deo cognosci potest.

2. Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum. Quia, vt arguunt Scotus, Vasquez, & alij, maior est necessitas existentiæ Dei, quàm possibilitatis creaturarum: Cùm Deus sit ens summè necessarium, & primum omnium necessariorum, vt liquet ex qu. 2. Præterea absurdum est, dicere Deum fore chimæram, repugnante Musca, ex. gr. & consequenter Deum dependere ab eius non repugnantia. Demum sufficienter, atque decentiùs intelligitur perfectio omnipotentiæ diuinæ, intellecta sufficientia eius, quantum est ex se, ad producendum omne possibile, cum indifferentia, ex parte eiusdem omnipotentiæ, vt dentur, vel non dentur possibilia extra Deum, siue absolutè, siue tot, & talia. Ergo nullum ex possibilibus extra Deum, est cognoscibile in Deo. Deus autem nihil cognoscere potest, nisi in se ipso, vt liquet ex quæst. præcedenti.

3. De conceptu scientiæ est similitudo eius cum scito. Nulla autem similitudo esse potest inter scientiam Dei, quæ est ipse Deus, ac proinde est purum esse; & negationem, quæ est purum non esse. Ergo negatio non potest esse scita à Deo.

4. Malum non est participatiuum Deitatis, quæ est purum bonum, vt dictum est suprà; nec opponitur Deitati, cui nihil est contrarium, vt dicit Augustinus l. 12. de Ciuit. c. 2. Nihil autem est cognoscibile in alio, nisi ratione similitudinis, aut oppositionis cum ipso. Ergo malum non est cognoscibile in Deo. Ergo nec est cognoscibile à Deo, qui nihil cognoscere potest, nisi in se ipso, & per se ipsum, vt dictum est.

5. Entia rationis, qui cognoscit, ille facit. Nec enim est aliud eorum fieri, quàm cognosci. Deus autem nequit facere entia rationis; quia nequit fingere. Ergo nequit cognoscere entia rationis.

Art. 1. Respondetur. Causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa; idest, dari potentiam actiuam causæ, & dari possibilitatem effectus; seu non repugnare, vt faciat causa, & non repugnare, vt fiat effectus, non solùm sunt mutuò conuertibilia logicè, ita vt alterutrum legitimè inferatur ex altero, sicut dari maius, & dari minus; dari maioritatem, & dari minoritatem, sed etiam sunt idem realiter, cum sola diuersitate modi in dicendo, & apprehendendo; sicut videre, & videri; amare, & amari; legere, & legi. Eadem est ratio de principiò electiuo, ac dominatiuo comparato cum obiecto eligibili, ac seruili; nec non de beneficio comparato cum beneficiabili; deque aliis eiusmodi. Quare neutrum ex huiusmodi extremis cognosci potest saltem perfectè, & comprehensiuè, quin simul cognoscatur alterum. Quia nihil cognosci potest perfectè & comprehensiue, manente incognito aliquo indistincto realiter ab ipso.

Art. 2. Cognoscit autem Deus comprehensiuè inesse sibi virtutem actiuam ad extra; se esse agens liberum, electiuum, & dominatiuum; posse conferre plura beneficia; abundare seruis; adoptare filios, eosque instruere, locupletare, beare; &c. idque non solùm conditionatè conditione pendente; quantum est ex parte Dei, seu proùentura aliundè, quàm à sua libera voluntate, sed etiam absolutè, & proximè. Quia hæc omnia prædicata secundum suum conceptum absolutum sunt perfectiones simpliciter simplices, vt potè oppositis prædicatis meliora, æstimabiliora, & optabiliora, non minùs, quàm esse immensum, æternum, esse à se, esse ens necessarium, & similia. Insunt autem Deo absolutè, & non tantùm conditionatè omnes perfectiones simpliciter simplices, vt dictum est suprà q. 14. & sæpe aliàs. Quarum perfectionũ vna est earundem cognitio perfecta, & comprehensiua. Ergò Deus, ex suo conceptu essentiali, est substantia libera, & electiua, non tantùm conditionatè, si dentur aliundè eligibilia, sed etiam absolutè; atque vt hoc ipsum cognoscat, sibi inesse, est similiter essentiale eidem; Idemque dicitur de aliis prædicatis modò enumeratis, & enumerabilibus in infinitum. Cognoscit igitur Deus perfectè, & comprehensiuè aliqua esse, extra ipsum, possibilia, eligibilia, conferibilia, &c. Dum cognoscit se ipsum comprehensiuè; nec fieri potest, vt comprehensionem sui habeat seiunctam, vel etiam virtualiter intrinsecè; à comprehensione illorum. Cognoscit igitur comprehensiuè, quot, & qualia eiusmodi omnia esse possint, ex vi comprehensionis perfectæ circa se ipsum.

Art. 3. Nequit autem comprehensiuè cognoscere Deus, quot, & qualia eiusmodi omnia esse possint, quin vlteriùs eadem ratione cognoscat quantum, & qualiter distent singula à perfectione, & summa bonitate sui ipsius, & ab ea, quæ est propria vniuscuiusque ex iisdem, nec non illa, quæ sunt contraria singulis, & plus; aut minùs nocentia, atque impeditiua bonorum. Quia cognitio horum omnium pertinet ad perfectã comprehensionem rerum cognitarum. Eadem igitur cum necessitate; & perfectione, cum qua cognoscit Deus se ipsum, cognoscit etiam imperfectiones, & mala omnia tum purè negatiua, tum priuatiuè, seu, & latè, & strictè talia. Nempè imperfectiones, & mala omnia adæquatè, & formaliter consistunt in tali, vel tali determinatè distantia à Deo, & à rebus aliis perfectioribus respectu cuiusque rei determinatè sumptæ, atque in exclusione bonorum, & perfectionis, quæ insunt Deo, & rebus aliis perfectioribus respectu cuiusque. Quia verò vnum genus imperfectionum, & malorum possibilium, sunt cognitiones fingentes, & aliter cognoscentes, ac denominantes obiecta, quàm sint in se, iisdemque congruat ex sua natura, & essentia; atque hoc genere cognitionum, aut diuidentium, quæ sunt in se coniuncta, ac identificata, aut componentium, quæ sunt inter se diuisa, ac distincta; fiunt, & constant entia rationis ficta; concluditur hæc quoque cognosci similiter à Deo in se ipso. Omnia igitur, & singula, de quorum cognitione quæsitum erat, cognoscuntur à Deo perfectè in se ipso. Recognoscatur locus insignis Dionysij notatus in q. præcedenti art. 3.

Art. 1. Ad. 1. Non est de ratione cognitionis sicut

est

est de ratione actionis physicè effectiuæ, vt habeat, aut inducat omnem suum terminum vt existentem in se intrinsecè. Quia repræsentari aliquid & existere exemplar, quod fit per cognitionem possibilitatis rei, neque est existere illud in se intrinsecè, neque cum tali eiusdem existentia connectitur ex conceptu suo; quandoquidem ipsum non existere, & indifferentia ad existendum, & non existendum, sunt repræsentabilia verè. Sufficit ergo ad terminandam cognitionem non minùs esse purè extrinsecum, ac denominatiuum, & tantùm secundùm quid, quàm esse intrinsecum, seu propriè & strictè tale, seu latè, & impropriè tale, nihilque perfectionis, aut bonitatis per se æstimabilis ponens à parte rei, & includens in suo conceptu. Huiusmodi autem esse, nec possibilibus præcisè, vt possibilibus deest, nec priuationi, aut malis, aut entibus rationis. Quia virtus causæ efficientis existens in se intrinsecè, denominat extrinsecè possibilia ea omnia, & singula, quæ in eadem continentur. Ratione namque eius continentiæ sunt significabiles passiuè, quatenùs possibiles effectus in ea contenti, & euadit vera enunciatio eius possibilitatis, vt initio obseruatum est.

Art. 2. Haud aliter existentia entis positiui incompossibilis intrinsecè cum eo, quod non existit, vel simpliciter, & secundùm se, vel in subiecto capaci, sufficit ad verificandam negationem existentiæ circa hoc posterius, propter denominationem extrinsecam non entis; seu non existentiæ, quæ ipsi communicatur ab existentia rei incompossibilis cum eodem. Sicut enim virtus causæ effectiuæ reddit, ac denominat possibilem effectum in ea contentum; reddit etiam, ac denominat non existentem, non ens; & impeditam, quo minùs sit, rem quamlibet, existentia rei alterius intrinsecè incompossibilis cum illa.

Art. 3. Similem denique entia realia sortiuntur denominationem entis ficti ratione cognitionis creatæ fingentis, seu concipientis illa secus, ac sunt à parte rei secundum suum conceptum quidditatiuum; & eatenùs sunt cognoscibilia verè entia rationis ficta, respectu cognitionis reflexæ cognoscentis obiectum reale, vt denominatur à cognitione directa fingenti. Sicut enim visio obiectum, circa quod versatur, denominat visum videndo, redditque cognoscibile verè, quatenùs visum, respectu cognitionis reflexæ, & amor amando denominat obiectum amatum, & reddit cognoscibile verè, quatenùs tale; & sic de similibus; ita etiam cognitio essentialiter falsa, & fingens, denominat obiectum, circa quod versatur, fallum, & fictum, & reddit cognoscibile verè sub tali denominatione per aliam cognitionem. In hunc igitur modum conuenit prædictis omnibus esse secundum quid, & extrinsecè; & consequenter conuenit vera cognoscibilitas ratione alterius à se distincti dantis eiusmodi denominationem.

Art. 1. Ad. 2. Connexio Omnipotentiæ Dei cum possibilitate creaturarum, non est connexio physica vnius rei cum re alia, sed est connexio solum logica, seu metaphysica vnius conceptus cum conceptu alio; vel potiùs eiusdem rei, vt conceptæ vno modo, cum eadem re, vt concepta alio modo; actiuè scilicet, & passiuè, vt indicatum est supra. Licet enim possibilitas creaturarum sit possibilitas rerum distinctarum à Deo; ipsa tamen possibilitas, quæ est simpliciter necessaria, & datur actu ab æterno, non est distincta realiter à Deo. Quia vt apparet ex prima demonstratione q. 2. Nihil necessarium, & æternum in se intrinsecè tale, est distinctum realiter à Deo, aut dari potest extra ipsum, vtcumque demum nominetur, aut particulis diminutiuis limitetur, seu potiùs obtenebretur. Circa quam veritatem iuuerit valdè legisse loca D. Thomæ indicata ibidem art. 4.

Art. 2. Negandum igitur est, maiorem esse re ipsa necessitatem existentiæ Dei, quàm necessitatem possibilitatis creaturarum: licet ratione nostra sit per se maior illius, quàm huius necessitas: quatenùs existentia Dei habet rationem præmissæ, possibilitas verò creaturarum rationem consequentis respectu intellectus discurrentis, atque præmissæ sunt per se magis necessariæ quodammodo, quàm consequens. Quia illæ habent rationem causæ, & istud rationem effectus: & propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Inquam, per se: quia intellectus noster ratione suæ imperfectionis, & dependentiæ à sensibus, sicut cætera Dei, ità & potentiam creatoris cognoscit mediantibus creaturis. Vnde dicere solemus, ideo Deum hoc posse producere, illud non posse, quia hoc est possibile, & illud impossibile. Verùm hoc est per accidens, & cognoscitur ad modum prioris, quod est re ipsa posterius, atque è conuerso: translato videlicet ordine nostrarum cognitionum in obiecta perinde, atque si ille esset iis intrinsecus.

Art. 3. Neganda similiter est absurditas repugnantiæ Dei repugnante Musca. Quia hoc re ipsa nihil est aliud, quam repugnare Deum repugnante Deo. Possibilitas enim Muscæ, & existentia Dei sunt idem realiter, ac perindè repugnantia vtriusuis, & vtriusque est eadem à parte rei. Vnde apparet nullam hic esse veram, ac propriam dependentiam; cùm nihil à se ipso verè, ac propriè dependeat. Sola ergo sequitur dependentia secundum quid, & purè logica, in qua nullum est inconueniens, vt patet maximè consideranti, & conferenti inter se eligibilitatem atque amabilitatem creaturarum, atque potentiam Diuinam electiuam, & amatiuam.

Art. 4. Negandum denique est sufficienter, & decentiùs intelligi perfectionem omnipotentiæ cum indifferentia, quantum est ex se, ad possibilitatem, & repugnantiam creaturarum. Manifestum namque est decentius esse, vt nequidem possibilitatem habeant creaturæ ex se, sed ex Deo; vtque Deus per se ipsum sit tota possibilitas rerum, & sufficientia proxima, & absoluta ac adæquatâ ad omne bonum creaturarum, non aliundè quidquam expectans, vt benefaciat quibus volet, sed solam suæ voluntatis rationem sequens pro beneficiis conferendis, vel subtrahendis. Quorum profectò primum, ac fundamentale est ipsa existentia rei. Imponit in toto isto negotio, sicut in rebus aliis pluribus, pluralitas conceptuum nostrorum circa existentiam Dei, & possibilitatem creaturarum, impellens ad cogitandam ex parte obiecti multiplicitatem similem multiplicitati conceptuum, seu modorum concipiendi, in quem laqueum incidunt illi vel maximè, qui dicunt Deum adstrui potentem in duplici euentu; si dicatur potentiam eius esse indifferentem ex se ad possibilitatem, & repugnantiam creaturarum; ideoque esse potentiam latiùs patentem, quæque magis deceat Deum. Nec enim aduertunt, qui hoc dicunt, alterum ex illis duobus euentibus esse tantùm in conceptu nostro fingente, nec habere aliud esse; quàm esse obiectiue in intellectu; ideóque potentiam ad euentum esse potentiam nullius momenti; vt potè somniatam, & fictam. Quales vtique potentiæ possunt, vt libet, attribui amplissimè, per augustissimam inanitatem, cuilibet rei creatæ, ex. gr. ad faciendum Deum, vel Angelum, si essent factibiles ab ipsa.

Ad 3. Non est de conceptu scientiæ similitudo entitatiua, sed solùm repræsentatiua inter ipsam scientiam, & obiectum scitum; vt apparet in cognitione vera de falsitate cognitionis falsæ. Huiusmodi autem similitudo non deest scientiæ Dei respectu negationum, & priuationum. Quia ita cognoscit non esse, quæ non sunt, sicut cognoscit esse, quæ sunt. Et

præterea sicut omne, quod non est, ideò non est, quia est aliquid incompossibile cum ipso, & impediens existentia sua, ne ipsum sit; ita scientiæ Dei neganti esse aliquid, motiuum, & causa negandi, est ens positiuum mediatè, vel immediatè incompossibile cum illo. Quo euadit modus non essendi intentionaliter simillimus modo non essendi physicè. Ratio autem obiectionis solam excludit similitudinem physicam inter scientiam Dei, ipsumque Deum, & inter obiecta creata, tùm positiua, tum negatiua.

Ad 4. Tametsi nullum malum sit contrarium Deo; Omne tamen, & quodlibet malum est contrarium alicui bono creato contento in Deo, & participatiuo Dei. Nequit igitur cognoscere Deus comprehensiuè omne bonum contentum in ipso, & causabile ab eodem; quin cognoscat comprehensiuè omne malum contentum in causis secundis, & causabile ab ipsis, vel in ipsis.

Ad 5. Ens rationis fictum non fit à cognoscente illud esse fictum, aut fingibile, sed ab eo, qui cognoscit ens reale fingendo; seu cognitione affirmante, & identificante inuicem, quæ sunt in se distincta, aut è contra negante, & distinguente, quæ sunt idem à parte rei. Deus autem non cognoscit chimæras, & entia rationis hoc secundo modo, sed solùm priori modo. Cognoscit enim cognitionem creatam, qua fit, aut fieri potest ens rationis, esse necessariò falsam, & obiectum, circa quod re ipsa versatur, oppositò modo se habere, atque repræsentatur per ipsam. In quo nullum est inconueniens, sed esset in opposito.

QVÆSTIO. XVII.

Vtrum Deus intuitiuè cognoscat contingentia absolutè futura, quatenùs sibi præsentia physicè?

VIDETVR non ita cognoscere. 1. Quia quod cras existet, perindè se habet ratione sui; & secundum se præcisè respectu cognitionis hodiernæ, atque si nunquam esset extiturum per totam æternitatem. Perindè enim nequit mouere intellectum, & influere in cognitionem de præsenti. Quia ad operationem præsentem perinde est inutilis existentia futura, atque præterita; & neutri conuenit aliquid de præsenti, per quod differat à non præterito, & non futuro. Contingens autem reipsa futurum dum ratione sui, & secundum se præcisè ita se habet respectu cognitionis atque si nunquam extiturum esset; nullatenùs interim cognosci potest determinate vt futurum, aut vt existens pro aliqua differentia temporis. Quia de conceptu effectus contingentis est, vt prima determinatio sui ad suum esse sit sua ipsius existentia. Vnde nihil ante se præsupponere potest; sicut potest præsupponere effectus necessariò existens, quod sit determinate connexum cum existentia potiùs, quàm cum non existentia ipsius, quodque eundem constituat in ratione futuri potiùs, quàm non futuri, & reddat cognitionem assertiuam futuritionis veram potiùs determinate, quàm determinate falsam. Repugnat igitur, vt Deus, cuius omnis cognitio est essentialiter vera, & antecedit tota æternitate effectus omnes existentes in tempore, cognoscat, aut intuitiue, aut etiam abstractiue effectus contingentes absolute futuros.

2. Iuxta Philos. 1. Periher. c. 8. propositiones singulares de futuro non omnes sunt determinate veræ, aut determinate falsæ. Quia si omnes eiusmodi propositiones essent determinatè veræ, aut determinate falsæ, nihil contingenter eueniret. Nec enim contingenter euenit, quod habet antecedentem determinationem infallibilem ad vnam partem, & subsequitur præexistente eiusmodi determinatione sui. Quomodo enim est causa contingenter operans, & se habens indifferenter ad vtrumlibet, cuius aliqua ad alteram partem determinatio præit ante operationem ipsius? Istud autem inconueniens inductum à Philosopho vrget, & conuincit multò manifestiùs in cognitione diuina; quæ videlicet est essentialiter vera, & non per denominationem extrinsecam, sicut cognitiones creatæ, nec contingenter existit, sicut eædem cognitiones. Quia omnis cognitio Dei est identificata cum ipso Deo, qui est ens necessarium, & nullum contingens est identificabile cum vllo necessario. Repugnat igitur Deo cognitio futurorum contingentium; vtpotè auferens se ipsa formaliter contingentiam eorum.

3. Æuum Angelicum est indiuisibile, vt fert communis D. Thomæ, & aliorum opinio; Vnde totum coëxistit omnibus, & singulis partibus totius temporis correspondentis eidem æuo; & nihilominus nequit Angelus cognoscere naturaliter futura contingentia, dum sunt futura respectu nostri. Ergo nec Deus potest eadem intueri anticipatè propter indiuisibilitatem suæ æternitatis; nec genus illud coëxistentiæ, & præsentiæ resultantis ex indiuisibilitate illius potest aliquatenùs esse vtile ad determinandum intellectum Diuinum, vt cognoscat, quæ ita sibi coëxistunt, suntque præsentia physicè.

4. Coëxistentia, & præsentia physica creaturarum respectu Dei, est successiua. Quia existentia creaturarum est successiua in se, & secundum se; atque coëxistentia includit existentiam rei in se, & secundum se. Cognitio autem Dei de rebus creatis est essentialiter æterna, & existens tota simul absque vlla successione. Ergo cognitio Dei non fertur in res creatas præcisè vt coëxistentes, & præsentes sibi physicè, sed omninò independenter à tali coëxistentia, & præsentia.

5. Priùs natura existit vnumquodque in se, estque quodammodo sibi præsens; quam coëxistat Deo, sitque ipsi præsens physicè. Quia duratio sequitur ad existentiam rei: & vnumquodque est præsentissimum sibi per solam suam existentiam. Cognitio autem Dei eo ordine assequitur quodlibet res, quo sunt in se; nec expectat posteriora, vt cognoscat priora. Priùs igitur cognoscit Deus futura contingentia secundum se, quam vt coëxistentia sibi. Ergo eius cognitio non dependet à coëxistentia, qualitcumque demum ea sit. Confirmatur: Quia contingentia conditionatè futura cognoscit Deus non minùs, quam absolute futura, & tamen conditionatè futura non sunt præsentia physicè, vt patet, sed tantùm intentionaliter. Ergo etiam absolutè futura cognoscit independenter à præsentia physica.

Art. 1. Respondetur. Res creatæ, quæ aliquando existunt, duplici summo genere continentur. Aliæ enim sunt, quæ fiunt à solo Deo; Aliæ ab eodem simul cum causis secundis. Rursus quæ fiunt à causis secundis alia fiunt cum necessitate; alia cum libertate, & electione. Quæ differentia solùm conuenit effectibus relatè ad causas secundas. Quia comparatione Dei nihil euenit cum absoluta necessitate, sed omnia creata pendent essentialiter ab electione libera Dei; suntque æqualiter contingentia, atque indifferentia in vtramque partem respectu ipsius, vt dicetur q. 20. Quare, cum à Theologis instituitur seorsim, quæstio de diuina futurorum contingentium scientia, sola supponitur eorum distinctio à futuris

necessariis

necessariis respectu causarum secundarum. Cùm enim vix vlla sit difficultas peculiaris de scientia eorum, quæ sunt contingentia solùm comparatione Dei, merito in disputationem adducitur sola scientia eorum, quæ sunt contingentia respectu causarum secundarum vtentium libertate indifferentiæ, & electione. Vnde eadem sola intelliguntur communiter sub nomine contingentium absolutè prolato. Contingentia porrò ista in duplici statu considerari possunt, altero existentiæ absolutæ, altero conditionatæ. De posteriori isto statu dicetur in quæstione sequenti, & inibi exponetur ex professo vtriusque huius status differentia. Nunc enim de priori tantùm statu dicendum est, qui non indiget expositione. Quia contingens absolutè futurum dicitur, quod ita existit in se intrinsecè pro aliqua sequenti temporis differentia, sicut vnusquisque experitur se existere de præsenti, sibique inesse actus, quibus exercetur de facto.

Art. 2. Certum est ex fide, Deum certissimè, & perfectissimè cognoscere ab æterno futura istiusmodi contingentia, vt apparet, inter alia, ex 39. Ecclesiastici 24. & 25. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius. A sæculo, & vsque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu eius.* Cuius ratio ex perfectione diuini intuitus redditur ibidem c. 23. 28. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Celebre quoque testimonium ex Ps. 138. 3. *Intellexisti cogitationes meas de longe semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.* Eodem pertinet, ex interpretatione Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum, illud ex 7. ad Rom. 17. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Nempè cognoscit, quæ nondum sunt, non secùs ac ea, quæ iam sunt. Eodem etiam pertinent reuelationes omnes, & prophetiæ, quæ habentur frequentes in sacris literis circa futura contingentia. *Præscientia namque Dei*, vt dicit Tertull. l. 2. contra Marc. c. 5. *tot habet testes, quot fecit prophetas.* Complura alia scripturæ, & PP. testimonia videri possunt apud Montoyam dis. 22. de scientia sect. 1. & apud Petauium t. 1. dog. theol. l. 4. c. 6.

Ar. 3. Veritas ista visa est Augustino tam peruia, ac manifesta rationi naturali, vt nisi ab insano negari non possit. Cùm enim l. 5. de Ciuit. c. 9. ageret de errore Ciceronis facientis homines sacrilegos (negatione vtique huius scientiæ) dum vult eos facere liberos. *Nam & confiteri*, subiungit, *esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Est sanè; Quia sublata ista scientia, eo ipso aufertur Deo prouidentia compensatiua bonorum, & malorum operum; distributio præmiorum, & suppliciorum; potestas prædicendi certò futura contingentia, & disponendi de præsenti res omnes, & singulas, prout congruit respectu eorum, quæ futura sunt tempore sequenti. Negatur præterea à Deo notitia, circa actus liberos singulorum hominum, æqualis illi notitiæ, quam iidem de iisdem habent; idest, negatur Deo perfectio aliqua reperta in creaturis. Quod esse perabsurdum, innotuit iam superiùs semel atque iterum.

Art. 4. Nec vacat dicere, Deum cognoscere successiuè, quæ successiuè existunt. Quia hoc inducit in Deum mutabilitatem, seu capacitatem, vt aliter se habeat pro vno tempore, quàm pro alio. Quis enim dubitat aliter se habere scientem aliquid nunc, quod ignoratum ab eo prius erat: & aliquid acquiri de nouo ab eo, qui incipit scire, quod priùs nesciebat; maioremque esse istam mutationem, quàm mutationem transeuntis ex frigido in calidum? Dictum autem est qu. 8. Deum essentialiter immutabilem esse, & incapacem, cui in se intrinsecè aliquid contingat de nouo. Quæ ratio reddetur clarior ex dicendis infrà circa constitutionem actuum liberorum Dei. Necesse igitur est, vt Deus cognoscat ab æterno, quæcumque impossibile est vt ignoret pro eo tempore, pro quo eueniunt: estque Deus constituendus quoad hæc supra substantias intellectuales creatas, ne deprimatur infra easdem.

Art. 5. Ratio, quasi à priori, excessus huius diuini est. Quia nihil habet rationem præteriti, aut futuri respectu Dei, & diuinæ æternitatis secundum se, vt dictum est qu. 8. ad 4. Nihil igitur habet, respectu Dei secundum se, conditionem vllam, aut prædicatum proprium, ac speciale futuri, aut præteriti formaliter vt talis. Proprium autem, ac speciale prædicatum futuri, & præteriti formaliter vt talis est, quòd aliquando videri possit tanquam physicè præsens intuenti, aliquando non possit. Nulli igitur effectui aliquando præsenti physicè, & saltem pro tunc visibili, vt est in se, conuenit, respectu Dei, eiusmodi vicissitudo, & differentia successiua visibilitatis, & non visibilitatis; sed omnia successiue existentia, & successiue visibilia respectu nostri, simul ab æterno vidit tanquam sibi præsentia physice. Quæ est ratio vnica D. Thomæ pro demonstranda veritate diuinæ scientiæ circa futura contingentia, & pro concilianda eadem scientia, cum contingentia & libertate nostrarum electionum, & traditur ab ipso ex professo in hac qu. 14. art. 13. & alibi sæpè, maximè verò qu. 2. de verit. artic. 12. Circa cuius articuli sensum legitimum contentiuum planè argumenti propositi, mirum profectò est, aliquos auctores tergiuersari potuisse, oppressos difficultate ibidem obseruata à Sancto Doctore, eleuandi intellectum affixum ex suâ natura tempori in esse, & operari, ad considerationem cognitionis independentis à tempore, eiusque consignificatione.

Art. 6. Et quidem præsentiam physicam effectuum contingenter existentium respectu diuinæ æternitatis, absque vlla ratione futuri, comparatione eiusdem secundum se, esse sufficientem, & necessariam, vt cognoscantur à Deo ab æterno, efficacissimè ostendit ibi D. Thomas. Est enim in primis sufficiens. Quia intellectus creatus, imò & sensus per eam suam durationem, per quam determinatur, vt coëxistat effectui alicui contingenti, redditur habilis ad videndum ipsum pro eadem duratione, maximè quando effectus ità præsens procedit ab ipso habente intellectum & sensum. Ergo Deus, qui per suam æternitatem est essentialiter determinatus, vt coëxistat omnibus, & singulis effectibus contingentibus, per eandem redditur habilis, ac proindè vltimò determinatur ad videndos eos pro eadem æternitate, id est, ad eos semper videndos, eò vel maximè, quia iis effectibus essentiale est, vt procedant à Deo tanquam à causa sua. Et sanè oportet esse cæcum qui non videt, quod ipse facit, dum hoc fit, & est ipsi physicè præsens.

Art. 7. Eadem præsentia physica est omninò necessaria ad eandem Dei scientiam. Quia effectus contingens non potest certò cognosci in vlla sua causa tanquam in medio primò determinante ad cognitionem ipsius, vt docet apertè D. Thomas in locis modò indicatis, inque aliis pluribus obseruatis à Montoya disp. 73. de scientia sect. 4. Nempè causa effectus contingentis, ex suo conceptu se habet ad vtrumlibet ex oppositis; & vtriusuis electione, ac positione potest impedire alterum; & sic seipsam ab eo diuidere, ac separare. Vndè effectus contingens determinatè sumptus non potest in sua causa cognosci, præter quàm coniecturaliter, & cum morali, ad summum, certitudine. Quia in medio indifferenti, & fallibili non potest fundari cognitio determinata, simulque

infallibilis. Ergo vt effectus contingens cognoscatur determinatè cum totali certitudine, & infallibilitate, necesse est ipsum per se ipsum adesse physicè præsentem cognoscenti. Patet hæc consequentia; Quia nihil potest habere vllum suum esse, seu simpliciter, seu secundùm quid tale, vllamue cognoscibilitatem, nisi quatenus, vel in sua causa continetur, vel adest physicè præsens immediatè per se ipsum; vel elucet in aliquo suo effectu, aut quasi effectu. Cùm ergo effectus contingens non habeat vltimam determinationem sui in alterutram partem, præcisè prout in sua causa continetur; nihil verò habere possit vllum suum effectum, aut quasi effectum immediatum anteriorem ipso, seu qui emanet, aut quasi emanet immediatè ex nondum existente: patet effectum contingentem cognosci minimè posse determinatè, & infallibiliter, nisi dependenter ab actuali præsentia sua physica respectu primi cognoscentis cum infallibilitate, quale cognoscens est Deus.

Art. 8. Nonnulli, vt eludant vim huius argumenti, confugiunt ad præsentiam obiectiuam æternam conuenientem rebus existentibus in tempore, ratione futuritionis earum, quæ datur ab æternò. Quia quidquid incipit esse in tempore, erat futurum antequam inciperet esse, futuritione, cuius nulla reperiri potest inceptio. Verùm, vt appareat insufficientia huius doctrinæ ad euacuandam vim rationis propositæ, necesse est, vt aliquantulum euoluatur conceptus futuri, & futuritionis.

Art. 9. Futurum communiter definitur: *Quod nunc non est, & erit in tempore sequenti.* Quibus vocibus licet videatur exactam vim definitionis nequaquam inesse; Quia quod futurum est, & quod erit in tempore sequenti, eandem rem secundum eundem penitùs conceptum, eodemque modo exprimere videntur, mutatis solis vocibus synonymis: afferunt nihilominùs explicationem rei significatæ nonnihil maiorem per distinctionem inter non esse & esse, eorumque partitionem in diuersas temporis differentias. Sed multò plus conferet ad intimam, & claram intelligentiam definiti, distinctio rei, quæ dicitur futura, & futuritionis, qua sic denominatur. Res, quæ dicitur futura, tàm nihil est de præsenti quoad omnia sibi intrinseca, secumque identificata; atque id, quod nunquam existet, nec differt de præsenti per aliquid sui ab eo, quod nunquam futurum est, imò & quod chimæricum est. Quia, cùm quæ sunt identificata, sint mutuò inseparabilia, in rebus saltem finitis; nihil eius, quod nunc non est, esse nunc in se ipso potest aliquo modo. Quapropter distinguenda rursùs est futuritio duplex. Alia namque est vnicuique rei temporali intrinseca, quæ iuxta definitionem datam; partim est, partim omninò non est de præsenti. Est, quoad non esse, seu carentiam: Non est quoad esse, seu existentiam rei futuræ; Quæ res, quatenùs in se intrinsecè futura, eas duas partes includit. Qua de causa docet in hunc sensum August. l. 11. Confes. cap. præsertim 20. impropriè, & abusiuè dici: *Præteritum est: futurum est.* Quia futurum nondum est, & præteritum iam non est. Quod autem nondum est, aut iam non est; verè, & propriè non est. Et rursus quod verè, & propriè non est; nec tale, aut tale: nec hoc, aut illud est verè, & propriè.

Art. 10. Alia nihilominus futuritio est vnicuique rei temporali extrinseca, quæ adæquate possit esse de præsenti, verè & propriè. Noc enim repugnat aliquid esse de præsenti connexum essentialiter cum existentia eius, quod nondum est in se. Reuelatio namque diuina, & fides ex illa, concepta de existentia, & peccato Antichristi nondum existentibus, iam in se existunt connexæ cum illis essentialiter. Eadem est ratio de qualibet causa necessaria effectus nondum existentis iam nunc existente, & coniuncta cum voluntate diuina de non neganda cooperatione connaturaliter illi debita. Quodlibet autem iam existens connexum essentialiter cum existentia eius, quod nondum existit, constituit quoddam ipsius fore, seu futuritionem, & impertitur eidem denominationem extrinsecam futuri, fundatque veritatem propositionis affirmantis de præsenti, illud esse extiturum. De qua futuritione, & præsentialitate futuri, accipiendus est Augustinus in illo eodem libro cap. 18. initio, cum dicit: *Scio tamen, vbicunque sint, non ibi ea futura esse, aut præterita, sed præsentia.*

Art. 11. Prior illa futurito nihil iuuare potest, vt cognoscatur ab æterno à Deo effectus contingens existens in tempore. Quia ab æterno sola datur altera pars futuritionis, quæ est non esse rei. Quod, cùm sit commune futuris, & non futuris, nihil conferre potest ad inducendam ex tunc cognitionem affirmatiuam potiùs, quàm negatiuam ipsius futuri. Posterior autem futuritio nulla dari potest ab æterno respectu effectus contingentis, nisi dependenter à præsentia physica ipsius effectus respectu æternitatis. Quia nihil essentialiter connexum cum effectu contingenti, dummodò sit immediatè contingens, potest antecedere simpliciter existentiam ipsius contingentis, vt superiùs ponderatum est. Ergo, vt vt effectus contingens nanciscatur futuritionem aliquam, seu denominationem aliquam aliam intrinsecè connexam cum existentia ipsius in tempore, necesse est ipsum secundum se esse præsentem physicè æternitati; nec nisi dependenter ab hac præsentia potest inducere aliquid æternum (quibuscumque demum vocibus, & circumlocutione illud significetur) quod sit intrinsece connexum cum existentia ipsius in tempore. Concluditur ergo Deum cognoscere intuitiuè omnia, & singula contingentia absolutè futura, quatenùs præsentia sibi physicè, nec aliter cognosci illa posse, præterquàm coniecturaliter.

Art. 12. Eadem ista scientia, qua Deus cognoscit effectus creatos immediatè contingentes, ideò actus nostros immediatè liberos, vt existentes absolutè pro sua cuiusque differentia temporis, cognoscit etiam, vt conditionatè futuros, effectus mediatè contingentes, & inducendos per eosdem actus liberos, si non adfuisset impedimentum. Quia posita existentia absoluta actuum internorum efficaciter intendentium actionem aliquam exteriorem, & nolente Deo patrare miracula, perindè necesse est, vt subsequatur actio exterior sub hac conditione, quòd non deficiant cætera requisita; atque necesse est, euentus quoslibet alios esse conditionate futuros sub conditione secundum se inseparabili essentialiter ab iisdem euentibus. Eadem igitur ratione, qua Deus per scientiam absolutè necessariam, æquiualenter conditionatam, & formaliter absolutam, cognoscit euentus omnes conditionatè futuros sub conditione secundum se præcisè inseparabili essentialiter ab ipsis, vt dicetur qu. sequenti sub initium; cognoscit etiam simili prorsus modo, per scientiam liberam visionis actuum nostrorum interiorum, actiones exteriores inducibiles ab ipsis, & non inductas defacto propter defectum alicuius ad executionem requisiti, ideoque conditionate tantùm futuras.

Art. 13. Iidem actus interni immediatè liberi existentes absolutè, & amplectentes aliquod motiuum cum tanta determinatè intensione, ac adhæsione, denominant similiter futuros conditionate, vel conditionate non futuros actus alios liberos itidem immediate circa motiuum, vel oppositum, vel affine: ideóque sufficiunt, vt Deus per eandem scientiam visionis, qua videt ipsos vt absolute existentes, videat etiam indiuisim istos alios vt conditionate futuros,

vel

vel vt conditionate non futuros. Si videlicet occurrisset eidem voluntati pro eodem tempore motiuum oppositum, aut affine motiuo actus absolute existétis, cum talibus determinate circunstantiis, vel etiam occurrisset aliud obiectum materiale talis alterius determinate conditionis sub eodem illo motiuo, quod defacto prosequitur absolute. Voluntas enim nostra est libera, vt prosequatur vel non prosequatur, vt placet, tale determinate motiuum, siue magnum, siue paruum; vtque vtrumuis præstet cum tanta, vel tanta determinate intensione, & adhæsione; ac demum, vt præ illo contemnat, & reiiciat; vel non contemnat, nec reiiciat tale motiuum contrarium, siue vehemens, siue tenue: Non tamen est libera, vt cum tanta remissione, & tam debili conatu prosequatur vnum aliquod motiuum, quando simul proponitur efficacissime motiuum aliquod vehemens in contrarium, quanta cum remissione, & debilitate conatus prosequi posset idem motiuum, quando simul proponeretur, in contrarium, motiuum debile, aut proponeretur debiliter, quod est vehemens in se. Quia maior conatus, & maior intensio actus requiritur ad superandam magnam difficultatem, quàm quæ sufficit ad superandam paruam; neque, vt oppositum fiat, est liberum voluntati. Similiter non est libera voluntas, vt intensiùs, ac vehementius prosequatur vnum aliquod motiuum, hac præcisè de causa, quia simul adest motiuum vehemens in contrarium, idque proponitur efficacissima cognitione. Nec enim est liberum voluntati, vt inde ad maiorem intensionem actus, maioremque conatum determinetur circa aliquid, cæteris omnino paribus, vnde retrahitur ab omni prorsus intensione, & conatu circa idem; nec fieri potest libera electione voluntatis, vt conferat ad aliquid, quod nihil ad id confert, sed magis ad oppositum, ex intrinseca sua natura, & conditione.

Art. 14. Fieri igitur nequaquam potest, vt non sit conditionate verum, voluntatem omissuram fuisse prosecutionem obiecti, quod de facto prosequitur absolute actu intenso tantùm vt quatuor, sufficiente proindè ad resistendum difficultati tantùm vt quatuor si occurrisset pro eodem instanti difficultas vt octo in contrarium: idest, difficultas insuperabilis absque maiori conatu, & maiori intensione actus resistentis. Eadem est proportionalis ratio de aliis eiusmodi iam insinuatis combinationibus motiuorum, & circumstantiarum. Itaque actus quilibet existens absolutè, pro aliquo instanti; per se ipsum est respectiuè futuritio, & non futuritio conditionata, seu fore, & non fore conditionatum plurium aliorum actuum, occurrentibus pro eodem instanti aliis, atque aliis motiuis, & circumstantiis, seu contrariis, seu affinibus. Cognoscibiles proindè sunt cum infallibilitate, & omnimoda determinatione istiusmodi actus futuri, & non futuri conditionate, per cognitionem comprehensiuam actus existentis absolutè. Id quod non obscurè supponit Augustinus, vt indubitatum, lib. 4. de Anima, & eius origine cap. 7. fine; dum post alia certò cognoscibilia ex sua natura, & per nos ignorata propter imbecillitatem ingenij nostri, adiungit sic. *Scimus nos itaque aliquid velle, seu nolle. Sed voluntas nostra, etiam cum bona est; quantum valeat, quas vires habeat, quibus tentationibus cedat, quibus non cedat, si nos non fallimus, Fili dilecte, nescimus.* Deus igitur perfectè comprehendens per scientiam visionis idem velle, & nolle nostrum absolutè existens, eadem scientia indiuisim cognoscit conditionatè istos alios euentus, vt futuros, vel non futuros determinatè sub conditione tali, & tali.

Art. 15. Iuuerit plurimùm ad intelligentiam, & vberiorem confirmationem huius doctrinæ, si considerentur, quæ habentur tota quæst. 16. de Incarnat: vbi agitur ex professo de scientia conditionata, quam Deus habet de suis decretis non existentibus absolutè, & extituris conditionatè, indistinctam à scientia absoluta sui decreti existentis defacto absolutè, vt inde deducatur legitima, & clara determinatio quæstionis de Christo venturo, vel non venturo, ex vi præsentis decreti, si homo non peccasset. An verò scientia visionis Dei circa suos, & nostros actus absolutè existentes, dicenda sit media, vel alio aliquo nomine peculiari significanda sit, quatenùs cognoscit in illis alios suos, & nostros actus, vt futuros tantùm conditionate, quæstio est de voce, de qua nihil curo. Satius tamen est, non multiplicare voces, vbi res significabilis per illas est prorsus vna, ac indiuidua, non solùm realiter sed etiam virtualiter intrinsecè; & præterea exemplo esse potest scientia simplicis intelligentiæ, quæ etiam ipsa cognoscit, ex indubitata omnium sententia, euentus aliquos, vt conditionatè futuros, quin propterea relatè ad ipsos nomine aliquo peculiari significetur. Quod ad rem ipsam attinet, constat ex his omnibus, quæ dicta sunt, Deum certò, ac infallibiliter cognoscere omnes, & singulos actus liberos creatos absolutè existentes pro quauis temporis differentia, idque propter physicam eorum præsentiam respectu ipsius, seu respectu æternitatis diuinæ secundum se; atque in iisdem actibus cognoscit cum eadem certitudine, & infallibilitate, alios plures actus, vt futuros tantum conditionate.

Ad 1. Existentia crastina obiecti habet se per accidens, respectu cognitionis hodiernæ, cuius hodierna duratio est distincta à duratione crastina; non verò, respectu cognoscentis, & cognitionis, cuius hodierna, & crastina duratio est eadem, & prorsus indiuisibilis. Nec enim fieri potest, vt duratio crastina cognoscentis indistincta ab hodierna eiusdem durationè sit minùs vtilis ad cognoscendum obiectum existens cras, quàm duratio cognoscentis purè crastina, ideóque contractior, & minùs perfecta. Deus autem durat æternitate, quæ indiuisim complectitur omnes, & singulas temporis differentias; ideóque est æqualiter idonea ad cognoscendum omnia, quæ contingunt pro qualibet temporis differentia. Et quia eadem æternitas, est simul duratio totius diuinæ cognitionis, fit, vt Deus non solùm cognoscat omnia, quæ pro quouis tempore eueniunt; sed etiam, vt semper eadem omnia cognoscat.

Ad 2. Ratio illa Philosophi, quantum quidem ego assequor, est demonstratiua aduersus determinatam veritatem, & falsitatem propositionum creatarum naturalium de futuro contingenti, si considerentur, vti considerantur à Philosopho, secundum se præcisè, & non vt extrinsecè denominatæ à cognitione diuina. Cæterùm aduersus veritatem scientiæ Dei nihil eadem ratio conuincit. Quia. scientia Dei non habet rationem præteriti respectu vllius euentus temporalis, sed cùm quouis tali euentu comparatur tamquam præsens cum præsenti, ob indiuisibilitatem durationis æternæ. Quare sicut homo, dum videt hominem currentem, non tollit sua visione contingentiam cursus; eo quòd currens, suspendendo cursum suum, potest absolutè impedire visionem cursus pendentem essentialiter à præsentia physica ipsius: ita visio Dei, qua videt ab æterno, quæ contingenter eueniunt in tempore, non opponitur contingentiæ eorum; quia fertur in illa, quatenùs physicè præsentia, & pendet quoad terminationem, ac denominationem ab ea præsentia physica, tamquam à termino, seu materia circa quam, seu tamquàm à conditione sine qua non; ideóque potest eatenùs impediri, impedito euentu ipso, circa quem versatur. Quæ ratio & comparatio est desumpta à D. Thoma in locis suprà indicatis, eademque vsus est Augusti-

nus

nus lib. 3. de Libero Arbitrio cap. 4. & alibi non semel. Neuter verò illa vsus fuisset, quia idoneè vti non potuisset, si vnus quilibet effectus contingens non esset ità præsens visioni diuinæ de ipso, totique durationi huius visionis; sicut cursus Petri est physicè præsens Paulo illum videnti, dum illum videt. Eadem ratione plures Sancti Patres apud Petauium, & Montoyam, visionem potiùs, quàm præuisionem dicendam putant, secundum proprietatem sermonis, scientiam, quam Deus habet de rebus quibusque existentibus in tempore: Quia videlicet non antecedit secundum se præcisè considerata, sed purè coëxistit tota sua duratione, cuicumque, & quandocumque coëxistit.

Ad 3. Angelus non senescit, sicut homo; sed in eadem semper dispositione permanet ad viuendum vlterius, ex quo incipit existere; & viuit vniformiter ex natura rei sine fine. Propterea eius duratio dicitur æuum indiuisibile; nempe fundamentaliter, ac remotè. Cæterùm formaliter est diuisibilis ea duratio, quia potest absolutè deficere, atque interrumpi; siquidem potest annihilari Angelus, quandocumque Deo placuerit. At duratio Dei formaliter etiam, & proxime, est indiuisibilis, & essentialiter æterna. Vnde contingens, quod est futurum respectu nostri, est etiam futurum respectu Angeli; non verò respectu Dei. Et consequenter potest à Deo, non potest ab Angelo cognosci certò, & immediatè in se ipso. Videatur D. Thomas in hac 1. par. qu. 57. art. 3.

Ad 4. Res creatæ existunt in se, & coëxistunt Deo successiue successione vnius rei creatæ ad aliam rem creatam, nec non vnius concreti ex Deo, & vna aliqua creatura, ad complexum ex Deo, & alia quadam creatura; non verò successione vnius diuinæ durationis, per quam coëxistat vni creaturæ, ad aliam durationem diuinam, per quam coëxistat alij creaturæ. Licet ergo existant successiuè operationes creaturarum, quas exercent circa se inuicem, nec non operationes, quas Deus exequitur simul cum causis secundis, aut etiam se solo, sed transeunter in eiisdem causis secundis; nulla tamen admittenda est successio in operatione diuina immanenti, tametsi versetur essentialiter circa res creatas vt præsentes sibi physicè. Quia operatio immanens Dei durat sola æternitate, quæ cùm sit indiuisibilis, & tota simul, atque indiuisim adest omnibus, quæ existunt successiuè. Quapropter sicut hodie datur duratio craſtina, & hesterna Dei: ita hodie datur operatio immanens postulans durationem craſtinam, & hesternam ex parte Dei. Idem dicitur de tota æternitate, & de omnibus aliis differentiis temporis inuicem comparatis.

Art. 1. Ad 5. Quidlibet creatum per se ipsum essentialiter, & immediatè est præsens Deo; quia eius æternitas complectitur indiuisim totam collectionem durationum creatarum, iisque omnibus, & singulis quandocumque existentibus est essentialiter præsens physicè. Quidlibet autem creatum per se ipsum essentialiter est determinatum ad habendum aliquam suam durationem, licet sit indifferens ad hanc determinate durationem, vel illam. Ergo quidlibet per se ipsum præcisè est essentialiter, & immediatè determinatum, vt coëxistat Deo; & pro eodem priori, pro quo intelligitur existens, intelligitur cum hac determinatione, & coëxistentia; licet adhuc intelligatur indifferens, vt coëxistat his, vel illis aliis rebus creatis. Deinde cognitio diuina, circa res creatas priores, & posteriores natura, est indiuisibilis, & tota simul etiam virtualiter intrinsecè, vt infrà dicetur. Vndè quidquid requiritur ad cognitionem rei posterioris natura, requiritur etiam pro cognitione prioris natura.

Art. 2. Ad confirmationem. Contingens absolute futurum per se ipsum intrinsecè est prima determinatio formalis ad suum esse absolutum, & consequenter ad cognoscibilitatem, quæ sibi peculiariter conuenit. Idem verò contingens præcisè vt futurum conditionatè habet totum suum esse, & consequenter totam suam cognoscibilitatem per denominationem extrinsecam ab aliquo alio realiter distincto, vt dicetur in quæst. sequenti. Ergo ad cognitionem diuinam contingentis, vt absolutè futuri, seu potiùs, vt absolutè existentis in se, & coëxistentis Deo, requiritur præsentia physica ipsius secundum se respectu Dei; ad cognitionem verò eiusdem præcisè, vt conditionatè futuri, seu existentis conditionate, sola requiritur præsentia physica alicuius alterius.

QVÆSTIO. XVIII.

Vtrum detur in Deo scientia media contingentium conditionatè futurorum?

VIDETVR non dari. 1. Quia contingens, quatenus conditionatè futurum, non potest cognosci in se immediatè, & secundum quod est actu. Quia effectus pendens à conditione, quæ nondum est, aut nondum intelligitur posita, seu nondum est actu in se, nec ipse potest esse actu in se intrinsecè. Sed neque in sua causa certò, & infallibiliter cognosci potest. Quia causa effectus contingentis indifferenter se habet ad vtrumlibet oppositorum, vti ponderatum est in qu. præcedenti. Ergo contingens præcisè, vt conditionatè futurum, nullo pacto cognosci potest à Deo, qui nihil, nisi certò, ac infallibiliter cognoscere potest. Patet consequentia. Quia effectus contingens duobus tantùm modis considerari, & cognosci potest; vel nimirum in se ipso, secundum, quod est actu intrinsecè, vel in sua causa, vt dictum est in eadem quæstione ex D. Thoma quæst. 14. art. 13. & ex terminis ipsis satis apparet.

2. Nihil est, quod determinet intellectum Diuinum ad affirmandum determinatè, vel negandum contingens esse futurum sub conditione indifferenti ex se, vt illud subsequatur, vel non subsequatur ad ipsam. In primis enim nihil distinctum à Deo potest habere rationem ad id determinantis. Quia veritates purè conditionatæ nihil ponunt, aut supponunt absolutè à parte rei extra Deum; ac proinde æqualiter subsistunt, siue detur aliquid, siue nihil detur absolutè à parte rei distinctum à Deo, & præditum vi aliqua determinatiua. Sed neque aliquid indistinctum realiter à Deo determinare potest. Quia prædicata necessaria Dei, quæ sola præsupponit ante se scientia media, nullam habent connexionem determinatam cum alterutra parte contradictionis contingentis, atque ideò ad neutrius partis cognitionem determinare possunt intellectum diuinum. Intellectus autem neque diuinus, neque creatus determinari potest ad vllam cognitionem, nullo obiecto prædeterminante ad ipsam. Quia operatio nullam ante se præsupponens determinationem respectu sui, eo ipso est electio libera, nec pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem; nec potest electio libera aliundè differre ab operatione non libera, & pertinente immediatè ad intellectum.

3. Contingens quatenùs conditionatè futurum, nullum habet esse, nisi obiectiuè in intellectu. Quia fieri potest, vt neque ipsum contingens, neque causa eius proxima, & particularis vnquam existat à parte rei.

rei. Causa verò remota non secùs, quàm ipsa causa proxima, est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem eius, ideóque ad denominationem etiam futuri, & non futuri. Ergo quòd sit ita futurum determinatè, non conuenit ipsi à parte rei, nec intrinsecè ratione sui, nec extrinsecè ratione suæ causæ. Ergo eiusmodi esse conditionatum est esse tantùm obiectiuè in intellectu, idest, esse fictum, & chimæricum. Quale profectò esse nulli obiecto conuenire potest per denominationem prouenientem ab intellectu diuino illud fingente.

Confirmatur, & ostenditur, quanti momenti sit istud argumentum. Quia Augustinus cap. 12. & 13. de Prædest. Sanct. merita purè conditionata semipelagianorum appellat futura, quæ non sunt futura, idest, futura futuritionis fictæ, & chimæricæ; & D. Prosper in epistola ad eundem Augustinum, quæ communiter exhibetur in limine eius libri, impugnat eosdem semipelagianos, quatenùs adhærentes meritis purè conditionatè futuris. Quia confingegebant futura, quæ non sunt futura. Ergo futuritio euentuum contingentium purè conditionatè futurorum est ficta, & chimærica, & ipsius cognitio est fingens, & falsa.

Confirmatur rursus. Quia cognoscens conditionatè aliquid, apprehendit, ad modum existentis, conditionem, quæ re ipsa non existit. Dum enim dicitur: *Si existeret talis vocatio*; particula, *si*, ad hoc adhibetur, vt significetur talem vocationem non existere, seu præscindi ab eo, quòd sit verùm; an existat, vel non existat à parte rei: & tamen apprehendi ad modum existentis, & assumi ab intellectu, tanquam existentem. Ergo in intellectu iudicante purè conditionatè, datur necessariò fictio aliqua saltem secundum quid, & apprehensiua. Repugnat autem Deo fictio etiam secundum quid, & ex modo apprehendendi. Quia cognitio omninò conformis obiecto, & apprehensiuè, & enunciatiuè; quoad modum, & quoad substantiam, est perfectior, quàm quæ est illi aliquatenùs disconformis. Imò quælibet disconformitas est aliqua imperfectio. Quia tota perfectio, & imperfectio cognitionis consistit in conformitate, & defectu conformitatis, seu in disconformitate cum obiecto. Cognitio verò diuina est expers omnis imperfectionis, & continet in se omnem perfectionem.

4. Nemo ità desipere potest, vt concipiat iudicia, & decreta conditionata simul cum absolutis circa eandem rem, atque pro iisdem circumstantiis. Quis enim ita desipiat, vt cùm intuetur lucentem lunam, simul dicat; si luceret luna, eam intuerer; aut si haberem Breuiarium, legerem illud, dum tenet Breuiarium, legitque: Deus autem habet, & semper habet iudicia & decreta absoluta circa omnia, & singula creata; nihilque est, quod non intueatur, vt existens absolutè, vel, vt absolutè non existens. Ergo circa nullum obiectum dicendus est habere iudicia, aut decreta conditionata; ne dicatur homine ineptissimo, ac stultissimo, ineptior, & stultior.

5. Si Deus sciret conditionatè, qualia quisque merita, ac demerita habiturus esset, si diutiùs viueret, posset, atque deberet rependere pro illis præmia, & suppicia; atque ita vt benè operaturo nihil noceret, nihilque prodesset peccaturo mors accelerata ante opportunitates, seu benè operandi, seu peccandi. Æqualis namque æstimabilitatis, & consequenter æqualis efficaciæ, ac virturis motiuæ sunt merita, & demerita, siue conditionatè, siue absolutè præuisa. Quia vtrouis modo sunt eadem, & non stat per hominem, quo minùs ponantur absolutè à parte rei. Sequela autem est absurda, & continet errorem Massilienſium reprobatum ab Augustino, & Prospero in locis paulò antè indicatis.

6. Diuisio scientiæ Dei in scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ; liberam, & necessariam, traditur tanquam adæquata à Magistro, D. Thoma, Scoto, & Theologis aliis ferè omnibus excepto Molina, & assectis. Et ratio est; quia diuisio obiectorum in existentia, & non existentia absolutè, est adæquata. Quodlibet enim est absolutè, vel absolutè non est; nec est possibile aliquid inter hæc extrema medium, quod neque sit, neque non sit absolute. Multiplicitas autem scientiarum pendet à multiplicitate scibilium. Ergo scientia media est reiicienda tanquam noua, & singularis in Theologia, ideóque falsitatis vehementer suspecta; & tanquam carens omni fundamento ex parte obiectorum.

7. Non præoccupat Deus existentiam absolutam suorum decretorum, & scientiam visionis absolutam de ipsis scientia media, qua præcognoscat conditionatè quid decernendum foret ab ipso sub vnaquaque conditione possibili euenire ex parte arbitrij creati. Ergo neque existentiam, & scientiam absolutam actuum liberorum arbitrij creati præoccupat scientia media, seu conditionata circa eosdem. Consequentia tenet à paritate rationis. Antecedens dant spontè Molina, & plerique alij patroni scientiæ mediæ. Similis paritas conficitur ex futuris conditionatis sub conditione disparata. Circa quæ iidem communiter negant scientiam mediam; Eadem autem est ratio negandi eandem circa futura condionata sub conditione conferente ad existentiam eorum. Quia vtralibet conditio est æque indifferens ex se ad existentiam, & non existentiam conditionati. Vnde vtraque est æque inepta ad inducendam cognitionem determinatam ad vnam potiùs partem, quàm ad oppositam.

8. Ab iisdem vnumquodque dependet pro statu conditionato, à quibus dependet pro statu absoluto. Omnia autem creata dependent quoad esse, & quoad cognosci pro statu absoluto à decreto libero Dei absoluto, & efficaci. Ergo pro statu conditionato dependent similiter à decreto libero Dei conditionato, & efficaci. Ergo scientia conditionata Dei circa effectus contingentes; quatenùs conditionatè futuros, non est media inter liberam, & necessariam, sed est perfecte libera Deo; vtpotè dependens essentialiter à decreto libero Dei.

9. Si Deus posset cognoscere per scientiam mediam, contingentia quatenùs conditionate futura; posset eadem cognoscere certò, quatenùs absolute futura independenter à præsentia physica ipsorum. Posset nimirum ea cognoscere certò; tùm in concreto ex scientia media, & ex decreto absoluto ponendi à parte rei hypothesim, sub qua vnusquisque euentus præuisus fuerit, vt futurus conditionate: tùm in decreto absolute, & efficaciter prædefinitiuo, aut permissiuo concepto dependenter à scientia media circa euentum præuisum, per ipsam, conditionate. Quia vtrumuis ex his connectitur cum existentia absoluta futuri contingentis, circa quod versatur; & neutrum negari potest circa vllum contingens admissa scientia media. Sequela autem contradicit doctrinæ quæstionis præcedentis.

Art. 1. Respondetur. Notum est apud omnes, Deum cognoscere per scientiam simplicis intelligentiæ euentus conditionate futuros sub conditione essentialiter inseparabili à conditionato: ex. gr. lignum bene dispositum ad combustionem comburendum esse, si illi applicetur ignis, nec negetur miraculo concursus diuinus: extiturum esse talem actum meritorium determinate, si Deus ipse efficaciter, absolutè, ac determinatè illum prædefiniat: & similiter extiturum esse tale peccatum, si idem illud permittat, & vtrumis extiturum esse, si præuideatur à Deo scientia

visionis

visionis; vel si ad vtrumuis prædeterminetur physicè liberum arbitrium. Ratio est; quia veritates huiusmodi conditionatæ non distinguuntur re ipsa à veritatibus absolutis prædicatorum essentialium, ratione quorum conditiones eiusmodi sunt metaphysice inseparabiles à conditionatis. Cùm igitur Deus per scientiam absolutam simplicis intelligentiæ cognoscat comprehensiue quidditates taliumconditionum: comprehendit vtique per eandem, absque modo tendendi in se intrinsecè conditionato formaliter, veritates omnes simpliciter necessarias pendentes ab illis conditionibus; tametsi à nobis percipi possint eædem veritates per cognitiones formaliter conditionatas, & sæpè vix possint aliter percipi. Certum similiter est ex dictis in quæstione præcedenti ab artic. 13. Deum cognoscere certò, scientia formaliter, vel æquiualenter conditionata, effectus etiam immediatè contingentes, quorum futuritio conditionata est indistincta realiter; vel certè inseparabilis ab existentia absoluta aliorum effectuum contingentium itidem immediatè, & substantium scientiæ visionis Dei.

Art. 2. Quæstio igitur præsens est de scientia Dei circa contingentia quatenùs conditionate futura independenter ab existentia absoluta eorundem, vel aliorum contingentium, in quibus ipsa aliqualiter præcontineantur. An scilicet cognoscat Deus omnes, & singulos actus nostros, vt futuros conditionate, vel conditionate non futuros, cum determinatione cognitionis in alterutram partem, sub omnibus, & singulis conditionibus absolute possibilibus, præscindendo interim ab existentia, & non existentia absoluta eorundem actuum, & conditionum: id est, An eos actus cognoscat per scientiam, quantum est ex se, separabilem ab eadem absoluta tùm existentia, tùm non existentia, & compossibilem absolute cum vtralibet? Triplex est opinio. Prima negat Deum cognoscere istiusmodi contingentia conditionate futura, præterquam coniecturaliter, iuxta naturam conditionis plus, vel minùs inclinantis in alteram contradictionis partem determinate. Secunda affirmat eadem cognosci à Deo certò, & infallibiliter, sed non nisi in decreto suo libero efficaci conditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte subiecti; idest, existenti absolutè in Deo, sed volenti tantùm conditionate alterutram partem contradictionis determinate sub vnaqualibet conditione. Tertia opinio affirmat eandem scientiam certam, ac infallibilem independenter ab omni eiusmodi decreto, eamque proinde appellat mediam inter scientiam præsertim necessariam, & liberam. Quatenùs enim non dependet ab vllo decreto libero Dei absolutè existenti, nec est impedibilis vlla Dei electione, non est propriè libera Deo. Quatenùs verò est de obiecto contingenti, ideoque absolutè fieri potuit, vt non daretur, non est omninò necessaria. Similiter non est scientia visionis, aut simplicis intelligentiæ vsque adeo propriè. Quia nihil per eam videtur, vt existens in se absolutè; nec tamen sola per eandem cognoscitur possibilitas euentus secundum se præcisè. Congruè igitur dicitur scientia media, tamquam existens in confinio eorum extremorum, & participans ex vtrisque aliquid ipsorum proprium, quatenus inter se differunt. Verùm hoc pertinet ad modum loquendi.

Art. 3. Quod ad rem ipsam attinet; dicendum est, Deum certò, ac infallibiliter cognoscere omnes, & singulos actus liberos cuiusuis voluntatis creatæ, vt conditionatè futuros, vel conditionatè non futuros, cum determinatione in alteram partem, sub qualibet hypothesi, seu conditione absolutè possibili; idque independenter ab omni suo libero decreto, siue absoluto, siue conditionato absolutè existenti: Id est; Deum cognoscere ab æterno scientia metaphysicè infallibili, & separabili à quouis decreto suo libero determinatè sumpto, D. Petrum ex.g. conuertendum fore, si vocaretur ea vocatione, cum qua defacto vocatus respondit: Iudam è contra peccaturum fuisse, si constitueretur in ea occasione, in qua defacto constitutus prodidit Redemptorem; & sic de quauis alia electione libera creata sub qualibet hypothesi, seu actu primo immediato vltimò completo in ratione sufficientis ad vtramque partem contradictionis, aut contrarietatis. Hic nempè actus primus ita completus consideratus vt existens, præscindendo interim, an reipsa existat absolutè, vel non existat intrinsecè, dicitur hypothesis, & conditio in hac materia. Et quidem inesse Deo perfectam scientiam contingentium omnium, quatenùs conditionatè futurorum, non minùs quàm vt futurorum absolutè (quod præcipuè ad hunc locum spectat) concors iam omnium fere Doctorum Catholicorum sententia est in omnibus scholis Catholicis meritò admissa, tamquam indubitata, atque defensa constanter, tamquam omninò necessaria ad tuendam perfectionem diuinæ prouidentiæ circa res creatas.

Art. 4. Ratio efficax huius partis est. Quia Deus est vniuersale rerum omnium principium perfectissimum, atque adeo liberrimè electiuum non modò rerum quarumlibet singularum seorsim, & secundum se; sed etiam combinationum omnium, & singularum; ita vt repugnet, non modò rei alicuius singularis seorsim, & secundum se existentiam, vel non existentiam; verùm etiam eiusdem rei cum aliqua alia re, vel rebus aliis coniunctionem, aut non coniunctionem esse causalem, & fortuitam respectu Dei; idest, euenire independenter ab intentione, vel permissione Diuina non tantùm materialiter, & identicè, sed etiam formaliter, & reduplicatiuè libera. Quod sane absque absurditate maxima negari non potest, & infrà ostendetur, inter alia ex illo Sapientiæ 11. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Vbi habetur triplicata expressio clara omnium, & singularum combinationum creatarum respectu prouidentiæ, & liberæ electionis diuinæ politiuæ, aut permissiuæ.

Art. 5. Impossibile autem esset, vt conueniret Deo ea amplitudo prouidentiæ, & liberæ electionis circa omnes, & singulas combinationes, seu complexiones rerum, nulla facta exceptione, si non conueniret eidem scientia, qua ante omne suum decretum, & liberam electionem ponendi, seu non ponendi vnam quamlibet rem creatam à parte rei, præcognosceret, quid ex ea iam posita à parte rei subsequuturum esset, aut impediendum ab eadem, ipso Deo non negante suam cooperationem. Impossibile namque est, vt suppetat libera electio, non præeunte cognitione eligendorum quoad id, in quo formaliter libertas electionis versatur. Aliquæ autem ex complexionibus creatis, imò præcipuæ complexiones, & combinationes rerum creatarum, ad quas cætera omnia bona creata propria Viatorum ordinantur, sunt eæ, quæ conflantur ex voluntate creata sic, vel aliter præuenta per hæc, vel illa auxilia, siue naturalia, siue supernaturalia, perquè omnes eorum circumstantias; & ex actibus eius liberis, seu bonis, seu malis. Sicut enim finis creatus simpliciter vltimus ceterarum rerum creatarum est beatitudo Prædestinatorum: ita finis creatus huic vltimo immediatus, ideoque absolutè vltimus comparatione bonorum, quæ conferuntur pro statu Viatoris, est causa proxima inductiua beatitudinis. Quæ causa est indistincta ab operibus meritoriis saltem quatenùs moraliter permanentibus vsque ad finem vitæ.

Art. 6. Necesse igitur est; vt Deus, antequam decernat constituere substantiam rationalem creatam, in

in hac, vel illa determinata opportunitate operandi, cognoscat certò, ac infallibiliter, quem exitum sit habitura vnaquæque opportunitas operandi; & an coniungenda sit cum opere bono, an cum malo, & quali. Quod nihil est aliud, quàm præcognoscere omnes, & singulos actus nostros liberos, quatenùs conditionatè futuros. Necesse verò est, vt sic præcognoscat subsequutionem istorum effectuum contingentium, non minùs quàm vt præcognoscat subsequutionem effectuum necessariò resultantium ex causis secundis necessariis. Quia circum vtrumque genus effectuum est æquè perfecta, æquè dominatiua, atque liberè electiua prouidentia Dei. Imò quia effectus contingentes sunt præcipua materia prouidentiæ Diuinæ, vt notatum est; tribuenda est Deo, quasi à fortiori, præscientia certissima, qua determinatè præcognoscat, quinam actus liber subsequuturus sit, si ponatur à parte rei voluntas sic, vel sic dispositа ad operandum; siquidem tribuitur eidem præscientia certissima effectuum, qui subsequuntur ad vnasquasque causas necessarias, si ponantur à parte rei, sic, vel sic dispositæ: nec nisi dependenter ab hac scientia potest ponere à parte rei vnamquamque causam secundam ex intentione determinata talis effectus in particulari, & cum prouidentia perfecta circa coniunctionem talis causæ determinatè cum tali determinato effectu.

Art. 7. Confirmatur validè istud argumentum. Quia in sacris literis semel, atque iterum tribuitur Deo clarissimè potestas libere electiua bonarum nostrarum operationum, & permissiua malarum. Audiatur præsertim Apostolus ad Rom. 9. 18. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Et iterum v. 31. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam?* Vbi miseratio est liberum arbitrium creatum prout coniunctum cum obseruantia mandatorum; sicut obduratio est idem arbitrium, vt coniunctum cum pertinacia peccandi. Vel potiùs miseratio est collatio coniunctionis illius prioris; sicut obduratio est permissio posterioris istius coniunctionis. Similiter vas in honorem est cor humanum non deuians à lege Dei; & vas in contumeliam est, quod deuiat ab eodem, præsertim per finalem vtrobique, tùm perseuerantiam, tùm impœnitentiã. Ergo vtriusuis ex his extremis electio est perfectè libera Deo. Eodem pertinet totum ferè illud caput Apostoli; nec non caput 24. eiusdem Epistolæ, v. 4. & 2. ad Corinth. 9. 8. & Matthæi 3. 9. & Epist. can. Iudæ fine. Videri præterea plura possunt in eandem rem apud Lorinum. §. *Colligit auctor*, ad illud ps. 39. 6. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.*

Art. 8. Ob hæc, & alia similia testimonia: *Quis porrò tàm impiè desipiat* (intonat Augustinus in Ench. c. 97. fine) *vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non posse conuertere?* Habet igitur Deus scientiam infallibilem, qua certissime præcognoscit, quibus adhibitis auxiliis, & circumstantiis bene operabitur voluntas nostra, & quibus abutetur. Quali videlicet præeunte, ac dirigente scientiã, electio talis fieri, & essentialiter infrustrabilis euadere potest, & sine ipsa non potest; quandoquidem causa immediata, quæ adhibetur, est indifferens ad vtrumque, & absolute fallibilis, quantum est ex se intrinsece. Quapropter, idem August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. prope medium, cum prætulisset infallibilitatem misericordiæ diuinæ, & nostræ sub ipsa, conuersionis, seu bonæ voluntatis; recurrit immediate ad præscientiam istam dicens. *Quia cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Eandem antecedentiam, & directionem huius scientiæ de nostris actibus, vt conditionate futuris agnoscit D. Thomas in hac 1. p. q. 23. ar. 5. ad 1. respectu voluntatis diuinæ conferentis auxilia gratiæ. *Dicendum*, ait, *quod vsus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.* Non autem præscitus, vt absolute futurus; cùm præscientia absoluta præsupponat, vel certe includat voluntatem collatiuam gratiæ, ideſt, actiuam eius collationem, vt existentem absolute. Ergo præscitus, vt conditionate futurus.

Art. 9. Eidem doctrinæ suffragantur D. Augustinus sæpe, & alij Sancti PP. communiter, dum supponunt in Deo, tanquam indubitatam, præscientiam peccati Adæ, & proditionis Iudæ, quæ potuerit impedire creationem illius, & vocationem huius ad Apostolatum: Rursus præscientiam fidei aliquorum in Christum, & infidelitatis longè plurium, pro prioribus sæculis, quarum altera præscientia retardauerit defacto, altera accelerare potuerit Incarnationem Verbi Diuini: vlteriùs præscientiam peccatorum paruuli, *qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, ac demum præscientiam pœnitentiæ finalis eorum, quos Deus expectat ad pœnitentiam. Testimonia Sanctorum PP. in hunc sensum sunt obuia, ac nota omnibus, qui vel leuiter in ipsis versati sunt, & habentur quamplurima, atque clarissima, cum aliis permultis multiplici scopo affinibus, apud Montoyam tota disput. 65. & 66. de scientia Dei, & videri potest Aug. tum alias sæpe, tum lib. 14. de Ciu. c. 27. Præscientia autem, de qua circa eos euentus ita loquuntur Sancti PP. non potest esse scientia visionis absolutè futurorum; seu formaliter, seu æquiualenter. Quia hæc scientia est inseparabilis ab euentibus, quos illa eadem dicitur impedire potuisse; eademque est incompossibilis cum iis euẽtibus, quos illa eadem dicitur inducere potuisse, vt consideranti facile patebit, & clare. Multo minus intelligi potest scientia coniecturalis. Quia Sancti PP. non aliter loquuntur circa hæc de scientia Dei, quam circa possibilia, & absolute futura, & procul dubio intelligunt scientiam, qualem decet Deum, & directionẽ prouidentiæ infallibilis absque restrictionibus, quæ, nonnisi apud Scholasticos, eosque perpaucos, & tenues nec multò pridem audiri cœpere cum scandalo, & iam apud posteros euanuere. Intelligitur ergo scientia infallibilis eorum actuum liberorum, vt conditionatè futurorum, independenter ab existentia, vel non existentia absoluta eorundem, vel aliquorum aliorum actuum liberorum determinate. Datur igitur in Deo scientia infallibilis, & certa nostrorum actuum liberorum, quatenùs conditionate futurorum.

Art. 10. Quod autem hæc Dei scientia nitatur decreto libero Diuino conditionato prædeterminandi physice arbitrium creatum, ad actum, quidem bonum, si in talibus determinate circumstantiis constituatur; ad materiale verò peccati, si in talibus determinate aliis constituatur; subiacet omnibus argumentis, quibus in quæstionibus de efficacia gratiæ ostensum est, physicam prædeterminationem, vltra alia incommoda, repugnare libertati, ac indifferentiæ arbitrij nostri; eandemque esse rationem de quolibet alio essentialiter, ac determinatè connexo cum altera determinatè parte contradictionis, aut contrarietatis, simulque ineuitabili simpliciter, seu inimpedibili ab eodem arbitrio creato. Verùm eadem ratione, qua non licet eas quæstiones in publicam lucem producere, nec etiam licet huc eas transferre mutatis vocibus, & interposito velamine nimis transparenti aduersus Constitutiones Pontificias indicentes silentium circa istam controuersiam de efficacia gratiæ, & circa ea, quæ eandem indirecte contingunt. Hoc vnum obseruare, & licet, & libet, recursum ad decretum conditionatum Dei absolutè existens pro scientia Di-

nina contingentium conditionate futurorum, siue prædeterminatiuum illud dicatur, siue non prædeterminatiuum physicè, non modò nullum habere fundamentum positiuum directum, vel indirectum in doctrina D. Thomæ, vt agnoscit, inter alios Illustrissimus Arauio, quoad decretum prædeterminatiuum prædeterminatione simpliciter, & sine addito physica, verùm etiam repugnare Sancto Doctori, vtpotè recurrenti vbique, pro Diuina contingentium absolutè futurorum cognitione, ad præsentiam physicam eorundem respectu eiusdem, ratione cuius præsentiæ cognoscantur immediatè in se ipsis, cùm non possint vllo alio modo certitudinaliter primitùs cognosci, iuxta mentem ipsius, & iuxta veritatem, vti obseruatum, & ostensum est in quæstione præcedenti, & apparet clarè ex locis ibi indicatis. Quidni igitur idem ob eandem rationem dicatur de scientia contingentium conditionate futurorum, nempe ea quoque immediate cognosci in se ipsis, nec alio modo certitudinaliter cognosci posse ratione alicuius antecedentis determinate connexi cum altera parte contingentiæ.

Art. 11. Verùm efficacissimus modus excludendi, ac dissuadendi eiusmodi libera decreta conditionata, constat idonea expositione modi quo Deus determinari possit, & necesse sit, vt determinetur ad cognoscendam alteram partem vt conditionate futuram, circa effectus contingentes, absque aliquo præuio intrinsecè ad vnam partem determinato formaliter. Dicendum autem est, Deum determinari ad eiusmodi scientiam sola perfectione infinita essentiæ suæ. Quia essentia Diuina per se ipsam præcisè est sufficientia adæquata ad habendam omnem cognitionem, sine qua subsistere nequit amplissima libertas electionum diuinarum, & conceptus prouidentiæ vniuersalis infinitè perfectæ. Ostensum autem est suprà, talem esse cognitionem determinatam contingentium conditionatè futurorum. Sola itaque præit essentia Diuina secundum se, ex parte actus primi virtualis, & in genere quasi causæ efficientis. In actu verò secundo, & in genere quasi causæ formalis, determinatio ad alteram partem contradictionis, vel contrarietatis constituitur adæquatè per ipsam actualem cognitionem repræsentatiuam vnius partis contingentiæ; vt conditionatè futuræ, & oppositæ partis, vt similiter non futuræ. Quapropter scienta media huius determinatè partis, ex. gr. conuersionis D. Petri, quatenùs connexa determinatè cum eadem conuersione, procedit virtualiter intrinsecè ab essentia Diuina, indifferenti quidem ex se præcisè ad eam cognitionem, & ad oppositam; non tamen indifferenti, vt careat vtraque cognitione, sed inducenti necessariò alterutram determinatè, eam videlicet, quæ defacto est vera.

Art. 12. Repugnat nimirum omni cognitioni diuinæ vt sit falsa, & similiter repugnat essentiæ diuinæ secundum se, vt careat aliqua præuia cognitione conducenti, ac necessaria ad perfectionem prouidentiæ vniuersalis, & ad liberam electionem omnis combinationis, & ordinis inter causas, & effectus creatos, maximè contingentes. Ex hac autem duplici repugnantia resultat necessitas metaphysica, vt essentia diuina sola sua vi, & sufficientia propria entis infiniti erumpat in eam potissimùm cognitionem, quæ defacto est vera, circa vnumquoduis futurum contingens sub vnaqualibet hypothesi, tametsi idem futurum non possit poni absolutè à parte rei absq; cooperatione, & electione formaliter libera arbitrij creati. Quod quidem ita pertinet ad conceptum Diuinitatis, sicut pertinet ad conceptum perfecti artificis, vt antequam eligat, adibeatque aliquod instrumentum, præcognoscat quale prodibit opus adhibito vnoquoque instrumento; licet opus ipsum exequi, aut videri exequutioni mandatum minimè possit, nisi adhibito instrumento determinato.

Art. 13. Ratio, ob quam essentia Diuina, quantumuis sit ex se indifferens ad vtramlibet ex cognitionibus oppositis circa contingens conditionatum, potest nihilominùs alteram determinatè inducere, hæc est præcipua. Quia videlicet cum perfectione ipsius essentiæ simul adest virtualiter, & eminenter perfectio propria, & peculiaris liberi cuiusque arbitrij creati, vt potè præcontenti in illa tùm physicè, tamquam in causa efficienti adæquata, tùm intentionaliter, tamquam in specie expressa itidem adæquata ipsius arbitrij, & omnium, ac singularum operationum eius. Ratione namque vtriusque huius præcontinentiæ excludentis ex se omnes imperfectiones proprias rei præcontentæ, ac præsertim alligationem ad determinatum tempus, & locum, nec non augmentum perfectionis per operationē propriam, potest essentia Diuina se sola quasi electiuè præinducere ab æterno cognitionem vniuscuiusque electionis creatæ, vt futuræ sub qualibet hypothesi absolutè possibili, si hæc ponatur à parte rei. Quæ præcognitio est quædam purè intellectualis prælectio æterna electionis effectiuæ creatæ, ac temporalis sub eadem cuiusque hypothesi. Quia verò istiusmodi prælectio, seu quasi prælectio, non solùm in se intrinsecè est expers omnis imperfectionis necessariò adiacentis electioni ipsi creatæ, ac temporali in se, sed neque habet vllam connexionem absolutam cum vlla tali imperfectione, sicut habet scientia absoluta visionis circa electiones creatas: propterea prodire potest à libero arbitrio creato præcisè, vt eminenter contento in essentia Diuina, licet scientia visionis dari non possit, nisi determinante ad ipsam eodem libero arbitrio creato, quatenùs existente in se intrinsecè.

Art. 14. Nempe liberum arbitrium creatum, prout contentum eminenter in essentia Diuina, est pura perfectio absque vlla imperfectione: cum includat plures imperfectiones, prout est in se intrinsecè. Potest igitur, vt præcontentum in Deitate, inducere intentionalem illam determinationem sui expertem omnis imperfectionis, & connexionis absolutæ cum imperfectione; tametsi solum, vt est in se intrinsecè, inducere valeat determinationem sui connexam absolutè cum imperfectione. Præterea, quia idem arbitrium priùs, nempè ab æterno, existit in Deitate intentionaliter tamquam in specie expressa adæquata sui, & suarum operationum, quàm existat physicè in se ipso; ideò priùs, nempè ab æterno, inducit determinationem intentionalem sui, & cognitionem determinatam, quàm determinationem effectiuam, & physicam. Eodem namque modo comparatur vnumquodque principium cum determinatione sua purè intellectuali, quatenùs intellectualiter præexistens, quo comparatur cum determinatione sua effectiua, & physica, quatenùs existens physicè in se ipso. Tam igitur necesse est, vt existat in Deo determinatio purè intellectualis æterna liberi arbitrij creati propter præexistentiam intellectualem æternam eiusdem liberi arbitrij in Deo, quàm necesse est vt existat in ipso libero arbitrio determinatio eius effectiua, & physica temporalis propter existentiam physicam temporalem eiusdem arbitrij in se ipso, cùm re ipsa ponitur à parte rei, vtque illa sit conditionata formaliter, vel æquiualenter, sicut hæc est absoluta.

Art. 15. Difficilis fortè apud nonnullos erit assensus huius doctrinæ, ipsaque doctrina mirabilis potiùs, & audax, quàm credibilis, sicut difficilis, & incredibilis apud nonnullos alios est doctrina præcedentis quæstionis de scientia visionis circa effectus, contingentes absolutè futuros fundata in præsentialitate physica ipsorum respectu Diuinæ æternitatis. Verùm

vtrique

vtrique, & vnusquilibet suggerere sibi debet, dum circa hæc impari contemplatione versatur, illud psal. 138.6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est & non potero ad eam.* Et rursus v. 12. *Tenebræ non obscurabuntur à te; & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius, ita, & lumen eius.* Quibus monemur, & incitamur ad credendum mirabilia de scientia Dei, & ad existimandum eò vel maximè illa esse credibilia de Deo, quia sunt supra omnem facultatem, modumque intelligendi proprium intellectus creati. Quia videlicet Deus potest ex se refundere lumen in ea, quæ extra Deum, secundum se præcisè sunt puræ, ac meræ tenebræ, ideſt, nihil habentia cognoscibilitatis intrinsecè in se actualiter, & absolutè. Hoc nimirum est noctem illuminari, sicut diem, & tenebras esse sicut lumen, & in summa, mirabilem esse scientiam Dei mirabilitate non solum respectu ignorantium eas facultates; sed absolutè, & simpliciter, atque respectu sapientissimorum multò magis: quia ipsi multò magis percipere possunt difficultates intercurrentes in Diuinis Mysteriis, quin æquè benè penetrare valeant sufficientiam, & infinitatem Diuinæ perfectionis valentis, quantum est ex se, illis omnibus satisfacere, & non satisfacientis omninò propter incapacitatem nostri intellectus.

Art. 16. Ad aliqualem nihilominùs maiorem claritatem doctrinæ traditæ, iuuat eandem distinctiùs proponere per breues assertiunculas; quarum series ponat ob oculos distinctiùs naturam scientiæ Dei liberæ. Sit itaque assertio prima. Scientia Dei libera, alia est ipsi soli; alia ipsi, & nobis libera. Probatur, & explicatur assertio. Scientia Dei non est libera directè, & ratione sui formaliter, sicut fides humana, & opinio. Quia nos possumus imperare, & coercere, elicere, & omittere assensum fidei, & opinatiuum, obiectis eodem modo se habentibus, ita vt possimus carere assensu vero, & elicere falsum, prout libuerit; Ideoque subsunt imperio nostro directè, & ratione sui, sicut ambulare, & sedere. Imò & ad obiecta euidenter cognoscibilia possumus applicare, & non applicare intellectum pro libito. At scientia Dei nec imperari, aut haberi potest, non existente obiecto cognoscibili vero eo modo, quo cognoscibile est; nec cohiberi, aut omitti potest, illo existente eodem modo. Quia Deus nec ignorare quidquam potest, nec falsò cognoscere. Quapropter nulla eius scientia potest esse libera directè, & ratione sui formaliter, sed tantùm indirectè, & ratione alterius; nempè quatenus liberum est, vt detur, vel non detur obiectum cognoscibile vere. Erit ergo libera existentia scientiæ Dei, cui liberum fuerit, & quatenùs liberum fuerit, vt detur, vel non detur obiectum cognoscibile verè. Aliqua autem sunt obiecta cognoscibilia verè, quæ vt dentur, est liberum soli Deo. Alia verò sunt obiecta, quæ vt dentur, est liberum Deo, & nobis. Nam vt dentur Cæli, elementa, Angeli, & alia huiusmodi, est liberum soli Deo. Vt verò dentur actus meritorij, & demeritorij, est liberum Deo, & nobis; quod est certum ex fide. Ergo scientia Dei libera, alia est libera ipsi soli; alia ipsi, & nobis. Quod erat probandum. Nec vacat dicere, libertatem nostram esse omninò subordinatam Diuinæ; quod est verissimum. Quia inde solùm sequitur, aliquam Dei scientiam nobis etiam esse liberam libertate subordinata diuinæ; sicut etiam nobis est liberum aliquod obiectum scientiæ Dei. Nec enim propterea non sunt libera nobis, aliqua scientia Dei, & aliquod eius obiectum, quia sunt libera libertate subordinata.

Art. 17. Assertio secunda. Sola nostra libertate fieri potest, vt impediatur aliqua Dei cognitio. Sequitur ex præcedenti. Quia quod duobus coniunctim est liberum, ab vtrolibet seorsim est impedibile. Quod libet enim impeditur, quominùs sit, defectu cuiuslibet necessarij, vt sit. Cùm igitur, quod duobus coniunctim est liberum indigeat vtriusque consensu, vt sit; sitque vtriusque consensus necessarius ad existentiam eius; patet vtriuslibet dissensum, seu omissionem sufficere, vt id non sit, seu ad impediendam eius existentiam; atque ideò fieri posse, vt sola vtriusvis seorsim libertate impediatur. Aliqua autem Dei cognitio est ipsi, & nobis simul libera. Ergo tam sola nostra libertate, quam sola Diuina fieri potest, vt impediatur aliqua Dei cognitio.

Art. 18. Assertio Tertia. Sola nostra libertate fieri potest, vt existat in Deo aliqua cognitio. Sequitur ex præcedenti. Quia repugnat impediri aliquam Dei cognitionem, quin Deus eo ipso cognoscat illam esse impeditam, seque impeditum esse, quo minùs illam habere possit, & à quo hoc impedimentum proueniat; & obiectum cognitionis impeditæ non esse proxime cognoscibile, nec dari à parte rei. Aliàs enim posset aliquid accidere, Deo id nescienti; possetque aliquid verè dari, aut non dari à parte rei, nec esse proximè dabile, quin eo ipso cognosceretur eatenùs à Deo. Cum ergo sola nostra libertate fieri possit, vt impediatur aliqua Dei cognitio, eadem etiam sola fieri potest, vt existat in Deo aliqua alia cognitio. Adiungo huic assertioni quartam, & quintam ita illi æquipollentes, vt vix vlla seorsim egeant probatione. Quarta itaque est. Datur in Deo cognitio contingens absolutè, simulque non libera Deo. Quia quæ impediri, quæque induci aliqua libertate potest, non est simpliciter necessaria. Neque est libera Deo, quæ induci sola nostra libertate potest; cùm quod alicui liberum est, non possit soli alteri esse liberum positiuè. Quinta assertio est. Datur in Deo cognitio nobis libera, simulque non libera Deo. Quæ conclusio nihilo reipsa differt à duabus præcedentibus.

Art. 19. Assertio sexta. Datur scientia Dei media inter scientiam Deo liberam, & necessariam simpliciter. Deducitur clarè ex dictis. Quia scientia, quæ est contingens, simulque non libera Deo, participat aliquid ex vtroque hoc extremo, & cum neutro conuenit adæquatè. Participat enim ex scientia Deo libera contingentiam; & potuisse absolutè non esse in Deo; ex necessaria verò participat defectum libertatis ex parte Dei; ac per consequens neque cum scientia simpliciter necessaria, neque cum libera respectu Dei adæquatè conuenit. Ostensum est autem inesse Deo scientiam non liberam ipsi, & nihilominùs contingentem simpliciter; seu quæ potuerit absolutè non dari secundum terminationem, iuxta ea, quæ infrà exponentur circa terminationes liberas Dei; vbi etiam modificabitur, & exponetur legitimè vox ista contingentiæ cum aliis similibus respectu terminationum diuinarum ad obiecta creata: Datur igitur in Deo scientia verè media modo dicto.

Art. 20. Si verò displiceat vox ista scientiæ mediæ, placeatque vsurpare, tamquam adæquatam, diuisionem antiquam in scientiam liberam, & necessariam, facili id negotio fieri potest, absque vllo veritatis, & rei significatæ detrimento; dummodo per scientiam liberam non intelligatur determinate ea tantum, quæ libera Deo est, sed absolute, quæ libera est, præscindendo à libertate creata, & increata. Verùm scientia Dei libera hoc modo sumpta subdiuidi rursus potest in liberam soli Deo, & in liberam Deo, & nobis; & in liberam nobis tantùm. Et quidem subdiuisio in scientiam liberam soli Deo, & liberam Deo, & nobis simul, à nemine negari potest. Quia à nemine negari possunt obiecta soli Deo libera, & obiecta libera Deo, & nobis simul. Ea autem quæ est nobis tantùm libera, iuxta deductionem hìc factam, appellatur à nostris Theologis communiter scientia media, clari-

tatis ergo, & pro maiori disputationum expeditione, eademque de causa appellabitur à nobis, in decursu, eodem modo. Sed iam initio monui istam controuersiam esse de voce, ideóque nullius momenti.

Art. 21. Assertio septima. Obiectum absolutè, & determinatè cognitum per scientiam mediam est negatiuum. Hæc assertio sublucet in fundamentis assertionis primæ, secundæ, & tertiæ? Ostensum est enim assertione secunda, aliquam Dei scientiam ob hanc præcisè rationem, impediri posse sola nostra libertate; Quia quod est Deo, & nobis simul liberum, fieri potest, vt impediatur, tùm sola diuina, tùm sola nostra libertate. Ostensum rursus similiter est assertione tertia, aliquam Dei scientiam, ob hanc præcisè rationem, induci posse sola nostra libertate; quia non potest impediri aliqua Dei cognitio, quin Deus eo ipso cognoscat eam esse impeditam, eiusque obiectum non esse proximè cognoscibile. Ostensum denique est assertione prima, inductionem, & impeditionem, alicuius cognitionis diuinæ solùm indirectè liberam esse posse; sola scilicet libertate directa penes eius obiectum. Cùm igitur apud nos solos sola sit formaliter libertas impediendi aliquam Dei cognitionem; & sola huius impeditione, inducendi aliquam aliam cognitionem, eam scilicet, quam mediam appellauimus; quod perinde est, atque sola impeditione alicuius obiecti induci eam scientiam; patet scientiam mediam solùm reipsa cognoscere absolutè, & determinatè aliquod obiectum non fore, ideóque eius obiectum esse purè negatiuum. Quia impeditio obiecti est sola negatio formaliter, ac præcisè.

Art. 22. Cognoscit itaque Deus, per scientiam mediam, vocationem, totamque libertatem in actu primo proximo, quæ ex. gr. collata est defacto D. Paulo, vt conuerteretur ad Christum, non coniungendam esse cum dissensu, nec liberum proximè sibi esse, vt cum eo coniungatur, seu permittatur coniungi. E conuerso respectu Iudæ, cognoscit vocationem, totamque libertatem in actu primo proximo, quæ collata est illi defacto, vt perseueraret, non coniungendam esse cum consensu, nec sibi esse proxime liberum, vt cum eo coniungatur. Idem similiter cognoscit de qualibet alia vocatione, & libertate creata in actu primo proximo. Quia eadem est ratio de qualibet vocatione, & libertate in actu primo proximo absolutè possibili. Nihil verò ampliùs cognoscit Deus absolutè, & determinatè per scientiam mediam, vt apparet clarè ex serie assertionum præmissarum. Ergo obiectum absolutè, & determinate cognitum per scientiam mediam, eiusdemque proprium, ac speciale, est purè negatiuum; siquidem non coniunctio, & non liberum proximè; seu libertas proxima quatenùs non existens, & coniunctio quatenùs non futura, sunt solæ negationes. Dixi, obiectum proprium, ac speciale; quia non negatur scientiæ mediæ obiectum positiuum, præsertim, quod est motiuum formaliter, eidem commune cum scientia simplicis intelligentiæ, & visionis. Quod tamen nihil interest pro re præsenti.

Art. 23. Postrema assertio est. Scientia media saltem æquialenter est disiunctiua, & conditionata circa nostrum consensum, & assensum liberum sub vnoquoque auxilio, & collectione circumstantiarum. Probatur. Quia perindè est scire hanc vocationem non coniungendam esse cum dissensu, & hanc aliam non esse coniungendam cum consensu: seu hanc vocationem non fore inefficacem, & hanc aliam non fore efficacem: idque esse ineuitabile Deo independenter ab omni decreto suo libero, quod obiectum cognoscitur formaliter per scientiam mediam, ex assertione præcedenti: Perindè, inquam, hoc est, atque scire hanc vocationem, vel non esse extituram, vel esse coniungendam cum consensu; seu si extiterit, coniungendam esse cum consensu, & fore efficacem; hanc verò aliam, vel non esse extituram, vel coniungendam esse cum dissensu, & fore inefficacem; idque vtrobique esse ineuitabile Deo independenter ab omni suo libero decreto. Nempè, posita vocatione, totaque libertate proxima in actu primo, nullum datur medium inter consensum, & dissensum, seu omissionem liberam consensus; sed necesse est, alterutrum ex iis dari à parte rei. Ergo non potest fieri quin coniungatur cum consensu, & sit efficax, si ponatur à parte rei ea vocatio de qua absolutè verum est, atque adeò ineuitabile iam est, non coniungendam esse cum dissensu, & similiter è conuerso de ea, quæ cognoscitur non coniungenda cum consensu. Hoc autem manifestè continet in se, saltem æquialenter, veritatem disiunctiuam, & conditionalem, qualem expressimus.

Art. 24. Cognoscit itaque Deus determinatè, saltem æquialenter, de qualibet vocatione, vel non esse extituram, vel fore efficacem, seu si extiterit, fore efficacem: aut è conuerso, vel non esse extituram, vel fore inefficacem, seu si extiterit, fore inefficacem. Quare si nulla agnoscatur imperfectio in modo tendendi formaliter disiunctiuo, & conditionato; scientia media dicenda est formaliter disiunctiua, & formaliter conditionata, vel alterutro ex his modo: sin minùs, dicatur tantùm absolute, ac determinatè tendens in negationem efficaciæ, aut inefficaciæ cuiusque auxilij, iuxta assertionem præcedentem. Nec enim tanti interest, vtro ex his modis loquare. Noster tamen sensus circa hoc ipsum patebit ex responsione ad 3. circa secundam eius confirmationem. Interim ex his omnibus, quæ dicta sunt, constat, quod ad rem ipsam attinet, dari in Deo scientiam mediam, sensu superiùs explicato, eodemque intento, re ipsa ab omnibus nostris Theologis, & à quamplurimis aliis, quorum longum catalogum exhibent Montoya, Paulus Leonardus, & alij in præsenti.

Ad 1. Effectus contingens tàm vt futurus conditionatè, quàm vt non futurus conditionatè, coincidit reipsa cum veritate obiectiua contingenti purè negatiua, vt liquet ex proximè dictis. Nulla autē veritas obiectiua purè negatiua, siue pertinens ad statum conditionatum, siue absolutum, est talis per se ipsam intrinsecè, sed per solam denominationem extrinsecam ab alio intrinsecè incompossibili cum eo, quod negatur; vti apparet ex dictis in quæstione præcedenti circa scientiam Diuinam negationum, & alibi ex professo efficaciter comprobabitur. Dicendum itaque est, futura contingentia quatenùs conditionatè futura non cognosci determinatè in vlla eorum causa, quod efficaciter conuincit obiectio; sed cognosci immediatè in se ipsis ea immediatione, quæ respectu cuiuslibet alterius veritatis obiectiuæ consistentis in negatione, possibilis est. Quod ne tangit quidem obiectio.

Ad 2. Essentia Diuina nequit se sola determinare in genere causæ formalis intellectum Diuinum ad alterutram partem veritatis contingentis; determinare tamen potest se sola in genere quasi causæ efficientis propter continentiam virtualem physicam, & intentionalem formalem liberi arbitrij creati; vti expositum, & comprobatum est suprà ab artic. 11. In genere verò causæ formalis determinatur intellectus Diuinus per actualem cognitionem vnius partis excluiuam partis oppositæ, vt ibidem dictum est. Ratio autem, ob quam hæc formalis determinatio intellectus Diuini non sit electio libera respectu Dei, licet nihil ante se præsupponat formaliter determinatum ad vnam partem potiùs, quàm ad

oppositam

oppositam, facilè deducitur ex dictis ibidem. Quia videlicet ea determinatio procedit ab essentia Diuina, quatenùs continente in se liberum arbitrium alterius, & per quandam attemperationem cum eodem, atque interueniente necessitate conditionata conformitatis cum libera electione arbitrij creati. Quæ dependentia à libertate, & electione alterius principij electiui, atque necessitas attemperationis cum eadem, est contra conceptum electionis formaliter liberæ respectu principij, quod exercetur immediatè tali operatione, & cognitione. De ratione namque liberæ electionis est, vt tàm existentia, quàm impeditio eius tribuatur principio, à quo immediatè procedit physicè, & non alteri principio formaliter electiuo, & libero. Quòd autem nulla huiusmodi determinatio intellectualis dari possit in creatis, nulla priùs formaliter præexistente determinatione obiectiua ad vnam partem, nihil probat respectu Dei, qui ratione suæ infinitatis sufficit ad plura etiam alia, ad quorum similia non sufficiunt causæ secundæ ratione suæ limitationis, & incontinentiæ eminentialis omnium aliorum principiorum distinctorum ab vnaquaque illarum, vti superiùs ponderatum est.

Art. 1. Ad 3. Contingens, quatenùs conditionatè futurum, est obiectum re ipsa purè negatiunm, ideóque minimè capax, quatenùs tale formaliter, cui insit aliquod esse, seu prædicatum aliquod in se intrinsecè, sed per solam denominationem extrinsecam ab alio. Huiusmodi autem denominatio extrinseca non fictè, sed verè, & realiter conuenit effectui contingenti. Quia verum est, & minimè fictum, vocationem, v. gr. collatam de facto D. Petro non esse coniungendam cum dissensu, siue ea vocatio ponatur absolutè à parte rei, siue numquam ponatur absolutè à parte rei. Ipsa namque vocatio secundum se est quid reale, vt patet; & denominatio non coniunctionis cum dissensu, conueniens ipsi absolutè ratione scientiæ Dei actualiter existentis, & conditionatè ratione euentus, qui re ipsa eueniet, si ponatur eadem vocatio absolutè à parte rei, est itidem realis, & vera ex vtroque capite, vt patet ex dictis suprà, & facilè cuique apparet rem totam vel leuiter consideranti. Nihil igitur fictum interuenit in obiecto scientiæ mediæ, licet nihil eidem obiiciatur in se intrinsecè existens, seu habens in se intrinsecè aliquod aliud prædicatum. Fictio enim consistit in eo, quòd attribuatur alicui oppositum eius, quod sibi inest à parte rei; non verò in eo, quòd attribuatur aliquid per denominationem purè extrinsecam relatè ad euentum reipsa futurum conditionatè, existente principio reali sufficienti ex se ad inducendam futuritionem eiusmodi conditionalem intentionaliter, ac intellectualiter.

Art. 2. Ad primam confirmationem. Augustinus, & Prosper non propterea appellant ficta, merita conditionata Pelagianorum; quia ab ipsis dicerentur præcognosci, vt futura sub conditione. Ipse namque Augustinus, vt alia nunc omittam, in libro de bono perseu. à c. 9. vbi vel maximè eum Pelagianorum errorem persequitur, clarissimè, ac indubitanter docet Deum præscire merita, & demerita hominum, vt futura sub conditione, non posita absolutè à parte rei, vel certè impedibili in sensu composito talis præscientiæ. Quam in rem, præter multa alia dicit in principio eius capitis de mortuis in peccato: *Certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antè quàm id fieret, auferre de hac vita.* Et tamen vita quatenùs non ablata, seu quatenùs possibilis non auferri, erat conditio necessaria ad lapsum præscitum, qui asseritur impedibilis à Deo ratione præscientiæ Diuinæ de eodem lapsu, vtique, vt conditionatè futuro; cùm quod præscitur absolutè futurum, non possit impediri ex vi eiusdem præscientiæ.

Art. 3. Merita ergo, & demerita conditionatè futura qualia docebantur à Pelagianis, ideò præcisè dicuntur ab Augustino, & Prospero, non futura, & ficta; Quia Pelagiani tribuebant absolutè vim meritoriam, ac demeritoriam operibus bonis, & malis, quibus non nisi conditionatè tribuebant existentiam. Eadem proinde opera dicebant absolutè futura, & existentia simpliciter in ratione meriti, & demeriti inducentis defacto causalitate absoluta morali præmium, & supplicium; quæ dicebant, & erant conditionatè tantùm futura, & existentia solùm secundum quid quoad entitatem, totámque suam bonitatem, & malitiam moralem. Ac demum volebant opus, quod tantùm foret, iam eo ipso esse, & inducere absolutè vi, & causalitate sua vitam, vel interitum æternum. Quæ sunt planè chimærica, & ficta, & non dicuntur ab vllo auctore Catholico scientiæ mediæ, & impugnantur ex professo ab omnibus nostris Theologis, vti impugnabuntur etiam à nobis in qq. de merito humanorum actuum. Videatur interim Augustinus in loco indicato de bono perseuerantiæ, vbi hæc eadem disertè docet, ac distinguit.

Art. 4. Ad secundam confirmationem. Sicut ea, quæ nos cognoscimus componendo, & diuidendo, cognoscit Deus absque compositione, & diuisione, per simplicem intuitum: ita quæ nos cognoscimus per cognitionem formaliter conditionatam, & ad instar inferentis, Deus cognoscit per cognitionem æquiualenter conditionatam, & formaliter absolutam. Omnis nempe conditionalis resoluitur in absolutam negatiuam coniunctionis inter conditionem, & conditionatum, aut conditionati omissionem, præscindendo inferim ab existentia, & non existentia absoluta vtriusuis eorum seorsim, & secundum se. Cognoscit igitur Deus reipsa in hunc modum: Hic actus primus proximus libertatis ex. gr. qui datus est D. Petro ad conuersionem, non coniungetur cum omissione conuersionis; neque hæc coniunctio subest meæ liberæ electioni, seu permissioni: Hic verò alius, nempè cum quo peccauit Iudas, non coniungetur cum omissione libera peccati; neque hæc coniunctio subest meæ liberæ electioni; sed solùm, vt vtrumque hoc extremum positiuum existat simul, vel vt neutrum existat. In quo nullum est inconueniens, vt coniici clariùs potest ex dictis supra circa hoc ipsum ab art. 23. Igitur scientia media nullam inducit in Deum falsitatem, vel etiam secundum quid, & purè apprehensiuam, vel quoad modum cognoscendi.

Ad 4. Stultum quidem est, adiungere cognitionem conditionatam cognitioni absolutæ iam præexistenti de eadem re: sicut stultum est, adiungere scientiam affirmatiuam possibilitatis rei, præexistente iam scientia de existentia eiusdem rei. Quia posterior veritas vtrobique continet in se formaliter veritatem priorem, eique superaddit. At ordine contrario optimè se res habet ob rationem contrariam, & à nemine negatur comparatione facta inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis distinctas inter se virtualiter intrinsecè, cum præexistentia virtuali simplicis intelligentiæ ad scientiam visionis. Scientia autem media subsequitur virtualiter intrinsecè ad scientiam simplicis intelligentiæ, cui aliquid superaddit, & præcedit virtualiter intrinsecè scientiam visionis, quæ similiter superaddit aliquid eidem scientiæ mediæ. Nulla igitur est absurditas in hoc processu Diuinæ cognitionis, & exempla obiectionis sunt abs re.

Ad 5. Patet ex dictis circa secundam confirmatio-

nem tertij. Nempè sicut præuidetur per scientiam mediam, quòd homo operaretur benè, certaret, vinceret, & mereretur; non autem quòd iam hoc faciat, ità præuidetur, quòd Deus coronaret, & remuneraretur, non tamen iam hoc facit, aut præuidetur iam facere. Ineptissimus ergo erat error ille Pelagianorum dans compensationem absolutam operis, & laboris existentis tantùm conditionatè, & per solam extrinsecam denominationem; cùm opus bonum, quatenùs sic præuisum, solùm in genere causæ finalis mouere possit ad dandam gratiam, qua fiat absolutè, vt dicebat suprà D. Thomas.

Ad 6. Iam superiùs dictum est, nomen istud scientiæ mediæ inductum esse de nouo maioris claritatis gratia, & pro expeditiori disputationum vsu; rem verò ipsam significatam per illud docuisse iam olim Theologos fere omnes, præsertim D. Thomam, & Scotum, vti ostendit fusè P. Montoya disput. 67. de scientia Dei. Qui similiter demonstrat disput. 86. sect. 2. vt plurimùm, comprehensam ab illis esse sub nomine scientiæ visionis. Quoad fundamentum ex parte diuisionis obiectorum, dicendum est, vltra esse, & non esse simpliciter, ac intrinsecè, dari aliud esse secundum quid pure denominatiuum, ac extrinsecum, & solum conditionaliter comparatiuum actus primi cum actu secundo. Vndè ea diuisio obiectorum est adæquata quoad res cognoscibiles; non verò quoad modos essendi rerum cognoscibilium. Qua distinctione omnibus opus est pro exponenda scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus non cognoscit res creatas existere determinatè, aut determinatè non existere, solumque cognoscit eas secundum denominationem possibilis conuenientem eisdem extrinsecè; tametsi nulla res possit esse à parte rei, neque existens in se intrinsecè, neque non existens in se intrinsecè. Quapropter multiplicitas virtualis intrinseca scientiarum non pendet à sola multiplicitate scibilium secundum esse ipsis intrinsecum, sed etiam à multiplicitate secundum denominationes extrinsecas variabiles absque vlla variatione absoluta intrinseca rerum scibilium.

Art. 1. Ad 7. Liberum arbitrium Dei non existit priùs purè intentionaliter in specie sui, quàm existat physicè in se ipso; ideóque non potest inducere vllam cognitionem suæ electionis priùs, quam inducat ipsam electionem sibi immediatè liberam. Recognoscantur pro intelligentia huius rationis, quæ dicta sunt supra art. 13. & 14. Deinde auferret Deo libertatem ad suos actus scientia media eorum. Quia esset determinatio præuia ad vnam partem, intrinsecè afficiens voluntatem Diuinam, ac proindè prælligans illam physicè ad vnam partem. Cuius rationis vis apparebit ex dicendis infrà qu. 34. circa concordiam nostræ libertatis cum Diuina prædestinatione, & cum hac ipsa scientia media Dei, circa actus nostros. Demum (quod indè consequens est) scientia media Dei circa suos actus non iuuaret; sed dirueret perfectionem, & libertatem amplissimè electiuam prouidentiæ Dei. Ex quo capite primò, ac principaliter probata est scientia media Dei circa actus nostros. Negata igitur scientia media Dei circa suos actus, concedenda est circa nostros, respectu quorum opposita omnia verificantur.

Art. 2. Hinc consequenter neganda est Deo scientia media circa actus etiam creatos sub conditione disparata. Quia quòd actus nostri coëxistant, vel non coëxistant tali conditioni, subest directè soli liberæ electioni Diuinæ; atque respectu electionis creatæ id ipsum est purè casuale, ac fortuitum. Vnde negata Deo scientia media circa suas liberas electiones, neganda quoque est circa nostras quatenus coniungibiles cum conditionibus disparatis, atque separabiles ab eisdem. Neganda similiter est scientia media specialis euentuum conditionatè futurorum sub hypothesi impossibili. Quia omnis veritas pendens ab hypothesi impossibili est adæquatè indistincta ab aliqua veritate absoluta à tali hypothesi, seu à veritate aliqua absolutè, & adæquatè possibili; & cognoscitur depuratiùs, atque omninò perfectè, exclusa eadem hypothesi. Quæ videlicet non interponitur absque aliqua improprietate, & admixtione falsitatis secundum quid ex parte apprehensionis. De quo agendum est quæst. 36. ab art. 4. & aliquid præterea insinuabitur qu. 43. circa distinctionem Spiritus Sancti à Filio, si non procederet ab ipso.

Ad 8. Opus quidem est iisdem omnibus principiis ex parte Dei, & nostra, pro existentia, tùm absoluta, tùm conditionata actuum nostrorum liberorum; sed diuersimodè. Quia ad existentiam absolutam horum actuum in se intrinsecè, opus est existentia absoluta illorum principiorum in se intrinsecè; at ad existentiam conditionatam, ideſt, purè extrinsecam, & intentionalem eorumdem actuum, sufficit existentia eorumdem principiorum purè eminentialis, ac intentionalis in essentia Dei, vt expositum est suprà. Tali nimirum existentia principij opus est pro existentia cuiusque effectus, qualis est existentia eiusdem effectus, & nihil amplius. Quare absque necessitate, & vtilitate, ne quid in præsenti dicam ampliùs, inducitur decretum liberum conditionatum absolutè existens in Deo, vi cuius nihil detur absolutè existens, siue absolutum, siue conditionatum intrinsecum effectibus contingentibus creatis cognoscendis à Deo nihilominus secundum solam denominationem absolutè extrinsecam, & tantùm conditionate intrinsecam.

Ad 9. Quod decretum collatiuum actus primi liberi creati coniungatur cum scientia media de operatione bona potiùs, quàm de mala, aut cum vtriuluis omissione, & quòd idem actus primus conferatur potiùs per decretum prædefinitiuum boni operis, quàm per decretum permissiuum peccati; & consequenter quòd detur in Deo scientia visionis de bono opere potiùs, quàm de malo; aut è contra: totum pendet in genere determinantis ab electione liberi arbitrij creati; pro vt existente absolutè pro sua temporis differentia, & indidem coëxistente toti æternitati Dei, vti dicetur, & exponetur ex professo infrà quæst. 34. Cui doctrinæ suffragatur frequens illa contrapositio sanctorum PP. apud Montoyam disput. 33. de scientia sect. 3. & 4. circa actus liberos creatos; Non ideò sunt futuri, quia prænidentur à Deo; sed ideò præuidentur, quia sunt futuri. Nulli itaque actus intellectus, aut voluntatis Diuinæ sunt medium, in quo, tamquam in primo determinatiuo intellectus Diuini, cognoscantur actus liberi creati, vt existentes absolute independenter à præsentia physica ipsorum respectu æternitatis. Quod tamen non tollit, quominùs in actibus Diuinæ prouidentiæ videatur connexio intrinseca cum nostris actibus, atque in his vicissim connexio intrinseca cum illis, & quòd catenus dicantur alij in aliis mutuò cognosci. Verùm hoc nihil facit ad punctum de primo determinatiuo cognitionis Diuinæ. De discrimine conditionatè futurorum quoad præsentiam physicam respectu Dei non necessariam pro ipsis, & necessariam pro absolutis, iam dictum est suprà; & res est satis clara, vt appareret ex fundamentis propositis pro vtraque scientia, & media, & visionis.

QVÆS

QVÆSTIO XIX.

Vtrum Deus velit se, & alia propter se ipsum?

VIDETVR non velle. 1. Quia voluntas est mouens motum ex 3. de anima text. 54. Eius obiectum est finis. Et actus est appetitus. Hæc autem omnia repugnant Deo; vtpote immutabili; infinito, & nullius indiguo, vt suprà habitum est. Ergo nihil potest velle Deus, nec datur in ipso voluntas.

2. Quod nihil interest alicuius, non potest esse volitum propter ipsum, quia eo ipso non est bonum illi. Nihil autem intersunt Dei res creatæ, nec habent rationem boni respectu eiusdem. Ergo non possunt esse volitæ propter Deum.

3. Si Deus vellet cætera omnia propter se solum, non esset capax amicitiæ cum Angelis, & hominibus, aut alicuius alterius virtutis moralis. Quia de ratione amicitiæ est, vt amicus ametur propter ipsum amicum, & non propter amantem, similiterque est de ratione virtutis moralis, vt habeat motiuum formale distinctum à summo bono, quod est Deus, vt dicetur in qq. de Virtutibus. Sequela autem est absurda contradicens sacris literis in multis locis. Ergo Deus non vult propter se solum cætera omnia, quæ vult.

4. Res creatæ habent bonitatem amabilem ratione sui immediatè; sicut habent entitatem producibilem immediatè à potentia Dei, quæ non est minùs perfecta, quàm voluntas Dei. Ergo possunt amari à Deo immediatè ratione ipsarum; sicut possunt produci ab eodem immediatè.

5. Deus mouetur precibus, & meritis hominum ad conferenda, quæ ab illis petuntur, & quæ debentur ratione meritorum. Ergo motiuum adæquatum Diuinæ voluntatis non est solus Deus.

6. Personalitates Diuinæ præditæ sunt tanta bonitate, quanta est bonitas essentiæ Diuinæ. Ergo sunt volitæ à Deo ratione ipsarum, & non tantùm propter se ipsum, quatenùs Deus est formaliter, ideſt, non propter solam Deitatem, ac essentiam.

Art. 1. Respondetur. Existentiam voluntatis in Deo docent passim sacræ literæ, sed maximè Psal. 113. 3. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* & 1. ad Thessal. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Eodem pertinent totidem ferè classes testimoniorum, quot insinuatæ sunt qu. 15. art. 1. pro existentia scientiæ in Deo, nec non rationes ferè eædem, quæ ibidem pro eadem propositæ sunt. Quibus addi solet hæc alia ratio ex D. Thoma qu. 19. art. 1. Quia omne intellectiuum est volitiuum. De qua tamen ratione agendum putaui potiùs in qq. de Angelis. Quia pro existentia voluntatis in Deo, non est necessaria ista propositio sub hac amplissima vniuersalitate. Licet enim cõcederetur possibile aliquid intellectiuum imperfectissimum in genere suo, quod propterea non esset volitiuum; gradus tamen intellectiui infinitè perfecti (quale intellectiuum est proprium Dei) manifestè concluderet coniunctionem, & identitatem volitiui secum; cùm sit perfectior intellectus practicus, beatificatiuus, & directiuus regiminis, ac dominij, quàm qui esset purè speculatiuus, nec idoneus ad dirigendum vllum affectum, fruitionem, dominationem, & similia. Nec expedit implicare, quæ sunt clarissima, cum iis, quæ non sunt vsque adeò clara, atque illuminare lucem obscuritate.

Art. 2. Eadem porrò ratione, qua in dicta qu. 15. asſertum, & ostensum est, essentiam Diuinam esse motiuum formale adæquatum intellectus Diuini cognitum ab eodem comprehensiuè; dicendum quoque est, eandem essentiam secundum se esse motiuum similiter adæquatum voluntatis Diuinæ amatum ab eadem comprehensiuè. Nempè bonitas essentiæ Diuinæ, quatenùs continens in se omnem puram bonitem, omnemque perfectionem sine imperfectione, est sufficiens se sola, in qua velut in centro, & fine vltimo adæquato conquiescat diuina voluntas; & eius gratia existat Deus, omniaque Diuina, non secùs, ac eadem essentia dicta est suprà sufficiens se sola, vi cuius in genere causæ quasi efficientis existant Deus, omniaque Diuina, exclusis vtrinque, à fortiori, creaturis, manifestè incapacibus, vt habeant rationem causæ finalis respectu Diuinæ voluntatis, non minùs, quàm vt habeant rationem causæ efficientis respectu Diuini esse: Quæ paritas viget inter alia, ex illo Apoc. 1. cap. *Ego sum Alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis.* Vbi Deus eodem modo prædicatur, tum causa prima, fons, & origo; tum finis vltimus, centrum, & quies rerum omnium. Ergo vtrumque conuenit Deo eodem modo ratione suæ essentiæ. Ergo sicut hæc se sola est virtus proximè productiua rerum creatarum, & origo virtualis, vt infrà dicetur, reliquorum prædicatorum Dei, quin aliquid aliud sit ipsius origo; ita eadem est bonitas adæquatè motiua diuinæ voluntis ad amorem, & existentiam rerum omnium, quin aliquid aliud habeat rationem motiui, & causæ finalis, vel etiam partialis respectu ipsius. Deinde quæ sunt indistincta virtualiter intrinsecè à relationibus diuinis, & vnicuique earum conueniunt ratione sui, dicuntur pluraliter, vt tres Personæ, tres Substantiæ, duo Spirantes, & similia; at finis vltimus in hoc testimonio, & alibi semper dicitur singulariter; nec plures vltimi fines dici possunt, sicut plures Personæ. Multò verò minùs, sicut plures res creatæ. Ergò ratio vltimi finis præsertim respectu primæ, & summæ voluntatis conuenit soli essentiæ diuinæ secundum se, prout distinctæ virtualiter à personalitatibus, & realiter à creaturis. Demum ab hoc testimonio processit circulus ille decantatissimus apud Sanctos PP. quo omnia, tanquam ad centrum, & vltimum quietis terminum, eò relabuntur, vnde tanquam ex fonte, & prima causa efficiente emanarunt. Quod profectò pronunciant PP. supponentes, tanquam principum euidens, quod est prima virtus effectiua omnium, esse quoque supremam dignitatem, ob quam sint omnia. Cum igitur essentia Dei sit primum principium reale creaturarum, & virtuale relationum diuinarum; eadem similiter est finis vnicus, & adæquatus, ob quem cætera sint, & amentur à prima, & summa voluntate, iuxta illud Prou. 16. 4. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.*

Ad 3. Accedit primum, rationem vltimi finis esse perfectionem simpliciter simplicem. Quis enim dubitat centrum diuinæ voluntatis, finem in quo vltimò quiescit Deus, & obiectum, cuius cognitione, & amore constituitur beatitudo diuina, esse meliora ipsa, quam non ipsa? Perfectio autem simpliciter simplex non est nisi vnica etiam virtualiter intrinsecè, estque penitùs indistincta ab essentia Dei, vti superiùs dictum est. Accedit rursus bonum particulare ex sua natura esse propter bonum commune, vt docet ex Philosopho D. Thomas 1. contra Gentes c. 41. & alibi sæpè, neque est vllus, qui id neget, saltem respectu voluntatis, ad quam spectat bonum ipsum commune secundum totam suam latitudinem. Ergo relationes Diuinæ, quæ sunt particular

culariter propriæ vniuscuiusque Personæ, & multò magis bonitates creatæ, sunt propter essentiam diuinam, quæ est bonum commune. Ergo hæc est vnicus, & vltimus illarum finis. Accedit tertiò, finem in vnoquoque rerum ordine esse præcipuum bonum, & perfectionem reliquis omnibus præeminentem. Patet autem solam essentiam diuinam esse huiusmodi perfectionem. Accedit quartò, nihil manifestiùs esse posse, quàm vnamquamque Personam diuinam eo esse beatam, quo est Deus, & non aliquo insuper alio. Sola autem Deitate, soláque essentia Diuina sunt Deus Personæ Diuinæ. Eadem ergo sola sunt beatæ, atque ideò eadem sola fruuntur, vt amata ratione sui exclusis, à fortiori, creaturis ab hoc munere: Accedit postremò, vnumquemque amorem habere totam suam bonitatem, & mensuram totius suæ perfectionis à motiuo suo formali, & primario; atque amorem diuinum esse indistinctum virtualiter intrinsecè ab essentia diuina, quæ vi sua, & à se sola habet totum suum esse, totamque perfectionem. Ob hæc igitur motiuum formale adæquatum voluntatis diuinæ est sola essentia diuina.

Art. 4. Hoc tamen non tollit, quominùs vna res creata, seu vna operatio Dei ad extra sit finis, tum qui, tum cui, respectu alterius rei creatæ, seu operationis Dei ad extra, idque ex intentione Dei volentis formaliter, vt aliquid creatum sit propter aliud aliquid creatum; licet non possit aliquid creatum velle propter aliquid aliud creatum, vt dicit, & optimè distinguit D. Thomas q. 19. ar 5. Quod ab aliis Theologis solet aliter dici; nempè aliquid creatum posse esse finem alicuius operis diuini; non tamen Dei operantis aliquid, aut alicuius actus interni diuini, qui est ipse Deus. Potest etiam dici; res creatas posse esse motiuum secundarium, & secundum quid voluntatis diuinæ; non tamen primarium, & simpliciter, idest posse esse finem alicuius voliti à Deo, non verò ipsius actus, quo vult aliquid; idest, ipsius volentis aliquid extra se. Iuxta istam distinctionem explicari ab vnoquoque facile possunt, nec possunt aliter intelligi, aut explicari legitimè varia testimonia quæ solent adduci contra conclusionem principalem de motiuo formali adæquato Diuinæ voluntatis constituto per solam essentiam diuinam.

Ad 1. Voluntas ponitur in Deo secundum id præcisè, quod habet de perfectione, sicut dictum est de scientia. Quod autem voluntas aliqua habeat motiuum, aut finem sui extra se, aut indigeat aliquo, quod non habeat, pertinet ad imperfectionem. Vnde in Deo nec appetitus datur propriè, neque motus, neque finis sui actus; sed sola fruitio sui propter se, & pura quies affectiua in se ipso, atque finalizatio solùm respectu creaturarum. Eadem ratione obiectum formale diuinæ voluntatis dici potiùs deberet quietatiuum, quàm motiuum, nisi opus vbique vniuersaliter esset, vt vteremur circa diuina vocibus ad illa translatis ex rebus creatis; quibus, quia magis conuenit moueri, quàm quiescere, propterea motiuum potiùs dicitur illud bonum, quod ex se non minùs habet vim quietandi, quàm mouendi.

Ad 2. Non solùm est volibile, quod interest, sed etiam quod purè decet. Decet autem Deum, vt benefaciat creaturis, licet hoc ipsum benefacere, nihil interfit ipsius, nec vllam ipsi superaddat perfectionem peculiarem, vt infrà dicetur.

Ad 3. Deus vult, vt compensentur merita præmiis, & peccata suppliciis; vt subueniatur miseriæ indigentium, & sic de aliis eiusmodi; idque præcisè quia decet se, vt ita fiat. Habet proindè Deus virtutes omnes morales non includentes, aut supponentes, ex suo conceptu, aliquam imperfectionem, & in quarum conceptu, seclusis imperfectionibus, remanet adhuc perfectio aliqua peculiaris; quales sunt liberalitas, iustitia, misericordia, beneficentia, & aliæ similes. Habet verò illas secundum totam ipsarum perfectionem; quia vult opus proprium earum, quatenùs tale, absque imperfectione adhærendi bonitati creatæ propter ipsam, vti nos facimus. Nec enim hoc necessarium est ad dignitatem laudis, quæ peculiariter tribuitur ratione cuiuslque virtutis moralis; cùm non possit perire dignitas laudis alicui operi præcisè, quia volitum est propter motiuum præstantius. Quod optimè explicat D. Thomas in eadem q. 19. ar. 2. ad 2. exemplo medici, & ægroti. Medicus enim iniungens, & ægrotus sumens potionem amaram, quatenus per intrinsecam suam virtutem conducit ad obtinendam salutem, & quia in ordine ad illam est eligibilis prudenter, respiciunt potionem vt obiectum purè materiale, de quo nemo dubitat; & nihilominus sunt laude digni, & obtinent honestatem peculiarem prudenter, & honestè procurantium salutem; qua dignitate laudis, & honestate carent, si solam adamarent salutem secundum se. Hoc autem pacto se habet Deus in relatione obiecti creati honesti ad bonitatem suam: & non eo pacto, quo idem ægrotus vult potionem dulcem propter salutem, mouente partialiter, dulcedine secundum se, & trahente voluntatem dependenter à salute, simulque independenter ab eadem. Hoc namque posterius non habet locum in Deo, vt aduertit ibidem D. Thomas. Quia essentia diuina non est bonum se solo insufficiens respectu Dei, sicut salus se sola est bonum insufficiens respectu ægroti. Hoc igitur pacto dantur in Deo virtutes morales absque imperfectione ipsarum propria apud nos. Quod specialiter attinet ad amicitiam Dei cum creaturis, explicatur ex professo q. 39. de virt. Theol.

Ad 4. Conformiter ad doctrinam hic traditam bonitas creaturarum potest esse immediatè terminatiua actionis diuinæ ad extra; non tamen motiua formaliter, & propriè amoris diuini. Quia motiuum amoris est causa saltem partialis bonitatis eius, & pertinet ad beatitudinem saltem partialem, & accidentalem amantis, quod repugnat rei creatæ respectu Dei. A quo tamen non repugnat vt illa recipiat immediatè totum suum esse. Est itaque eadem perfectio omnipotentiæ, & amoris diuini; sed omnipotentia comparatur cum suo termino tanquam purè dans, & nihil recipiens; amor verò comparatur cum suo motiuo tanquam aliquid recipiens, & deriuans in amantem. Paritas igitur est manifestè nulla; & bonitas creata potest esse amabilis ratione sui respectu voluntatis creatæ, non verò respectu voluntatis diuinæ.

Ad 5. Constat satis ex dictis circa 3. & superaddetur expositio clarior qu. 31. circa electionem ad gloriam antè præuisa materia. Interim dicitur iuxta phrasim, paulò antè declaratam, preces, & merita nostra esse motiuum secundarium diuinæ voluntatis, non verò primarium, nec partiale quidem. Quia illis debetur, siue de congruo, siue de condigno, præmium, & obiectum precum, non verò voluntas collatiua eorum.

Ad 6. Personalitates Diuinæ non benè comparantur, quoad perfectionem cum essentia diuina. Quia est eadem ipsarum, & essentiæ perfectio etiam virtualiter intrinsecè eodem prorsus modo, ac est vna, & eadem Diuinitas. Quare sicut Personalitates non sunt Deitas, aut Deus formaliter ratione sui, sed realiter ratione Deitatis; ita sunt amabiles ratione Deitatis non minus, quam sit amabilis ipsa Diuinitas, vt apparebit clarius infrà qu. 40. vbi disseretur de perfectione Personalitatum diuinarum.

QVÆ

QVÆSTIO XX.

Vtrum conueniat Deo libertas indifferentiæ circa res creatas.

VIDETVR non conuenire. 1. Quia volens necessariò finem, quantum volibilis est, necessariò vult omnia, quæ sunt ad finem, & sunt volibilia propter ipsum: sicut necessariò cognoscit consequens, qui necessariò comprehendit antecedens, in quo illud continetur. Deus autem necessariò vult suam essentiam, quantum volibilis est; eademque est ipsi finis adæquatus rerum omnium creatarum, vt nuper dictum est. Ergo necessariò vult creata omnia, quæ absolutè velle potest.

2. Voluntas, quæ potest velle comprehensiuè motiuum suum adæquatum, quin velit aliquid, non potest esse libera ad volendum hoc aliud. Quia non superest aliquid propter quod, ipsum velit. Deus autem potest velle comprehensiuè suam essentiam, quæ est motiuum eius adæquatum, quin velit aliquid creatum. Ergo Deus non est liber ad volendum aliquid creatum, & caret necessariò omni volitione rei creatæ.

3. Si Deus esset liber ad volendum, & nolendum aliquid; esset quoque liber ad idem volendum pro vno tempore, & nolendum pro alio. Hoc autem est impossibile propter immutabilitatem Dei. Ergo & primum est impossibile.

4. Deus amat necessariò omnia entia creata, præcisè vt possibilia; vti fert sententia longè communior Theologorum. Eadem autem, vt existentia, sunt meliora. Quia in vnoquoque est melius existere, quàm esse pure possibile. Ergo, à fortiori, amat Deus necessariò omnia creata, vt existentia; id est, vult necessariò, vt existant; sicut necessariò vult, vt sint possibilia.

5. Deus tenetur necessitate morali ad optimum in vnoquoque genere rerum creatarum, vbicumque illud est possibile, nec datur processus in infinitum melioris semper, & melioris. Tenetur verò ità, vt si contingeret non fieri tale optimum, eo ipso Deus desineret esse optimus, & summè laudabilis; ideòst, Deus desineret esse Deus; vti pluribus, & auctoritatibus, & rationibus, atque exemplis luculenter persuadet Montoya disput. 9. & 100. de voluntate Dei; & ea præsertim ratio efficaciter conuincit. Quòd omnes Dei actus necessariò sunt optimi, ac summè perfecti, & tales, quibus ne cogitari quidem possit aliquid melius. Actus verò optimi non nisi de optimis obiectis esse possunt; quandoquidem bonitas cuiusque actus depēdet ex bonitate obiecti, tanquam ex mensura sua. Ergo libertas Dei circa res creatas, nec vniuersalis est, neque perfectè indifferens.

6. Non datur libertas absque libero arbitrio, vt est notum apud omnes; nec liberum arbitrium dari potest absque potestate indifferenti ad bonum, & malum, vt supponit apertè D. Hieronymus to. 4. in epist. ad Damasum Papam prope finem. In Deo autem non est potestas indifferens ad bonum, & malum, cùm peccare minimè possit. Ergo in Deo non est libertas.

7. Si Deus esset omninò indifferens respectu omnium suorum effectuum; nullus effectus proueniret necessariò ex vlla causa secunda; nec vlla certitudo esse posset, quòd ignis applicatus passo benè disposito combusturus ipsum esset potiùs, quàm non combusturus; & sic de similibus. Quia omnes causæ secundæ dependent essentialiter in omni sua operatione à cooperatione causæ primæ. Ergo existente Deo prorsus indifferenti ad cooperandum, & non cooperandum, nulla posset esse determinatio; nullaque absoluta certitudo vllius causæ secundæ productiuæ potiùs, quàm non productiuæ aliquando aliquem suum effectum. Patet autem manifestè sequelam esse absurdam, & contradicentem communi, ac indubitato humani generis consensui.

8. Vniuersaliter est probabilius id fore, quod multipliciter, quàm quod vno tantùm modo contingere potest. Quòd autem existat aliquid creatum, infinitis modis contingere potest, vt patet ex infinitate differentiarum temporis, & loci, & aliarum rerum creatarum, necnon combinationum inter ipsas, quæ, & pro quibus, & in quibus existere possunt. Quòd verò nihil creatum existat, vno tantùm modo contingere potest, nempe Deo volente se solum existere, & nihil vnquam præterea existere. Ergo ex natura rei, nullaque facta suppositione Deo libera, probabilius ab æterno fuit, fore aliquando aliquid creatum, quàm nihil vnquam creatum fore. Ergo Deus ex sua natura non est omninò, & cum perfecto in vtramque partem æquilibrio indifferens, vt velit, & nolit existere aliquando aliquid creatum.

9. Non potest esse indifferens ad alterutrum ex duobus, qui non impellitur ad alterum ex vno motiuo; & ad alterum ex alio. Quia vnum, & idem non potest mouere ad oppositа; cùm inclinatio ad vnum aliquid sit fuga, & retractio ab oppositо. Diuinæ autem voluntatis est vnicum motiuum adæquatum, vt suprà dictum est, impotens proinde contradicere sibi mouendo ad aliquid, ad cuius oppositum simul moueat, & tantundem moueat. Ergo Deus ad nulla duo extrema potest esse indifferens.

Art. 1. Respondetur. Certum est, Deum amare necessariò se ipsum quoad omnia sua prædicata simpliciter necessaria. Primùm, quia necessariò est beatus; & nequit esse beatus absque amore, & fruitione summi boni, quod est ipse Deus, vt est in se cum omnibus suis prædicatis necessariis. Deinde, quia omnia prædicata necessaria Dei sunt puræ perfectiones absque vlla imperfectione, & absque connexione cum aliqua imperfectione. Purum autem huiusmodi bonum nihil habet, ratione cuius moueatur, ac determinetur voluntas ad nolendum, seu non volendum ipsum, si quidem perfectè innotescat prout est in se, sicut dictum est supra Deum innotescere sibi. Demum quia motiuum adæquatum voluntatis Diuinæ est essentia Diuina, quæ est essentialiter coniuncta cum omnibus prædicatis necessariis Dei, & non potest existere absque aliquo ex ipsis, cùm non possit existere absque plenitudine totius suæ perfectionis. Motiuum autem vniuersale, & adæquatum voluntatis, non liberè, sed necessariò est volitum per ipsam. Quia nullum potest habere actum, qui non versetur circa ipsum, & ad quem non moueatur ab eodem; nec fieri potest, vt nullum habeat actum, seu determinationem, & exercitium suum. Eodem pertinet, quòd Deus omne aliud bonum potest habere simul cum omnibus prædicatis suis necessariis; & absque iisdem nullum aliud bonum habere potest. Ergo nulla vllius rei bonitate inclinari, ac determinari potest, vt suspendat amorem sui secundum se, vel ex toto, vel ex parte; atque ideò necessariò amat se Deus secundum se præcisè, quantum amabilis est.

Art. 2. At respectu creaturarum tùm singularum seorsim, tùm quoad quamlibet ipsarum collectionem absolutè possibilem, conuenit Deo absolutè, & simpliciter, nullaque facta suppositione alicuius

deter

determinationis suæ liberæ : conuenit, inquam, perfecta libertas indifferentiæ, absque vlla ad alterutram partem necessitate, seu metaphysica; seu physica, vel morali, reddente, vel certam, vel etiam aliquatenus probabiliorem electionem Diuinam in vnam aliquam partem potiùs, quàm in oppositam. Ratio est. Quia omnis determinatio voluntatis ad media prouenit ex necessitate ipsorum ad finem, vel simpliciter, vel perfectiùs, aut commodius obtinendum. Volens etenim sanitatem, ex. gr. eo ipso determinatur, atque omninò necessitatur ad volendum pharmacum, quod cognoscitur vnice, ac simpliciter necessarium ad illam obtinendam : ad non ità necessarium, existimatum tamen efficacius, aut commodius non ità necessitatur; inclinatur tamen magis ad illud volendum, quàm omittendum. Ad ambulationem verò existimatam nullius prorsus ad id momenti esse, relinquitur omninò indifferens. Finis autem adæquatus Diuinæ voluntatis est bonitas essentiæ Diuinæ, ad cuius existentiam nullatenùs sunt necessariæ, nec quidquam omninò conferunt res vllæ creatæ, nec coniunctim : cùm Deus sit bonum sibi se solo perfectè sufficiens. Quæ omnia superiùs demonstrata iam sunt. Ergo Deus præcisè ex natura rei, nullaque facta suppositione vllius suæ liberæ determinationis est perfectè liber, atque omninò indifferens ad volendam, & non volendam existentiam quarumlibet rerum creatarum, tum seorsim, tum coniunctim, & secundum omnem ipsarum considerationem absolutè possibilem.

Art. 3. Istud argumentum vrget breuiter, & efficaciter Augustinus q. 22. ex 83. dicens. *Vbi nulla indigentia, nulla necessitas, vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo. Ergo nulla necessitas.* Eodem igitur modo excludit à se Deus ratione suæ perfectionis omnem necessitatem respectu aliorum extra se, quo excludit à se omnem defectum. Defectum autem omnem ità excludit à se Deus, vt ne minimum quidem defectum patiatur, cum abundet omni perfectione absolutè, & simpliciter possibili in omni genere, vt sæpè dictum est suprà, præsertim q. 14. Ergò ita excludit omnem prorsus necessitatem respectu aliorum extra se, vt ne minimam quidem necessitatem, seu diminutionem indifferentiæ patiatur respectu cuiusquam rei creatæ, aut collectionis rerum creatarum. Accedit quamcumque, vel minimam necessitatem moralem Dei; & qualemcumque diminutionem plenissimæ indifferentiæ respectu rerum creatarum, fore indistinctam ab indigentia earundem in eodem gradu. Quia necessitas Dei, qualiscumque ea sit, ad volendum aliquid, est indiuisim necessitas, vt illud idem existat, & habeatur à Deo. Quia velle Dei est essentialiter inductiuum rei volitæ, iuxta illud. *Quæcumque voluit, fecit.* Et rursus quælibet res creata per se ipsam essentialiter est propria Dei; ideóque necessitas, vt existat, est necessitas, vt habeatur à Deo. Indigentia autem alicuius rei nihil est aliud, quam necessitas, vt illa existat, & habeatur à patiente necessitatem. Cùm ergo nulla vllius generis indigentia rerum creatarum detur in Deo, vt dicebat modò Augustinus, & colligitur ex illo ps. 15. *Bonorum meorum non eges*; patet nullam omninò necessitatem inesse Deo respectu rerum creatarum, sed perfectam, & plenissimam vndequaque indifferentiam, nulla facta suppositione vllius suæ liberæ electionis, de qua dicendum est infrà seorsim.

Ad 1. Volitio necessaria finis, tametsi comprehensiua sit, non inducit necessariò volitionem mediorum, nisi hæc sint necessaria ad finem. Quia talis finis non connectitur necessariò cum existentia mediorum, sicut connectitur antecedens cum consequenti. Deus autem non est finis, ad quem sit necessarium aliquid creatum, sed se solo sibi sufficit, nec indiget creaturis, vt sit, vtque optime habeat; sed neque indirectè potest inducere essentia Diuina aliquam necessitatem existentiæ creaturarum, quatenus est motiuum itidem adæquatum intellectus Diuini, vi cuius, tanquam antecedentis, possint cognosci creaturæ non solùm vt possibiles, sed etiam vt existentes. Quia essentia Diuina non mouet absolutè se sola ad cognitionem existentiæ creaturarum, sed conditionatè tantùm, nempè si dabitur cognoscibilitas ex parte ipsarum, & materia circa quam versari possit scientia visionis, vt patet ex q. 17.

Ad 2. Decet Deum, tum, vt sit solus, nulla simul cum ipso existente imperfectione creata, tum vt suam bonitatem communicet rebus aliis intrinsecè ordinatis ad gloriam, & laudem ipsius. Vnde ad vtrumlibet ex his extremis, & consequenter ad vtriuslibet nolitionem moueri, atque determinari potest bonitate essentiæ suæ, vt amata comprehensiuè. Hoc nimirum discrimen intercedit inter finem puræ excellentiæ, ac decentiæ, qualis finis est solus Deus, & finem vtilitatis, qualis est omnis finis creatus; vt ille æquè bene habeat cum mediis, & sine mediis conferentibus ad gloriam, & laudem ipsius inutilem eidem; hic verò melius habeat cum mediis, vel simpliciter, vel secundum quid, vtpote vtilibus eidem. Vnde fit, vt finis puræ excellentiæ, ac decentiæ moueat ex parte actus primi ad vtramque partem contradictionis; finis verò vtilitatis magis moueat ad alteram partem determinatè sumptam. Vtrique tamen fini commune est, vt in actu secundo ad alterutram partem determinet. Quia neuter finis existere potest, aut cum vtraque parte contradictionis simul, aut cum neutra. Quapropter amor comprehensiuus vtriusque finis necessariò est electiuus, aut inductiuus electionis terminatæ ad alterutrum extremum contradictionis ex parte mediorum. Ergo essentia diuina per se ipsam est sufficientia, & necessitas metaphysica vaga ad electionem circa quodlibet creatum, absque vlla necessitate determinata ad vnam potiùs partem, quàm ad oppositam.

Ad 3. Omnis Dei volitio, & nolitio est indistincta à Deo, ac proindè ab æterna ipsius duratione, atque ideò est essentialiter æterna. Vnde fieri non potest, vt Deus mutetur, seu physicè, seu intentionaliter, vtque incipiat velle, postquam noluit, aut è conuerso, transeundo ab altero ex his actibus ad alterum. Vno itaque indiuisibili actu vult, vt mutentur res creatæ, & incipiant esse post suum non esse, atque è conuerso; vtque pro vno tempore sic habeant, & sic pro alio. Nec enim repugnat, vt idem actus cùm primum existit, & pro eadem sua duratione velit oppositа circa rem eandem pro diuersis durationibus eiusdem rei, quod vnicuique est experientia manifestum.

Art. 1. Ad 4. Possibilitas physica creaturarum est prædicatum simpliciter necessarium; est purum bonum; est indistincta realiter à Deo, vt apparet ex dictis q. 18. Oppositа omnia conueniunt existentiæ creaturarum, vt per se patet. Concesso igitur amore diuino necessario possibilitatis physicè creaturarum, solus concedendus est amor diuinus liber existentiæ earum.

Art. 2. Verùm si sermo sit de creaturis, vt possibilibus, non physicè, per denominationem extrinsecam ab omnipotentia Dei, quatenùs eadem denominatio est intrinseca Deo, & indistincta ab eadem omnipotentia, sed vt possibilibus logicè, & secundum habitudinem subiecti ad prædicatum (quam distinctionem tradit D. Thomas 1. 2. q. 40. art. 3. ad 2. ex Philosopho 5. Metap. text. 17.) dicendum est cum eodem D. Thoma in præsenti q. 19. art. 3. ad 6. scire

quidem

quidem necessariò Deum, non tamen velle, seu necessariò, seu liberè creaturas præcisè, vt possibiles eiusmodi possibilitate. Ratio differentiæ est; quia voluntas fertur ad bonum præcisè, vt est in se ipso. Creaturæ autem præcisè, vt possibiles Logicè, seu ratione connexionis subiecti ad prædicatum, nullam habent bonitatem in se ipsis, quia illam ipsam connexionem non habent intrinsecè in se ipsis, ideóque non sunt capaces, quæ terminent actum voluntatis, præter quàm secundum suum esse intentionale indistinctum ab actuali earum cognitione. At cognitio diuina ferri potest ad creaturas vt possibiles eadem ista possibilitate. Quia est proprium cognitionis diuinæ, vt possit repræsentare factibilia non minùs, quam ea, quæ facta sunt. Quia scientia habetur de rebus non solùm vt sunt in se, sed etiam, & multò magis secundum quod sunt in sciente; nempè ratione speciei continentis in se similitudinem earum. Itaque voluntas diuina necessariò vult creaturas possibiles secundum vnum genus possibilitatis, neque liberè, neque necessariò ferri potest ad easdem. Defectus huius distinctionis obseruatæ à D. Thoma, & non obseruatæ à quibusdam aliis, implicuit eosdem mirabiliter circa discrimen datum inter intellectum, & voluntatem; quod tamen est clarissimum, obseruata ea distinctione.

Art. 3. Iuxta eandem distinctionem, & rationem differentiæ inter intellectum, & voluntatem, dicendum consequenter est, Deum nullo actu voluntatis, seu libero, seu necessario, seu absoluto, seu conditionato versari circa futura contingentia, quatenùs purè conditionata, secundum se præcisè considerata, sed solum amari à Deo esse intentionale ipsorum, quod est realiter indistinctum à scientia Dei, per quam cognoscuntur, vt taliter futura. Quia videlicet futura purè conditionata habent esse talia, seu habent futuritionem conditionatam tantummodo per denominationem extrinsecam distinctam realiter adæquatè quoad suam entitatem ab ipsis effectibus, qui denominantur conditionatè futuri: sicut iidem effectus, & qui libet alij præcisè, vt possibiles habent esse tales, seu habent possibilitatem per denominationem extrinsecam distinctam realiter, ac entitatiuè ab ipsis rebus, quæ denominantur possibiles. Quapropter tàm nulla conuenit bonitas actualiter effectibus, quatenùs purè conditionatè futuris, quam nulla conuenit iisdem, & aliis quibusuis, vt purè possibilibus per habitudinem subiecti ad prædicatum. Eadem igitur ratione repugnat aliquem actum diuinæ voluntatis, siue conditionatum, siue absolutum, actualiter, & absolutè terminari ad obiecta quatenùs purè conditionatè futura, qua repugnat, vt terminetur ad eadem, quatenùs purè possibilia possibilitate consistenti in habitudine subiecti ad prædicatum; cùm eiusmodi denominatio vtrobique sit æqualiter extrinseca, nihil bonitatis ponens in rebus denominatis, sed solum illam supponens in forma denominante.

Ad 5. Nihil creatum, nullaque collectio rerum creatarum propter magnitudinem suæ bonitatis potest inducere in Deum aliquam, vel minimam necessitatem volendi potiùs, quam nolendi. Quia omnia coniunctim, & singula seorsim, cuiuscumque generis sint, sunt omninò contemptibilia respectu Dei, & reputantur quasi nihilum, vt patet ex dictis. Auctoritates, quibus vtitur Montoya, solùm loquuntur de necessitate Dei, vel ad actus optimos, idque absolutè, vel ad optimum obiectum creatum vnicuique enti creato connaturale, ex suppositione, quod iam hoc existat, & fuerit omninò volitum à Deo libere. Prioris generis auctoritates nihil faciunt pro scopo Montoyæ. Quia Deus non sola necessitate morali, sed summa, & metaphysica necessitate tenetur ad actus optimos, & quibus meliores ne quidem cogitari possint. Tali enim necessitate tenetur ad actus comprehensiuos motiui formalis adæquati, summè, ac infinitè boni; nempè comprehensiuos bonitatis essentiæ suæ, vt liquet ex quæstione præcedenti. Tota autem bonitas actus pendet ab obiecto formali ipsius, nullaque est differentia bonitatis inter actus ex sola differentia bonitatis ex parte obiectorum purè materialium. Quapropter Deus habet actus semper simpliciter, & absolutè optimos, siue velit, siuè nolit creaturas; siuè optimas velit, siue infimas. Nullus proinde actus diuinæ voluntatis est laudabilis, aut potest magni fieri laude comparatiua cum alio actu diuino, minusque æstimatiua alicuius alterius actus diuini, vt accidit in actibus creatis; sed omnes, ac singuli sunt summè ac infinitè laudabiles, & æstimabiles secundum se, & secundum conceptum absolutum, solaque laus gratificatiua, quæ est laus latè tantùm, & impropriè talis, cùm propriè sit potiùs gratitudo, & plausus accipientis beneficium, potest esse inæqualis ratione diuersorum actuum Dei, quatenus Deus per aliquos actus confert nobis maiora beneficia, quàm per alios; & consequenter manifestatur nobis bonitas Dei magis per quosdam actus diuinos, quàm per alios. Alias enim Deus indigeret collatione maximorum beneficiorum respectu nostri, vt esset laudabilis laude magnificatiua, atque valdè æstimabilis; sicut nos indigemus eadem, vt optimè habeamus, vtque simus optimi. Quo nihil absurdius esse potest, vt apparet ex fundamentis superiùs propositis. Iam verò auctoritates, quæ loquuntur de necessitate Dei ad optimum vnicuique connaturale ex aliqua suppositione Deo perfectè libera, expendentur infrà q. 28. & nihil conferunt ad punctum præsentis controuersiæ. Quæsitum namque est de sola libertate, & indifferentia Dei, præscindendo ab omni suppositione Deo libera, seu de libertate, & indifferentia Dei quatenùs præcedente omnem liberam determinationem Dei.

Ad 6. In Deo datur liberum arbitrium, sed absque imperfectione libertatis ad peccandum, quæ est propria arbitrij creati, & non pertinet ad conceptum liberi arbitrij, vt sic, & vniuersaliter, vt patet in libero arbitrio Christi, & aliorum Beatorum. D. autem Hieronymus loquitur ibi de libero arbitrio non secundum eius conceptum vniuersalissimum, sed cum restrictione ad arbitrium immediatè, & experimentaliter nobis notum, vt patet ex toto contextu.

Ad 7. Illa ratio vexat plurimum, & sanè insolubiliter, Alarconem, Aldretum, & nonnullos alios, qui non agnoscunt necessitatem Dei moralem ad optimum vnicuique rei creatæ connaturale, ex suppositione, quod res aliquæ, & causæ aliquæ secundæ iam præexistant: De quo dicetur infrà ex professo. Cæterùm aduersus nostram præsentem sententiam nihil inde probatur. Quia omnis nostra certitudo de effectu aliquo determinato futuro potiùs, quàm non futuro fundatur in dispositione causæ secundæ præexistenti iam, & nobis nota ante existentiam eiusdem effectus. Quæ præuia dispositio causæ secundæ est coniuncta cum necessitate morali Dei ad effectum illi connaturalem, vt infrà dicetur. Nunc enim solum agitur de libertate, & indifferentia Dei quatenùs præscindente ab omni eiusmodi suppositione, eamque præueniente, & consideratis naturis Dei & rerum creatarum secundum se præcisè.

Ad 8. Pluralitas effectuum, aut modorum operandi maior ex vna parte, quam ex alia, tunc solùm reddit magis certam futuritionem vagam alicuius ex pluribus, quàm ex paucioribus, aut quàm vnicum incompossibilis cum tota plurium collectione, quando iuxta multiplicitatem eligibilum multiplicantur motiua

tiua, & causæ eligendi valentes vi sua vnicuique peculiari trahere ad se voluntatem. At verò si multiplicatio sit purè materialis, nullamque eiusmodi virtutem motiuam adiungens, ac multiplicans, nulla poterit inde specialis, ac maior certitudo redundare electionis eam potissimum in partem casuræ. Quia quæ voluntatem nullatenùs valent trahere ad se; trahere cum certitudine maiori nequaquam valent. Dictum autem est, obiecta creata nullam habere vim, vel etiam partialiter mouendi, & ad se pertrahendi voluntatem diuinam. Ergò præcisè ex natura rei, nullaque facta suppositione determinationis alicuius liberè à Deo conceptæ, inclinantis magis ad vnam partem, quam ad oppositam, non erat probabilius, aliquid creatum aliquando esse futurum, quàm oppositum. Exemplum idoneum sumi potest ex bilance, quæ in neutram partem inclinatur inæqualiter ex multitudine ponderum maiori ex vna parte, quàm ex altera, si pondus nihilominùs sit æquale vtrobique, & adsit in vna parte vnum corpus æquipondèrans multitudini corporum existenti in altera parte. Videri plura possunt circa hanc materiam, & circa multiplices eiusmodi combinationes q. 5. & 6. de Gratia, vbi eiusmodi omnia discutiuntur ex professo.

Ad 9. Ad electionem perfectè liberam vtriusvis ex oppositis sufficit vnicum motiuum æquè bene habens cum vtrolibet ex illis, simulque impotens existere absque alterutro, cum aliunde neutrum dari possit, nisi dependenter ab electione voluntatis respicientis idem motiuum. Sic autem comparatur bonitas essentiæ Dei cum esse, & non esse creaturarum, & cum electione diuina. Quia Deus existere nequit absque alterutro ex illis extremis determinatè, vt per se patet; & neutrum eorum dari potest, nisi Deo illud determinante, ac eligente. Neque verò hinc sequitur essentiam diuinam sibi contradicere, quia inclinat, & determinare potest ad opposita. Neutrum enim oppositorum quidquam prodest Deo, aut nocet. Vnde contradicto est ex parte extremorum, ad quæ inclinat essentia diuina extrà se; non verò ex parte ipsarum inclinationum quatenùs immanentium in Deo. Inclinationes namque ipsæ optimè cohærent inter se; si quidem omnes ad hærent vniformiter vni eidemque bono ratione sui adæquatè.

QVAESTIO XXI.

Vtrum terminationes liberæ Diuinæ identificentur adæquatè cum Deo.

VIDENTVR non identificari 1. Quia quæ sunt inuicem separabilia realiter quoad esse, distinguuntur inter se realiter. Quod videtur esse principium per se notum. Quid enim notius esse potest quàm nihil posse separari realiter à se ipso; nec posse existere aliquid, eodem ipso simul non existente? Profectò hæc separatio manifestius in se continet distinctionem realem separabilium, quàm separatio quoad locum, ratione cuius fit vt aliquo alicubi existente non adsit ibidem realiter aliquod aliud prædicatum. Et tamen separatio quoad locum, ex confessione omnium, essentialiter includit in se distinctionem realem separabilium. Multò igitur magis separabilitas quoad esse. Quæ videlicet est maior, & summa simpliciter separabilitas. Deus autem, & terminatio libera ex. gr. connexa essentialiter cum existentia mundi, sunt inuicem separabiles quoad esse. Quia fieri absolutè potuit, vt existente Deo non existeret mundus, ac proindè non existeret terminatio libera essentialiter connexa cum existentia mundi. Aliàs mundus, & terminatio, seu volitio diuina essentialiter connexa cum existentia eius non darentur liberè, sed necessariò, sicut Deus, & Deitas. Quod est absurdum, vt patet ex dictis suprà. Ergo Deus, & terminationes liberæ diuinæ distinguuntur inter se realiter, distinctione saltem inadæquata, nec identificantur inter se realiter adæquatè.

2. Contingens, & necessarium includunt in se manifestam contradictionem. Quia alteri conuenit posse non esse; alteri verò non posse non esse. Ergo tam non possunt inuicem identificari realiter, quàm non potest identificari realiter immensum, æternum, spirituale, cum aliquo materiali, temporali, circumscripto à loco. Terminationes autem liberæ Dei sunt quid simpliciter contingens, & Deus est quid simpliciter necessarium. Quia de ratione liberi est contingentia, & de ratione Deitatis necessitas. Ergo.

3. Quidquid est identificatum realiter cum Deo, est infinitè perfectum ratione sui formaliter. Quia ipsa capacitas, & exigentia identitatis cum Deo est infinita perfectio, & digna æstimationis infinitæ. Est autem contra conceptum perfectionis infinitæ, capacitas, & indifferentia ad non esse. Quia ipsum non esse, & capacitas non essendi, seu defectibilitas est maximus atque notissimus defectus, & imperfectio, à qua omnia fugiunt, quantum possunt. Ergo terminationes liberæ Dei, de quarum conceptu est defectibilitas, & posse non esse, non sunt eatenùs capaces identitatis realis cum Deo.

4. Denominatio præsens potest intrinsecè constitui saltem inadæquatè, per aliquid non existens de præsenti. Quia domus longè prius ædificata dicitur, & est antiqua de præsenti per denominationem intrinsecè constitutam partim durationè præsenti ipsius domus, partim iam præterita, & non existenti amplius actualiter. Similiter propositio de futuro contingenti est vera, vel falsa determinatè de præsenti, & constituitur in ratione talis partim per suam entitatem actualiter præsentem, partim per existentiam, vel non existentiam ipsius futuri contingentis, quæ non datur de præsenti determinatè, sed dabitur postea. Rursus voluntas nostra potest vltimò compleri in ratione volentis per aliquid purè physicum positum extra ipsam. Quia volens conditionatè per suum actum secundum se, redditur volens absolutè per solam positionem conditionis purè physicæ, & existentis extra volentem. Ergo etiam Deus potest constitui in ratione volentis determinatè, vel determinatè nolentis ab æterno res creatas, partim per volitionem suam necessariam essentialiter æternam, qua vult disiunctiuè res quaslibet creatas existere, vel non existere, & partim per existentiam, vel non existentiam rerum creatarum in tempore, tanquam per formam partialem eius denominationis, vt quibusdam placet; vel, vt volunt alij, tanquam per conditionem sine qua non requisitam, vt volitio Dei necessaria ex se præcisè disiunctiua denominet ipsum, vel determinatè volentem, vel nolentem determinatè. Quo cessat omnis huius rei difficultas, & tollitur omne inconueniens, omnisque apparentia, & vmbra inconuenientis, imò inconuenientium plurium, quæ ponderata sunt tribus argumentis iam propositis aduersus terminationes liberas adæquatè identificatas cum Deo. Quæ propterea admittendæ nullatenus sunt.

5. Volitio necessaria Dei, quatenùs necessariò vult determinatè se ipsum, & creaturas quatenùs physicè possibiles, disiunctuè verò existentiam earum, vel non existentiam, continet in se omnem perfectionem absolutè possibilem in genere volendi.

Omnibus

Omnibus namque prædicatis necessariis Dei hoc est commune, vt vnumquoduis ex illis contineat in se necessariò omnem puram sui generis perfectionem absolutè possibilem, Ergo Deus non indiget vlla peculiari perfectione, seu identificata secum, seu identificata cum rebus, & entitatibus creatis propriè, & simpliciter talibus, vt vltimò compleatur in ratione volentis determinatè, vel determinatè nolentis existentiam creaturarum. Sufficit ergo, vt ipsi superaddantur veritates obiectiuæ, seu entia diminuta, & purè denominatiua, essentialiter æterna, & connexa essentialiter, ac determinatè, vel cum existentia, vel cum negatione existentiæ rerum creatarum pro singulis temporis differentiis, nullam tamen habentia ex se bonitatem, aut entitatem simpliciter talem, ac proinde, nec producta à Deo propriè, nec habentia esse à se, sed habentia suum quasi existentiæ modum per resultantiam à Deo liberè sibi illa adiungenti, ideoque ipsum denominantia volentem liberè terminos, & effectus creatos, cum quibus connectuntur intrinsecè, & nolentem eos, cum quibus sunt intrinsecè incompossibilia. Hoc nimirum modo tolli difficultates omnes, quæ in reliquis opinionibus sunt insolubiles, idque esse veritatis adinuentæ manifestum argumentum.

Art. 1. Respondetur. Quàm certum est apud Theologos; primò conuenire Deo libertatem verè, & propriè; deinde repugnare eidem compositionem ex actu, & potentia realiter distinctis; ac demum Deum, omnesque Diuinas perfectiones esse indefectibiles essentialiter, atque omne diuinum immutabiliter esse, quale est: tàm est indubitatum apud Philosophos; primò libertatem esse indifferentiam ad actus oppositos, vel ad actum, & omissionem actus; Deinde nihil esse indifferens respectu sui, seu nihil; ex suppositione quòd est, posse non esse id ipsum, quod est, aut esse oppositum eius, quod est; Ac demùm existente quolibet actu, oppositum actum deficere, seu duos actus inuicem oppositos non posse existere simul; & posita in rerum natura omissione actus, tolli è rerum natura ipsum actum, seu vniuersaliùs quodlibet esse, vel non esse; atque impossibile esse, vt idem simul sit, & non sit. Hæc autem tria posteriora principia vsque adeò dissident à tribus illis prioribus principiis, vt nulla industria in concordiam mutuam redigi posse videantur.

Art. 2. Hinc fit, quamlibet sententiam de actibus liberis diuinis, aut impiam necessariò videri, aut insipientem, aut impiam, & insipientem simul, primo saltem aspectu, vsquedum intimè penetretur. Nam si Theologicis illis principiis magis insistat, atque à Philosophicis recedat, fatuitatem redolebit: Si verò philosophica sectetur auidiùs, vi aliqua theologicis illata, arguetur facilè impietatis. Quòd si vtraque sartatecta, prout sonant, retinere velit, vtrique subiacebit incommodo. Si enim dicas, actus liberos esse adæquatè intrinsecos Deo, & identificatos realiter cum prædicatis necessariis; primùm adstruis indifferentiam alicuius, respectu sui ipsius, reclamante philosophia. Deinde interrogaris; an hi actus sint defectibiles, an verò indefectibiles. Si primum; ergo non omnia diuina sunt indefectibilia, & expertia imperfectionis. Si secundum ergo actus oppositi possunt sibi inuicem coexistere, & actus liberè omissus non propterea desinit esse; sed est eodem modo, atque si omissus non fuisset. Si propterea pergas dicere actus liberos Dei esse distinctos à Deo realiter, iam palam statuis Deum compositum ex actu, & potentia: quod est impium; vel statuis eundem volentem formaliter per aliquid positum extra ipsum: quod est stultum. Nullo ergo pacto apparent vitabilia omnia incommoda.

Art. 3. Ingens hæc difficultas constitutionis adæquatæ actuum liberorum Dei, tùm scientiæ, tùm voluntatis, duas peperit opiniones præ cæteris frequentes in scholis, ambas magnæ probabilitatis, & à multis, magnisque Doctoribus traditas. Altera earum identificat eos actus adæquatè cum Deo, non secus, ac prædicata necessaria ipsius, præsertim relatiua Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passiuæ cum prædicatis absolutis, cumque ipsa Deitate. Altera opinio distinguit eosdem actus à Deo inadæquatè, & alteram partem intrinsecè constitutiuam Dei, quatenùs volentis, ac videntis existentiam mundi, & singularum partium eius, dicit esse effectus ipsos creatos, seu actiones productiuas eorum, existentes quidem in tempore, denominantes tamen Deum ab æterno scientem, & volentem; idemque proportionaliter dicit de negationibus, seu carentiis, tùm effectuum, tùm actionum.

Art. 4. Auctores prioris opinionis dissident nonnihil inter se, quatenùs nonnulli censent terminationem liberam esse formalitatem virtualiter intrinsecè distinctam à prædicatis necessariis Dei, quæ potuerit absolutè non identificari realiter cum Deo, & impediri per formalitatem oppositam, quominùs existeret, vt talis est; ac proinde esse absolutè defectibilem secundum se; Alij verò negant necessariam esse, vel etiam possibilem eiusmodi formalitatem superadditam virtualiter intrinsecè prædicatis necessariis. Nempè prædicata necessaria scientiæ, & voluntatis diuinæ sufficere se solis ad præstandas denominationes, seu effectus quasi formales inuicem oppositos volentis, & nolentis; scientis hoc, & oppositum. Quia ratione suæ infinitatis æquiualent prædicatis, & entitatibus inuicem oppositis. Rursus assertores formalitatis eiusmodi liberæ, & aliqualiter defectibilis, alij eam adstruunt præditam perfectione quadam extensiua peculiari, virtualiter intrinsecè superaddita perfectioni necessariæ Dei, alij putant eam esse perfectionis peculiaris prorsus expertem. Ex iis demum, quibus placet perfectio ista peculiaris, alij dicunt eam esse communem singulis binariis terminationum, seu denominationum inuicem oppositarum volentis, & nolentis; scientis hoc, & oppositum: & esse indistinctam virtualiter intrinsecè ab vtralibet, seu terminatione, seu denominatione, atque esse omninò indefectibilem: alij ponunt eandem peculiarem perfectionem indistinctam virtualiter intrinsecè à singulis seorsim terminationibus, seu denominationibus, atque esse defectibilem ad eum modum, quo defectibiles sunt terminationes ipsæ, seu denominationes singulæ inuicem oppositæ, atque incompossibiles.

Art. 5. Auctores posterioris illius principalis sententiæ vix dissident inter se, præterquàm in modo loquendi, dicentibus aliis effectus creatos existentes in tempore, seu potiùs actiones, quibus illi producuntur transeunter, esse præcisè conditiones, sine quibus non, vt iuxta diuersitatem ipsarum volitio, & cognitio necessariæ Dei conferant ipsi denominationes, & effectus formales diuersos, atque oppositos nolentis, & volentis vnamquamque rem creatam; & sic, vel aliter eam referentis ad diuersos fines creatos, atque ad circumstantias diuersas: aliis verò defendentibus eosdem, seu effectus, seu actiones productiuas esse veluti formas partiales intrinsecè constitutiuas earum, seu denominationum, seu effectuum formalium, easdemque actiones esse intrinsecè diuersas pro diuersitate, non solùm rerum singularum secundum se, sed etiam finium, & circumstantiarum intentarum per diuinam prouidentiam respectu vniuscuiusque rei. Quam in rem ferè conueniunt illi etiam priores

priores auctores de conditione sine qua non. Idem porrò dicunt vtrique proportionaliter de negationibus rerum, & actionum similiter diuersis intrinsecè pro diuersitate, & rerum, & finium, & circumstantiarum, quas non vult Deus, & cognoscit non esse futuras.

Art. 6. Est & alia quædam tertia opinio media inter duas præcedentes, cuius vel ipsa propositio legitima, potens gignere conceptum realem, adæquatè discretiuum, ac positiuum ipsius, est difficilis. Quoniam inducit nouum quoddam genus obiectorum significabilium, quibus proinde exprimendis difficile est accommodare voces antiquas, & vsu communi receptas. Conuenit hæc opinio cum priori ex duabus modò propositis, in excludendis penitùs à constitutione, & completione actuum Dei liberorum, rebus omnibus creatis incipientibus in tempore, & deficientibus, aut potentibus deficere intra tempus aliquod. Conuenit rursus cum opinione posteriori in neganda identitate reali adæquata terminationum liberarum Dei cum ipso Deo. Differt autem ab vtraque ea opinione, quatenùs asserit conceptus quosdam obiectiuos habentes in se intrinsecè aliquod suum qualecumque esse, positos in confinio entis diuini, & creati, existentis propriè, & propriè nihili; habentis esse à se, & producti; atque distinctos realiter ab his omnibus extremis, aliisque æquiualentibus rerum differentiis. Qui proinde conceptus obiectiui aptiùs significentur, sicut Deus, negatiuè, quàm positiuè; quatenùs inest ipsis defectus perfectionis, & entitatis ad eum modum, quo inest Deo excessus perfectionis, & entitatis. Significantur nihilominus à suis auctoribus aliquatenùs positiuè sub nomine, ab aliis, veritatis obiectiuæ, ab aliis, entis diminuti, seu secundum quid tantùm: ab aliis, entis purè denominatiui; ab aliis entis rationis non ficti; habentis, ex sensu omnium, hoc solum munus, & prædicatum reale sibi intrinsecum determinandi formaliter ab æterno diuinum intellectum, & voluntatem ad alteram partem contradictionis circa omnes, & singulas res creatas. Nostrum de tota ista controuersia iudicium breui discursu absoluetur.

Art. 7. In primis quidquid Deus vult, decernit, atque cognoscit circa res creatas; vult vtique, decernit, atque cognoscit ab æterno, volitione, decreto, atque cognitione pariter æterna, sicut est æternus ipse Deus. Quod principium amplectuntur Sancti PP. vnanimiter tanquam dogma fidei, atque in eum sensum accipiunt illud ad Ephes. 1.4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem:* Isaiæ 45. 11. ex versione 70. Interpretum; *Qui fecit Ventura*: ad Rom. 7. 17. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt:* & c.8. 29. *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Ex quibus omnibus, & similibus aliis Augustinus inter alios c.25. de Prædest. & Gratia initio infert. *Mundus quamuis pro tempore ex quo factus est, coperit, in illa præscientiæ luce faciendus nullum potuit habere principium: & quantumcunque &c.* Gregorius similiter l.12. Moral.c.2. *Cuncta Deus futura præsciens,* ait, *ante sæcula decreuit, qualiter per sæcula disponantur.* Et significantissimè Fulgentius l.1.ad Monc.8. medio; *à quo enim præparatur per voluntatem sempiternam, ab ipso datur per indebitam gratiam,* & c.14. propè medium. *Hoc homini gratuita iustificatione tribuit præparatum, quod in æterna prædestinatione præparauerat tribuendum.* & l.2.ad eundem c.1.ad medium ex sacris literis, & positione Augustini, ac Prosperi, concludit, *Prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum eius, quæ in æterna sua dispositione, aut misericorditer se facturum esse præsciuit, aut iustè.* Et ratio est, quia Deus, vt suprà dictum est, nihil vnquam ignorat, seu nescit; nec temporis decursu docetur de rebus, aut proficit scientia; neque vnquam scit, nisi quod ipse est, aut quod ipse iam vult, aut facere, aut permittere; neque aliquid aliquando sciri, aut decerni potest, nisi ab habente iam tunc cognitionem, & volitionem, seu decretum. Omnes igitur actus scientiæ, & voluntatis diuinæ sunt æterni, & Deum constituunt scientem, & volentem ab æterno. Quod sanè nullus Theologus reuocat in dubium sub his terminis, vtcumque aliàs opinetur circa actus liberos Dei.

Art. 8. Subsumo iam, nihil æternum posse intrinsecè constitui, vel etiam partialiter, & inadæquatè per aliquid temporale. Quia quidquid est æternum, seu est ab æterno, existit pro tempore antecedenti ad tempus, pro quo primum existit quodcumque temporale. Quandoquidem æternitas ex suo conceptu excedit infinitè quamlibet temporis differentiam. Impossibile autem est, vt aliquod totum sit antequam sint omnes eius partes, vtque constitutum aliquod existat nondum existente aliquo eius constitutiuo intrinseco. Quod præterquam ex terminis satis liquet, exemplis redditur manifestius. Quinis enim videt repugnare, vt existat homo nondum existente, aut eius corpore, aut eius anima, aut vnione vtriusque; aut, vt existat triangulus nondum existente nisi vna linea, aut existentibus duabus tantùm, & sic de similibus nulla facta exceptione. Ratio vniuersalis est. Quia quoduis totum est indistinctum realiter ab omnibus suis partibus simul sumptis, & quodlibet intrinsecè constitutum per plura, est similiter indistinctum realiter ab iis omnibus, per quæ intrinsecè constituitur. Repugnat autem aliquid secundum aliquam rationem esse prius quàm ea, aut quàm aliquid eorum, à quibus est indistinctum realiter secundum eandem rationem. Ne videlicet dicatur, idem esse prius, & posterius se ipso secundum eandem rationem. Cùm ergo Deus sciat, & velit ab æterno, quidquid in tempore fit, & existit, atque omnis eius scientia, & volitio sit æterna, patet, nullam Dei cognitionem, aut volitionem posse constitui intrinsecè, seu partialiter, seu totaliter, per effectus, aut actiones, quæ incipiunt esse in tempore. Atque hæc est prior pars nostræ sententiæ.

Art. 9. Confirmatur hic discursus ex D. Thoma q. 6. de verit. art. 3. Vbi inter alia multa pertinentia ad hunc scopum. *Ad nonum, dicendum,* ait, *Quod creatio, missio, & huiusmodi important productionem alicuius temporalis effectus, & ideò ponunt temporalem effectum esse; & propter hoc oportet esse temporalia, quamuis in se aliquid æternum claudant. Sed prædestinatio non importat productionem alicuius effectus temporalis secundum suum nomen, sed tantummodò ordinem,* &c. Ergo si scientia, & volitio Dei simul cum aliquo æterno includerent intrinsecè aliquid temporale: non essent æternæ, sed temporales, sicut creatio, missio, & huiusmodi. Confirmatur rursus ex eodem, specialiter quoad scientiam. Quia q. 2. de Verit. præsertim art. 9. & alibi frequenter docet, & quidem exponens scientiam Dei ex professo, *De ratione scientiæ esse, vt faciat scita esse in sciente.* Non posset autem scientia id efficere, si sciens constitueretur intrinsecè in ratione scientis per effectum quatenùs positum extra scientem, atque per solam eius positionem ad extra, & per actionem incipientem esse in tempore, differret formaliter, atque essentialiter à sciente oppositum, vel neutrum sciente. Confirmatur itidem specialiter quoad voluntatem ex quæstione 13. de Veritate art. 4. ad 15. *Dicendum,* ait, *quod voluntas ad volitum habet duplicem respectum. Primum quidem habet ad ipsum, in quantum est volitum, secundum verò habet ad idem in quantum est producendum in actu per voluntatem. Et hic quidem respectus præsupponit primum: Primò enim intelligimus voluntatem velle*

velle aliquid, deinde, ex hoc ipso, quod vult illud, intelligimus, quòd producat ipsum in rerum natura, si voluntas sit efficax. Primus ergo respectus Diuinæ voluntatis ad volitum non est necessarius absolutè, &c. Non ergo constituitur Deus intrinsecè, vel etiam partialiter, in ratione volentis efficere aliquid, per effectionem physicam, & temporalem ipsius; cùm hæc effectio præsupponat ipsum diuinum sui velle efficax.

Art. 10. Accedit, ideò existere res creatas, quia Deus vult, vt existant; ideſt voluntate eius habente rationem causæ, vt sint, quatenùs determinat, & applicat pro priori omnipotentiam diuinam, vt ea potiùs efficiat, quæ de facto sunt, quàm quæ de facto non fiunt, vtque exerceatur his determinatè actionibus tali tempore, & in tali loco determinatè; ita vt prima ratio, cur hæc actio externa hic, & nunc existat, non sit ipsa actio, sed quòd Deus ipsam voluerit, idque obiectiuè, & in re ipsa. Quod quidem omnes extra scholarum tricas positi vtuntur tanquam principium indubitatum, & lumine naturæ notum vniuersis. Neque verò est vnquam deserendus sensus spontaneus generis humani propter difficultates artificiosas syllogismorum, quæ sæpiùs fallunt; quàm sensus eiusmodi spontaneus vniuersalis, si tamen hic vnquam fallit quoad suum obiectum immediatum, quod exprimit formaliter.

Art. 11. Accedit rursus, non minùs dissonum, ac impossibile esse, quod aliquis constituatur intrinsecè secundùm genus causæ formalis, vel etiam particulariter, in ratione cognoscentis, & volentis per albedinem, aut nigredinem, & alia eiusmodi, aut per actionem physicam transeuntem productiuam earum; quam quod aliquid per cognitionem, & volitionem constituatur eodem modo in ratione albi, vel nigri; aut in ratione producentis physicè, & transeunter albedinem, aut nigredinem; aut alia eiusmodi. Hoc autem posterius est manifestè dissonum, & impossibile. Ergo, & prius. Huiusmodi nimirum extrema differunt inuicem adæquatè à toto genere; ideóque, nec alterum de altero, nec alterutrum quatenùs includens alterum; dici, & significari potest nomine peculiari sui generis, nisi metaphoricè, & impropriè. Quapropter complentes, & constituentes intrinsecè Deum in ratione volentis, & nolentis, atque scientis res creatas, per actiones physicas transeuntes productiuas earum, re ipsa constituunt Deum metaphoricè tantùm, & impropriè, ac interpretatiuè volentem, & nolentem existentiam rerum creatarum; scientem verò, vix vel sic constituunt. Quod tamen quale sit, cuiuis patet facilè, siue consulat rationem naturalem, siue obseruet testimonia scripturarum, & Sanct. PP. superiùs indicata.

Art. 12. Iis quæ sunt maximi momenti, succedunt alia quædam momenti minoris, minimè tamen contemnenda. Primùm enim scientia media, de qua est eadem ratio, datur absolutè in Deo independéter ab omni existentia absoluta actionis trãseuntis. Id quod vrget quodammodo magis eos, qui adiungunt decreta conditionata scientiæ contingentium conditionatè futurorum. Deinde carentiæ, seu negationes existentiæ rerum creatarum sunt denominationes purè extrinsecæ, nec ineſt ipsis prædicatum vllum, aut verificatiuum cognitionis eisdem intrinsecum, & distinctum realiter ab ente positiuo incompossibili cum re negata, vt alibi pluribus comprobatum est. Nihil proinde supereſt extra Deum; seu non identificatum cum Deo, per quod compleantur Diuina nolitio efficax creaturarum, & cognitio de non existentia ipsarum. Tertiò actiones causarum secundarum productiuæ caloris, frigoris, & similium non sunt specie diuersæ præcisè propter diuersitatem specificam finium, ad quos ordinantur tales effectus ex intentione diuina, nec eædem actiones sunt intrinsecè supernaturales, & productæ per potentiam obedientialem à causis secundis eorũ effectuum, quoties eiusmodi fines sunt supernaturales: Specificantur enim ex solo termino producto, & principio proximo producente, vt fert communis Philosophi, D. Thom. aliorumque indubitatus consensus. Cui tamen, necesse est, vt contradicant, ad tuendum positum auctores sententiæ, quam modo impugamus, vti contradicunt, ex professo Valentinus de Herice, & nonnulli alij.

Art. 13. Verùm his, & aliis eiusmodi quàm pluribus prætermissis, vnum adhuc supereſt, quod prætermitti nequaquam debet, quin seorsim exprimatur, tametsi virtute in præcedentibus contineatur. Nimirum ex sententia eorundem auctorum, discrimen Dei volentis, & nolentis existentiam mundi, nec non præscientis eum fore, constituitur adæquatè per actiones transeuntes existentes in tempore, atque per earum carentias affixas per se essentialiter tempori determinato. Quia cætera omnia, nempe omnia prædicata necessaria Dei sunt communia vtrique illi extremo comparationis, & repugnat in terminis discrimen vnius, seu extremi, seu prædicati ab alio constituti; siuè adæquatè, siuè inadæquatè per id, quod est commune vtrique. Discrimen autem illud datur ab æterno, & est æternum. Alias Deus non esset defacto volens potiùs, quàm nolens ab æterno existentiam mundi; nec præsciens eum fore potiùs, quàm non fore; neque daretur ab æterno prædestinatio potiùs, quàm reprobatio eorum, qui saluantur defacto; quod est contra principium fidei præmissum art. 7. Ergo, iuxta sententiam eorum Auctorum, aliquid æternum, & semper existens, nempe eiusmodi discrimen constituitur totaliter, & adæquatè per aliquid temporale, & incipiens esse pro tempore determinato; nempè per actiones transeuntes, & incipientes in tempore. Quod non indiget vlteriore impugnatione. Dicendum igitur est actus liberos scientiæ, & voluntatis Diuinæ ne quidem indæquatè vllo pacto constitui intrinsecè per effectus, vel actiones creatas incipientes in tempore,

Art. 14. Nihil autem distinctum à Deo est æternum, aut datur ab æterno. Quia Deus nihil fecit ab æterno. Quod est certum ex fide. *Quidquid autem non est factum à Deo, aut Deus est, aut nihil est*, vt rectè pronunciat Suarez disput. 31. Metaph. sec. 2. §. 3. ex Sanctis PP. Iustino in expositione fidei, Cyrillo l. 1. in Ioan. c. 6. Augustino l. 1. de Trin. c. 6. exque aliis communiter. Prætereà D. Thomas probat ex professo q. 1. de verit. art. 5. in præsenti quæst. 16. art. 7. & in 1. dist. 19. q. 4. ar. 3. nullam veritatem, seu obiectiuam, seu formalem distinctam à Deo esse æternam; aut dari ab æterno; atque hanc propositionem iure optimo vsurpat vbique tanquam conuertibilem, & obiectiuè, ac realiter identificatam cum hac alia certa ex fide: *Nihil creatum datur ab æterno.* Ad eandem conuertibilitatem respexisse videtur facultas Theologica Parisiensis, inter cuius articulos damnatos anno 1361. ab Octaua Epiphaniæ, hic est quartus, vt refert P. Vekenus. *Quod multæ fuerint veritates ab æterno, quæ non erant Deus.* Hic ipse articulus est Septimus in enumeratione D. Bonau. in 2. dist. 23. fine, vbi subiungit. *Hi omnes errores à prædictis personis (inter quos Alexander Alensis) prohibiti fuerunt, & excommunicati, & propterea sunt tanquam pestiferi euitandi.*

Art. 15. Et quidem cui propriè, & sine metaphora conuenit in se intrinsecè esse verum, esse æternum, esse completiuum, & inadæquatè constitutiuum cognitionis, & volitionis Diuinæ, esse connexum essen-

liter cum tali determinato effectu creato, aut esse exclusiuum talis determinati effectus; esse tale vt absque eiusmodi aliquo nullatenus existere possit Deus; esse conforme per se ipsum cognitioni hæc affirmanti de ipso. Cui, inquam, hæc omnia conueniunt propriè, & sine metaphora in se intrinsecè; propriè, vtique, & sine metaphora conuenit esse, seu existere in se intrinsecè, & per se ipsum formaliter; & similiter esse vnum, & esse bonum, atque esse purum bonum absque vlla imperfectione. Qui enim fieri potest in primis, vt cui toties conuenit propriè in se intrinsece esse æternum, &c. ipsum esse, seu existere in se intrinsecè ea omnia transcendens non conueniat proprie in se intrinsecè? Eò vel maximè, quia neque verum, neque æternum, &c. est prædicatum diminutiuum, exinanitiuum, & alienatiuum, aut indifferens ad diminutionem, exinanitionem, & alienationem ipsius esse: sed magis perfectiuum eius, & actuatiuum; quandoquidem eiusmodi prædicata sunt propriè communia Deo, eique secundum se conueniunt ratione suæ perfectionis.

Art. 16. Quænam deinde ratio esse potest, vt sint entia, & verè existant, sintque bona absolutè, quibus in se intrinsecè conueniunt significata istarum vocum: quantitas, qualitas, vnio animæ, & corporis, complementum intrinsecum domus, aut montis; & non sint talia absolutè, quibus similiter conueniunt significata istarum vocum; veritas, æternitas, connexio Dei cum tali ente creato, complementum intrinsecum cognitionis, & volitionis Diuinæ, ipsiusque Dei quatenùs cognoscentis, & volentis? Ratio respectu horum omnium vniformiter vniuersalis est. Quia existere simpliciter, & propriè, nihil est aliud, quàm esse in se intrinsecè, & non per denominationem purè extrinsecam, tale, vel tale aliquid qualecumque demum illud sit, vt in Metaphysica pluribus ostensum est. Certùm igitur cum sit, nihil à Deo distinctum existere ab æterno simpliciter, & propriè; certum quoque esse debet, nihil æternum distinctum à Deo complere terminationes liberas Dei, qualecumque illud sit, & quomodocumque significetur. Nec enim persequi seorsim libet singulos loquendi modos, aut cum iis agere, qui pro solutione reponunt voces nouas nouo significato vacuas. Quod ipsum aduerterim circa præcedentem impugnationem aduersus complementum actuum liberorum Dei ex effectibus, & actionibus incipientibus in tempore. Nec enim agitur de impedienda locutione aduersariorum, sed de impediendo assensu sententiæ eorum quoad rem ipsam ab illis assertam, & negatam à nobis.

Art. 17. Præterea aduersus rationes eiusmodi æternas distinctas à Deo, tametsi chimericæ non essent, illud adhuc superest commune ipsis cum actionibus temporalibus, quod circa istas paulò priùs notatum est. Nempè nihil cognoscenti, & volenti extrinsecum, nec habens in se, & secundum se quidquam cum cognitione, & volitione commune, posse pertinere ad complementum intrinsecum cognitionis, & volitionis; & constituere formaliter, vel etiam inadæquatè, in ratione cognoscentis, & volentis. Ea quoque difficultas, quæ quidem est maxima, est communis promiscue omnibus sententiis recurrentibus ad complementum extrinsecum: Inde videlicet consequi, quòd Deus non sufficiat sibi se solo, vt cognoscat, & velit, quidquid cognoscibile, & volibile est; vtque excludat à se imperfectionem, tum ignorantis aliquid, tum non determinantis sua libera voluntate, & electione omnia alia à se distincta, vt sint, vel non sint; sed ad hoc indigere adminiculo, & complemento formali extra se posito, ac proinde summam, ac primam rerum creatarum prouidentiam, quæ vsque adeò pertinet ad perfectionem Dei, & ad apicem Diuinitatis, non esse adæquatè increatam, nec diuinam adæquatè.

Art. 18. Quod, & si satis ex se apparet, quàm sit absurdum; illud tamen est absurdum quodammodo manifestiùs, quod inde palam subsequitur. Nimirum Deum non posse esse Deum, nec beatum, & felicem se solo, sed ad hoc indigere aliquo realiter à se distincto, sibique superaddito. Quiænon potest esse, aut Deus, aut felix, & beatus, quin sit sciens, & volens liberè hoc, vel oppositum circa res creatas, & quin illis prouideat, & non potest esse sciens, & volens liberè, & prouidens creaturis, iuxta eos Auctores, absque aliquo distincto à se realiter. Vnde quæ dicuntur complementa intrinseca terminationum liberarum Dei distincta realiter ab ipso Deo, reipsa sunt complementa Diuinitatis, & beatitudinis Diuinæ, distincta realiter à Diuinitate, & Deum reddunt indigentē aliquo extra ipsum posito, vt sit Deus, vtque beatus sit, & consequenter incapacem, qui contemnat omnia extra ipsum posita collectiuè sumpta.

Art. 19. Quæ quidem res eò est indignior, quo vilius, magisque propinquum nihilo est, quo indiget Deus. Et indignior rursus est, si dicatur abusiuè tantum esse ens, id, quo Diuinitas indiget, & tamen non abusiuè, sed propriè est distinctum realiter à Deo, seu non identificatum realiter cum eodem, nec abusiuè; sed propriè verificat de se, & per se ipsum intrinsecè, hoc ipsum esse abusiuum. Quapropter, à fortiori, redderetur inutile argumentum D. Thomæ, & aliorum communiter, quod supra positum est, & confirmatum ex Augustino pro libertate Dei respectu creaturarum omnium tàm collectiuè, quàm distributiuè, aut disiunctiuè sumptarum, ex eo, quod nulla earum vllo pacto indigeat Deus. Minùs namque indecenter diceretur, Deum indigere vagè aliquo à se distincto, & participe suæ perfectionis; & facto per ipsum, quàm indigere vagè aliquo à se distincto, nullius participe bonitatis, nec auctorem habente ipsum Deum.

Art. vigesimo: Dicendum igitur, ob hæc omnia est, actus liberos Diuinos, etiam quatenùs liberos, esse adæquatè identificatos cum Deo; eadem ipsius entitate, & substantia, existente necessario simpliciter, & absolutè secundum se, & secundum conceptum suum absolutum, liberè verò simpliciter, & cum sola necessitate ex suppositione, secundum habitudinem, seu positiuam, seu negatiuam ad res creatas, ita vt habitudo libera connexa cum existentia mundi sit distincta ab habitudine libera connexa cum non existentia mundi, vtraque tamen habitudo sit indistincta à diuinitate, & realiter identificata cum eadem; Hæc nimirum est essentiæ Diuinæ prærogatiua singularis fundata in ipsius infinitate, vt possit identificare sibi realiter formalitates non conuenientes inter se obiectiue, & realiter quoad omnia prædicata, ideóque non identificatas inter se. Quod quidem est certum ex fide quoad conceptus relatiuos ad intra pertinentes tum ad intellectum, tum ad voluntatem, vt infrà dicetur circa mysterium Trinitatis. Idem autem efficaciter colligitur ex dictis quoad habitudines ad extra pertinentes itidem ad intellectum, & voluntatem.

Art. 21. Itaque sicut Diuinitas non ex indigentia, sed ex abundantia perfectionis adiungit sibi priores illos conceptus relatiuos necessarios, quibus se tantundem communicat; atque sibi ipsi, & vicissim iidem conceptus eidem Diuinitati tantundem se communicant, atque sibi ipsis, tametsi ex neutra parte communicentur mutuò prædicata producti, ex. gr. & improducti, secundum quæ inuicem opponuntur: ita etiam adiungit sibi posteriores habitudines liberas

ad

ad creaturas ex pura perfectionis abundantia, ratione cuius est liberè, & electiuè communicatiua sui ad extra: Iisdemque conceptibus respectiuis ad extra communicatur mutuò summa simpliciter communicatione: tametsi non communicent sibi inuicem in abstracto, sed solùm in concreto prædicata, secundum quæ inuicem differunt obiectiuè, ex. gr. indifferentis ad existentiam, & non existentiam creaturarum, & connexi, aut incompossibilis cum eadem. Quorum alterum prædicatum conuenit Diuinitati secundum se, alterum terminationi, seu habitudini liberæ ad existentiam creatam consideratæ secundum se. Quo exemplo, & paritate ideò libentiùs, & fidentiùs vtor, quia vtitur eodem pro eadem re D. Thomas q. 25. art. 1. ad 3. vbi sic habet, *Diuina essentia, quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ, sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ.* Et mox ad 4. subiungit immediatè; potentiam, & actionem; directionem scientiæ, & imperium voluntatis differre in Deo solùm secundum rationem. In eum igitur modum Deus per se ipsum realiter est sciens, & volens liberè, quæcumque scit, & vult; quomodo per se ipsum realiter est necessario Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Quæ est sententia longè communior D. Thomæ, Caietani, Suarez, & aliorum apud Montoyam disp. 11. de vol. Dei sect. 4. aduersus Aureolum, Vasquez, & alios, quos idem ibidem refert, & refellit fusè.

Art. 1. Ad 1. Duplex ibi occurrit difficultas. Altera vniuersalior, quàm sit præsens controuersia, nempè in genere, de prædicatis contradictoriis realiter identificatis cum formalitatibus, quæ identificantur inter se realiter. Et de hac nihil necesse est agere in præsenti. Quia infra exponetur opportunè agendo de Mysterio Diuinæ Trinitatis, cui id est prorsus commune. Altera difficultas est de talibus prædicatis determinatè contradictoriis, quæ verificantur de formalitate necessaria Diuinitatis, & determinatione libera Dei quatenùs libera est indistinctis inter se realiter. Et ad hoc respondetur, nullam esse difficultatem specialem in his potiùs, quam in aliis prædicatis contradictoriis, quæ iuxta fidem admittuntur ab omnibus in Deo. Quia licet, quæ sunt inuicem separabilia realiter quoad esse, seu quoad conceptum obiectiuum, vel vtrobique absolutum, vel vtrobique respectiuum ad extra, sint eo ipso distincta realiter; non tamen necesse est distingui realiter, quæ sunt inuicem separabilia realiter sola separatione conceptus obiectiui absoluti à conceptu obiectiuo respectiuo ad extra.

Art. 2. Ens enim simpliciter infinitum existens necessariò quoad prædicata conuenientia sibi secundum se, potest simul per seipsum, nulloque sibi realiter superaddito respicere indifferenter esse, & non esse aliorum extra se. Vnde priora prædicata ad intra possunt esse separabilia à posterioribus prædicatis respectiuis ad extra, retenta vera, inter vtraque, identitate reali. Quia possunt nihilominùs summè sibi inuicem communicari. Quam eandem ob causam retinetur vera identitas realis inter prædicata absoluta Dei realiter immultiplicabilia, & inter prædicata relatiua ad intra realiter multiplicia. Profectò non apparet ratio ob quam alterum horum reputetur impossibile, nulla agnita impossibilitate in altero; quod est certum dari de facto. Nec est prudentis consilij, vt intellectus instructus fide circa vnum Mysterium Diuinitatis non permittatur, imò non cogatur sequi ductum eiusdem fidei in expositione alterius Mysterij admodum similis priori, vti est simile mysterium diuinæ libertatis ad extra mysterio fœcunditatis diuinæ ad intra, & identitas inuicem separabilium identitati inuicem oppositorum cum vno, & eodem tertio, seu quasi tertio.

Art. 3. Paritas ex separabilitate quoad locum non tenet. Quia quæ sibi inuicem coëxistunt, & nihilominus distant loco, non communicant se sibi mutuò quantùm communicatur vnumquodque eorum sibi, & neutri eorum essentialiter inest determinatio ad mutuam eiusmodi communicationem, vt patet. Hoc autem contradicit directè, & formaliter conceptui mutuæ identitatis; vtpotè consistentis formaliter in mutua eiusmodi communicatione summa. At terminationi liberæ diuinæ essentialiter inest mutuò communicatio summa, respectu omnium prædicatorum necessariorum Dei, ex suppositione, quod ipsa terminatio existat, id est, ex suppositione, quòd ipsa terminatio libera sibi communicetur, seu sit talis terminatio in se intrinsecè. Vnde idem est, existere terminationem liberam diuinam, & existere identitatem eius cum Diuinitate; sicut idem est, existere hominem, & existere identitatem eius cum animali rationali. Itaque separabilia quoad locum, sunt eo ipso separabilia se totis, & simpliciter: Separabilia verò quoad esse, fieri nihilominùs potest, vt sint separabilia tantùm secundum quid, nempe secundum formalitatem quandam, ideóque sint distincta tantùm secundum quid, nempe virtualiter intrinsecè, vt exponetur in quæst. sequenti, vbi etiam apparebit insufficientia doctrinæ eorum, qui nolunt admittere formalitates virtualiter intrinsecè inter se distinctas modo dicto, cum reali earundem distinctione in tertio aliquo prædicato.

Ad 2. Necessarium simpliciter secundum se præcisè, seu secundum conceptum omninò absolutum, & necessarium tantummodò ex suppositione quoad conceptum respectiuum, non includunt in se essentialiter necessario contradictionem, & negabilitatem mutuam adæquatam; sed tantùm secundum quid, & quoad aliquod prædicatum modo dicto; ideóque non distinguuntur necessariò realiter, sed tantùm virtualiter comparatione mutua ipsorum inter se immediatè. Exempla obiectionis in contrarium non tenent. Quia materiale dicitur aliquid, non per præcisionem à spirituali, sed ratione imperfectionis excludentis realiter ab ipso materiali perfectionem propriam spiritualis, impedientis proinde mutuam vtriusque communicationem perfectam. Idem apparet in illis aliis binariis prædicatorum. Quod non ita se habet in re nostra. Quia neque indifferentia propria essentiæ Diuinæ, neque determinatio propria habitudinis Diuinæ ad extra includunt in suo conceptu imperfectionem exclusiuam alterius ex eisdem extremis ab altero.

Ad 3. Quidquid est realiter identificatum cum Deo, est infinite perfectum realiter; est tamen ita perfectum, sola perfectione Deitatis. Quæ, quia per se ipsam formaliter est omnis pura perfectio, à nulla pura perfectione potest distingui virtualiter intrinsecè; ideſt, nulli puræ perfectioni, quà talis est, potest conuenire prædicatum contradictorium prædicati, quod est proprium Diuinitatis secundum se. Rursus non esse, seu posse non esse, & defectibilitas conceptus respectiui ad extra, præcisè quatenùs talis est, nullam dicit imperfectionem. Quia non dicit defectibilitatem quoad aliquam suam perfectionem, sed solùm quoad formalitatem præscindentem secundum se à perfectione, & imperfectione virtualiter intrinsecè secum identificata. Cùm ergo eiusmodi sint perfectio, & defectibilitas terminationum Dei liberarum, quà liberæ sunt, patet nullum sequi inconueniens. Quod additur de exigentia identitatis cum Deo, exponetur in quæstione sequenti, vbi etiam percipientur clariùs cætera, quæ modò dicta sunt.

Art. 1. Ad 4. Constat ex dictis suprà, nihil actualiter præsens, siue sit denominatio, & effectus formalis, siue sit entitas non denominatiua, posse, vel etiam inadæquatè constitui intrinsecè per aliquid actualiter non præsens; & multò minùs aliquid æternum posse, vel etiam partialiter, constitui intrinsecè per aliquid temporale; ac demum manifestissimum esse, differentiam, quæ datur ab æterno, inter vnum, & aliud prædicatum itidem æternum, non posse constitui adæquatè per aliquid temporale. Quæ cùm sint clarissimè demonstrata, non deberent deseri, tametsi occurreret aliquod concretum, de cuius omnibus partibus, & adæquata constitutione non vsque adeò constaret clarè. Quia, quæ sunt clarissima, non debent deseri propter ea, quæ sunt obscuriora; nec est reiicienda scientia vnius propter ignorantiam alicuius alterius. Verùm nihil eiusmodi occurrit in contrarium in re præsenti. Eiusmodi certè non sunt, quæ proponuntur in obiectione.

Art. 2. Quod ad domum antiquam in primis attinet; Omnia sublunaria acquirunt, temporis decursu, accidentia & dispositiones sibi intrinsecè inhærentes, quales recens facta habere naturaliter non possunt. Vnde domus antiqua & noua, differunt intrinsecè per dispositionem tunc naturaliter inexistentem, cùm existit nouitas, & antiquitas domus, & domus ipsa habet in se actualiter, & physicè aliquid præsens, vnde sit noua, & non antiqua; aut è conuerso. Quòd si nihil eiusmodi supponatur dari de præsenti in domo antiqua, antiquitas eius erit denominatio extrinseca præsens, intrinsecè constituta non per existentiam eius, aut durationem iam præteritam; sed per præsentem, aut memoriam actualem creatam, vel habitualem indistinctam à præsentibus speciebus impressis durationis præteritæ? aut cognitionem Diuinam eiusdem præteritæ durationis actualiter præsentem physicè, ideóque actualiter denominantem. Qualis vtique nunc est senectus Angelorum, & antiquitas Cælorum. Quod tamen additum à nobis est ex abundanti, & pro euentu, vel imaginato tantùm, vel miraculoso. Quia nulla talis antiquitas, seu senectus in rebus sublunaribus naturaliter contingere potest re ipsa.

Art. 3. Deinde propositio naturalis de futuro contingenti est vera de præsenti per solam denominationem extrinsecam à cognitione Diuina, vel à creata supernaturali circa idem obiectum, quatenùs sibi coëxistente physicè, & habente intrinsecam conformitatem cum obiecto: nec potest eadem propositio naturalis esse aliter vera de præsenti per solam denominationem extrinsecam prouenientem immediatè ab obiecto contingenti non existenti, nec præsenti physicè respectu eiusdem propositionis secundum se, vt alibi pluribus ostensum est, & innotuit satis q. 17. ex qua præterea liquet Philosophum contradicere aduersariis nostris, quoad istud exemplum. Ideò enim ille putauit propositionem singularem, & determinatam de futuro contingenti nec esse determinatè veram, nec determinatè falsam, quia nulla determinata denominatio potest conuenire subiecto ex seipso indifferenti ratione alicuius hondum existentis, nec habentis in se intrinsecè de præsenti determinationem potius ad esse, quam ad non esse. Nec D. Thomas putauit aliter posse vitari vim rationis Philosophi respectu etiam Diuinæ cognitionis, nisi inducta præsentia physica futurorum contingentium respectu eiusdem, vt ibidem innotuit. Quare auctores istorum exemplorum habent contradicentes sibi eatenùs duos istos summos Doctores.

Art. 4. Voluntas denique conditionata transit in absolutam sola positione conditionis, quoad aliquos effectus morales pendentes à fictione iuris, & à lege, vel contractu antecedenti, & perseueranti physicè per se, vel per aliquem suum effectum, cùm ponitur conditio. Quoad alios verò effectus præstabiles immediatè à solo actu voluntatis secundum se, non datur talis transitus propriè, sed necesse est, vt succedat alius actus intrinsecè absolutus. De quo similiter dictum est ex professo alibi, & vnusquisque potest facilè experiri, si proponat conditionatè mouere manum, aut pedem, si compareat Petrus, ipso comparente, non subsequi eum motum, si ex memoria propositi eius conditionati non suboriatur actus alius absolutè imperans motum manui, aut pedi. Præterea iis omnibus transmissis, vt intendit obiectio, supersunt nihilominùs rationes aliæ speciales discriminis respectu terminationum liberarum Dei, ne & ipsæ possint similiter compleri per aliquid temporale, aut qualitercumque distinctum à Deo realiter, vt apparet ex dictis supra art. 11. 17. 18. & 19.

Art. 5. Quod in eadem obiectione suggeritur, de actione, seu carentia temporali habente rationem solius conditionis sine qua non, vt cognitio, & volitio Dei necessaria ex se præcisè disiunctiua denominet determinatè, nihil est. Quia quod requiritur ad aliquem effectum formalem ratione sui, & non ratione alterius, siue, vt aliquid aliud existat entitatiuè distinctum ab ipso, nihil re ipsa differt à forma partiali, seu à parte intrinsecè constitutiua ipsius effectus formalis, vti demonstrabitur efficaciter in qq. de Sacramentis circa constitutionem intrinsecam Sacramenti per intentionem Ministri. Deinde quod nondum est secundum se, tam nondum est in ratione conditionis sine qua non, quam nondum est in ratione formæ, seu partis, ideóque vtrouis modo est æquè inutile ad determinationem Dei æternam circa res temporales, & ad discrimen æternum Dei volentis à nolente.

Ad 5. Patet satis ex dictis supra ab artic. 14. ad 20. nempe illam sententiam de veritatibus obiectiuis in se intrinsecè æternis ita vitare difficultates aliquas opinionum in scholis frequentium, vt incidat in alias longè maiores, & metaphysicas, & theologicas, agnitas insuperabiles inter alios à D. Thoma, & D. Bonauentura relatis in illo art. 14.

QVÆSTIO XXII.

Virum terminationes liberæ Diuinæ distinguantur virtualiter intrinsecè inter se, & à prædicatis necessariis Dei?

Videntur neutrius distinctionis esse capaces. 1. Quia vna volitio necessaria virtualiter intrinsecè simplex sufficit pro omni obiecto necessario, & Diuino. Et rursus eadem volitio, quia est infinitæ perfectionis, æquiualet perfectè, per se ipsam præcisè, cuiuis volitionum creatarum, etiam inuicem oppositarum multitudini reali, ideóque potest se sola præstare effectus formales, etiam inuicem oppositos, æquiualentes perfectè quibuslibet omnium illarum effectibus formalibus. Ergo non est necessaria vlla distinctio virtualis obiectiua, & intrinseca, aut plurium terminationum liberarum Dei pro pluribus rebus creatis, aut terminationis vllius superadditæ virtualiter intrinsecè volitioni necessariæ Dei.

2. Data

2. Data in Deo formaliter libera virtualiter intrinsecè distincta à prædicatis eius necessariis, sequitur idem prædicatum simul, & semel posse esse ex vna parte defectibile, & nolibile, seu odibile, & contemptibile à Deo; quia est de conceptu exercitij liberi, vt sit tale; Et ex alia parte esse Diuinum, esse Deum, atque infinitè amatum, & æstimatum à Deo; quia quidquid est identificatum realiter cum Deo, est huiusmodi ex conceptu suo. Implicat autem aperte, eidem prædicato hæc omnia simul inesse formaliter ex conceptu suo. Ergo non est admittenda vlla huiusmodi formalitas distincta virtualiter ex parte obiecti à prædicatis necessariis Dei.

3. Non sunt admittendæ in Deo tot terminationes liberæ virtualiter intrinsecè distinctæ, quot sunt obiecta creata realiter inuicem separabilia. Ergo non est amittenda, nisi vnica tantùm eiusmodi terminatio. Patet consequentia. Quia data semel vna aliqua terminatione virtualiter intrinsecè simplici, & amplectente nihilominus aliqua duo obiecta realiter separabilia mutuo, nullum supereſt fundamentum multiplicandi virtualiter intrinsecè plures terminationes propter multitudinem maiorem obiectorum inuicem separabilium. Probatur antecedens. Quia vnus actus creatus potest amplecti duo obiecta infinitissim, quæ ex sua natura sint absolutè separabilia. Deus autem sufficit per vnam suam formalitatem virtualitater intrinsecè simplicem ad præstandum, vt minimum, tantundem, atque præstare potest voluntas creata per vnum suum actum realiter simplicem.

Art. 1. Respondetur. Dictum est q. 4. eas formalitates Diuinas distingui inter se virtualiter intrinsecè, quibus, vt sunt in se a parte rei, conueniunt prædicata contradictoria, & rursus formalitates, quibus conueniunt prædicata huiusmodi contradictoria, distingui inter se realiter saltem inadæquatè, & in tertio aliquo prædicato. Volitioni autem Diuinæ necessariæ, & liberæ, seu Deo quatenùs volenti necessariò simpliciter, & volenti liberè simpliciter, conueniunt in se à parte rei, prædicata contradictoria. Quia volitioni necessariæ, & Deo quatenùs volenti necessariò, conuenit non posse non esse, & non posse nolse, seu non velle, quod necessariò vult: volitioni verò liberæ, & Deo quatenùs liberè volenti conuenit posse non esse, & posse nolle, seu non velle, quod vult liberè, quatenùs liberè vult. Rursus Deo quatenùs necessariò volenti se ipsum conuenit esse indifferentem ad existentiam mundi; quatenùs verò volenti liberè existentiam mundi, conuenit non esse amplius indifferentem, sed determinatum ad eandem existentiam, vti defacto existit determinatus, & minimè adhuc indifferens. Hæc autem sunt formaliter, & immediatè contradictoria; & vtraque dicuntur de Deo, vt est in se à parte rei; sicut de essentia Diuina dicitur esse communem tribus Personis, & de Paternitate non esse communem eisdem. Ergo formalitates, ratione quarum conueniunt Deo prædicata ista inter se opposita, distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè. Conueniunt autem ratione volitionis necessariæ, & ratione terminationis liberæ, seu habitudinis ad extra. Igitur duæ istæ formalitates distinguuntur inter se virtualiter intrinsece; sicut distinguuntur essentia Diuina, & Paternitas.

Art. 2. Ex terminationibus liberis, aliæ sunt inuicem incompossibiles, vt volitio, & nolitio mundi, aliæ sunt compossibiles, simulque inseparabiles mutuò, vt volitio efficax, & scientia visionis de existentia Petri: Aliæ sunt compossibiles, simulque separabiles inuicem saltem non mutuò, vt volitio efficax saltem aliqua de existentia humanitatis, quæ de facto assumpta est à verbo Diuino, & volitio efficax vnionis hypostaticæ per quam de facto vnita est eadem humanitas Verbo. Terminationes liberæ inuicem incompossibiles distinguuntur inter se realiter, sicut Paternitas, & Filiatio. Quia terminationes, quæ sunt inuicem incompossibiles, non possunt sibi inuicem communicari summe, nec possunt affirmari mutuò, vt patet; cùm vtralibet essentialiter excludat ex se alteram; ac proinde repugnant essentialiter mutuæ identitati reali, quæ in tali communicatione, & affirmabilitate mutua consistit. Confirmatur. Quia oppositio incompossibilitatis secundum esse est maxima oppositionum, certè non est minor oppositio, quàm oppositio relationis. Ergo si hæc oppositio distinguit realiter Paternitatem à Filiatione, quibus inest; illa quoque distinguit realiter terminationes, inter quas versatur.

Art. 3. Terminationes autem, quæ sunt inseparabiles mutuò; ità vt neutra sine altera dari possit, eo ipso sunt indistinctæ virtualiter intrinsece. Quia terminationes mutuò inseparabiles, necessariò, & identificantur realiter cum iisdem omnibus, & realiter distinguuntur ab iisdem omnibus. Ratione namque inseparabilitatis mutuæ necessariò coëxistunt iisdem omnibus prædicatis Diuinis, & cum iisdem omnibus sunt incompossibiles. Ratione verò Diuinæ simplicitatis identificantur realiter actu, vel potentia cum omnibus & solis prædicatis Diuinis sibi coëxistentibus actu, vel potentia; quandoquidem terminationes liberæ Diuinæ nullam habent oppositionem relationis ad intra, sed solùm ad extra; & repugnat inesse oppositionem relationis ad extra terminationibus mutuò inseparabilibus. Nullum igitur est tertium prædicatum, in quo distinguantur realiter terminationes liberæ mutuò inseparabiles. Quæ tamen distinctio realis in tertio, est omninò necessaria ad distinctionem virtualem intrinsecam immediatam duarum formalitatum, vt dictum est.

Art. 4. Demum terminationes, quæ sunt separabiles non mutuò; ita vt vna earum dari possit sine altera, non verò è conuerso, distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè tantùm. Quia terminationes separabiles non mutuò, distinguuntur eo ipso realiter in aliquo tertio. Terminatio enim, quæ potest existere separata ab alia terminatione, eo ipso potest coëxistere terminationi oppositæ, & consequenter potest identificari realiter cum eadem terminatione opposita. At terminatio, quæ non est similiter separabilis à priori terminatione separabili respectu sui, est incompossibilis cum eadem terminatione sibi opposita, & consequenter est distincta realiter ab ipsa, iuxta nuper dicta. Ergo terminationes inuicem separabiles non mutuò, eo ipso distinguuntur inter se realiter in aliquo tertio, nempe in ea terminatione, quæ est identificabilis cum altera earum, & incompossibilis cum altera. Distinctio autem realis in tertio sufficit ad distinctionem virtualem intrinsecam immediatam, iuxta dicta. Istæ tres regulæ vniuersales reddentur clariores, & vtiliores deductis breuiter inde illatiunculis nonnullis.

Art. 5. Colligitur itaque primò, volitionem Dei liberam de existentia mundi, quatenùs libera est, distingui realiter à nolitione libera mundi quatenùs libera; atque denominationem Dei volentis liberè mundum includere in se prædicatum aliquod distinctum realiter ab aliquo prædicato incluso in denominatione nolentis libere mundum. Quia eæ volitio, & nolitio liberæ, quatenus liberæ, & denominationes, quæ consequuntur ad ipsas, sunt inuicem incompossibiles, vt patet. Eadem est ratio de cognitione existentiæ mundi, & de cognitione non existentiæ eiusdem, deque omnibus similibus.

Art. 6. Colligitur rursus è conuerso, cognitio-

nem, & volitionem existentiæ mundi non distingui inter se virtualiter intrinsecè, sed solùm extrinsecè, & relatè ad connotata creata. Quia sunt inseparabiles mutuò, vt patet. Eadem est ratio de nolitione existentiæ mundi, & de cognitione negante eam existentiam; nec non de prædefinitione Diuina efficaci cuiusuis alterius obiecti comparata cum cognitione existentiæ eius; De volitione item permissiua peccati, & de cognitione futuritionis eius; dequè omnibus similibus. Vnde apparet, omnem Dei volitionem esse indistinctam virtualiter intrinsecè ab aliqua cognitione, nempe à cognitione sui, & obiecti efficaciter voliti per eandem; idemque dicitur proportionaliter de cognitione respectu volitionis.

Art. 7. Colligitur indidem vlteriùs, aduersus P. Suarez, & alleclas, non esse admittendos in Deo ordines intentionis, & executionis distinctos inter se virtualiter intrinsecè, saltem circa obiecta adæquatè eadem. Quia voluntas Diuina efficaciter intentiua alicuius obiecti est essentialiter inseparabilis à voluntate executiua eiusdem obiecti; atque hæc est similiter inseparabilis ab illa. Nihil namque executioni mandari potest, nisi intendente, aut permittente Deo; nihilque à Deo intendi efficaciter, aut permitti potest, quod non eueniat re ipsa, & executioni mandetur. Non absimili ratione excluduntur à Deo actus efficaciter, & determinatè imperantes, & imperati virtualiter intrinsecè inter se distincti etiam circa obiecta inuicem absolutè separabilia; esto admittantur in creatis tales actus imperantes, & imperati realiter inter se distincti. Quia actus Diuinus efficaciter, & determinatè imperans alium, foret inseparabilis ab ipso, vt patet; Ne dicatur frustrabilis actus aliquis Diuinus efficax. Atqui etiam imperatus foret similiter inseparabilis ab imperanti. Quia quilibet actus Diuinus pendet essentialiter à cognitione comprehensiua omnium præcedentium respectu ipsius, & reflectitur super ea omnia, volendo processionem, & dependentiam sui ab illis. Fieri namque non potest, vt detur aliquid in Deo non volitum ab eodem pro eodem signo, pro quo datur, & eo modo, quo datur. Quia quidlibet Diuinum est determinatio sui, vt sit Deus, non secùs, quàm vt sit tale, vel tale aliquod prædicatum. Vnde eo ipso, quòd intelligitur esse secundum quod ipsum, intelligitur etiam habere omnia, quæ sunt propria Diuinitatis, quorum vnum est esse amorem omnium, quæ sibi insunt pro eodem priori, pro quo ipsa est. Forent igitur hi actus mutuò inseparabiles, ac proinde indistincti virtualiter intrinsecè, iuxta dicta; Quod est contra suppositionem.

Art. 8. Eadem indistinctio virtualis intrinseca apparet manifestius in intentione Diuina efficaci finis essentialiter connexi cum determinatis mediis connexis itidem essentialiter cum eodem fine determinatè, & in electione talium mediorum. Patet nimirum clarè, intentionem, & electionem talium finis, & mediorum, essentialiter esse inseparabiles mutuò, ac proindè esse indistinctas inter se virtualiter intrinsecè. Quæ omnia aduertere libuit specialiter in istiusmodi actibus, de quibus multi multa disputant, vt appareret speciali ratione illis repugnare distinctionem virtualem intrinsecam; tametsi admitteretur in Deo absolutè possibilis multiplicitas actuum liberorum Dei distinctorum inter se virtualiter intrinsece, sibique inuicem coëxistentium. Cæterùm apud me vniuersaliori ratione excluditur multiplicitas virtualis intrinseca actuum Diuinorum, quorum distinctioni, & ordini tot à nonnullis inædificantur machinæ doctrinarum, & diuisionis signorum. Dicetur enim infrà quæst. 27. totam Diuinæ Prouidentiæ amplitudinem constare vnico actu libero virtualiter intrinsecè simplici. Interim, quæ hic prænotata sunt breuiter, oportuerit diligenter obseruare pro claritate, & intelligentia eorum, quæ dicentur in decursu.

Art. 9. Colligitur denique, scientiam Dei mediam esse virtualiter intrinsecè distinctam, tùm à prædicatis omnibus simpliciter necessariis, tùm ab omnibus terminationibus liberis Deo, compossibilibus cum ipsa. A prædicatis quidem necessariis distinguitur; quia prædicata necessaria Dei sunt ex se indifferentia ad scientiam mediam hanc, & oppositam; cùm neutra scientia media sit similiter indifferens respectu eorumdem prædicatorum. Ergo prædicata necessaria Dei sunt separabilia non mutuo à qualibet scientia media determinatè sumpta, & ab eius opposita, incompossibilibus inter se. Quod sufficit ad distinctionem virtualem intrinsecam, iuxta dicta. A terminationibus verò Deo liberis distinguitur similiter eadem scientia media; quia quælibet scientia media determinatè sumpta est rursus eodem modo indifferens, cum eadem separabilitate non mutua, ad quamlibet terminationem liberam oppositam, atque incompossibilem cum priori illa terminatione libera. Vtrobique igitur datur separabilitas non mutua scientiæ mediæ ab extremis, cum quibus collata est in illatione. Ostensum autem est art. 4. separabilitatem eiusmodi non mutuam conuerti cum distinctione virtuali intrinseca. Per hæc itaque omnia appareret satis, an, & quatenùs terminationes liberæ Dei distinguantur inter se, & à cæteris prædicatis ipsius.

Art. 1. Ad 1. Nulla plurium entitatum æquiualentia, per vnam simplicem, efficere potest, vt idem prædicatum simul adsit, & desit eidem secundum idem; vtque effectus formalis sit diuersus diuersitate reddente inuerificabilem vnum effectum formalem, cùm verificatur alter effectus formalis. Nulla, inquam, entitatum æquiualentia efficere potest, vt hæc contingant, existente semper eadem adæquatè forma, eodemque subiecto, seu quasi forma, & quasi subiecto, vtroque manente omninò inuariato obiectiuè, & in se. Quia impossibile est vniuersaliter, vt idem secundum idem adæquatè simul sit, & non sit. Cùm ergo Deus de facto sit volens mundum, & sciens existentiam eius; potueritque non esse volens, & sciens ipsam; sed nolens eam, & sciens non existentiam: clare deprehenditur, pro verificatione istorum prædicatorum, & effectuum formalium inuicem incompossibilium, oportere, vt prædicatis simpliciter necessariis Dei superaddatur prædicatum aliquod obiectiuè, & in se non necessarium simpliciter, sed tantùm ex suppositione.

Art. 2. Nempe, quod dicitur à nonnullo sufficere diuersitatem actus necessarij Dei tantùm quoad modum se habendi, & quoad denominationem; satisfacere nequaquam potest intellectui, nec tueri sufficienter scopum, qui præfigitur, de sola, & pura æquiualentia, absque formalitate obiectiuè, & in se intrinsece, & non solùm quoad modum nostrum concipiendi, incompossibili cum formalitate alia, & absque distinctione virtuali intrinseca vtriusque huius formalitatis à prædicatis necessariis. Nam dum his vocibus (*prædicata necessaria semper eadem entitatiuè*) adduntur voces istæ aliæ (*variabilia quoad modum, quoad denominationem*) aut quid simile, oportet, vt significato priorum vocum superaddatur significatum posteriorum vocum obiectiuè, & in se intrinsecè diuersum. Alias loquutio erit nugatoria, & perperam voces vocibus superaddentur, quin superaddatur conceptus obiectiuus conceptui obiectiuo; & quæ dicitur variabilitas quoad modum, quoad denominationem; & similia, erit variabilitas quo-

ad

ad solas vôces psittaceas, solosque, ad summum, conceptus formales purè intellectuales, contrà quam postulat ratio proposita de prædicatis obiectiuis inuicem re ipsa incompossibilibus, & inuerificabilibus simul à parte rei.

Art. 3. Quod assumitur in obiectione, sufficere pro omni obiecto simpliciter necessario vnum actum Diuinæ scientiæ, & voluntatis virtualiter intrinsecè simplicem, conuincit, me quidem iudice, sufficere similiter, vnam terminationem liberam, virtualiter intrinsecè simplicem, pro vna qualibet dispositione vniuersali omnium, & singularum rerum creatarum absolutè possibilium, nullasque proinde duas terminationes Deo liberas distinctas inter se virtualiter intrinsecè posse sibi inuicem coexistere. Id quod efficaciter comprobatur quæst. 15. de Incarnat. & iterum confirmabitur infrà quæst. 27. Cæterùm quia possibiles sunt absolutè plures rerum creatarum dispositiones, & mutuæ coordinationes inuicem incompossibiles; necesse similiter est, vt admittantur possibiles absolutè plures terminationes liberæ Dei incompossibiles itidem mutuo, & consequenter distinctæ realiter inter se, atque negabiles inuicem secundum se, saltem in abstracto, iuxta dicta art. 2. in responsione ad quæstionem.

Art. 1. Ad 2. Ex terminationibus ad extra inuicem incompossibilibus, ea, quæ datur defacto, ex. gr. terminatio connexa cum existentia mundi, identificatur realiter cum Deo, & per ipsam constituitur intrinsecè, ac identicè Deus volens mundum, ad eum vtique modum, quo Paternitate constituitur Deus Pater, & Filiatione Deus Filius. Quæ est comparatio D. Thomæ loco supra indicato. Quapropter eadem terminatio est defacto absolutè infinita, immensa, &c. ac proinde infinite amata, & infinitè æstimabilis, atque laudabilis, communicante illi istos effectus formales, totamque istam perfectionem Diuinitate, & natura Diuina; sicut vicissim Diuinitati, seu naturæ Diuinæ communicat eadem terminatio libera effectum formalem connexæ determinatè cum existentia mundi, & volentis determinatè eandem existentiam.

Art. 2. Ipsa quin etiam perfectio propria exigentiæ identitatis cum Deo, conuenit terminationi ratione Deitatis, sicut infrà dicetur de perfectione Personalitatum ratione eiusdem Deitatis. Præcedit nimirum virtualiter intrinsecè Diuinitas cum eadem exigentia vaga identitatis sui ad alterutram ex terminationibus ad extra, inuicem oppositis; Et quia simul præcedit iam ex se præcisè præhabens omnem puram perfectionem absolutè possibilem, & eam omnem speciaLiter, quæ est propria actualis volitionis, & cognitionis; siquidem præcedit iam existens amor comprehensiuus, & cognitio comprehensiua sui ipsius determinatè, simul respiciens disiunctiuè esse, & non esse creaturarum. Quia, inquam, sic præcedit Diuinitas; ea exigentia mutuæ identitatis cum terminatione libera est pure quasi actiua, seu actiuè communicatiua totius eius perfectionis ex parte ipsius Diuinitatis; ex parte verò terminationis quatenùs non necessariæ simpliciter, eadem exigentia identitatis, ob rationem contrariam; est purè quasi passiua, receptiua perfectionis, soliusque determinationis, seu connexionis determinatæ est communicatiua quasi actiuè. Ex quibus apparet, punctum præcipuè intentum in hac, & præcedenti quæstione; nempè amorem, & cognitionem Dei circa effectus creatos, constitui partim ex entitate, seu essentia Dei simpliciter necessaria; partim ex terminatione, seu habitudine ad extra necessaria tantùm ex suppositione; & neutram ex his formalitatibus seorsim, & secundum se esse amorem, vel odium, affirmationem, vel negationem, existentiæ creatæ præterquàm inadæquatæ; ac demum rationem amoris, & cognitionis formaliter correspondere formalitati simpliciter necessariæ; rationem verò connexionis determinatæ, seu determinationis correspondere formaliter formalitati liberæ, seu non necessariæ simpliciter ad eum vtique modum, quo Deus Pater constituitur formaliter Deus per Diuinitatem, & Pater per Personalitatem, seu per relationem generantis.

Art. 3. Hæc eadem, quæ dicta sunt de terminatione existenti defacto, eidemque conueniunt absolutè; dicuntur etiam, & conueniunt conditionaliter tantùm, seu potiùs possibiliter tantùm, oppositæ terminationi liberæ, quæ, quatenùs talis, non datur defacto. Quia videlicet hoc habet ex suo conceptu, vt, si daretur in ratione determinantis Deum, eo ipso daretur in ratione habentis, per realem, & perfectam identitatem, infinitam perfectionem, & amabilitatem, tantam scilicet, quanta est perfectio, & amabilitas essentiæ Diuinæ, imò haberet eandem prorsus, & haberet tantundem communicatam sibi, & tàm suam, quantum communicatur ipsi essentiæ Diuinæ, & quàm est sua ipsius. Vnde non magis dici potest contemptibilis, aut inamabilis terminatio libera Dei, dum non est, seu non existit secundum suum esse respectiuum ad extra; quam homo dici possit irrationalis, dum non existit. Verùm neque actualiter contempta, aut odio habita à Deo, dici potest eadem terminatio, quatenùs actualiter est omissa, & nolita à Deo, atque impedita quominùs sit in se intrinsecè quoad suum esse respectiuum. Quia non impeditur, ac reiicitur ratione sui, sed ratione perfectionis, vel imperfectionis creatæ inducendæ, vel impediendæ media ipsa terminatione, quæ formaliter sumpta comparatur solùm, vt quo, cum dicta perfectione, & imperfectione. Canendum est in tota ista materia, ne quis perinde, aut cogitet, aut loquatur quoad omnia de formalitatibus, atque de entitatibus distinctis realiter adæquatè, sed sunt adhibendæ vbique diligenter præcisiones, & præcautiones, iuxta dicta superiùs; vti iterum obseruabitur infrà quæst. 38. ex communi consensu PP. & Theologorum circa mysterium Trinitatis, cui dictum est esse valdè affine mysterium Diuinæ libertatis.

Art. 4. Ea porrò differentia formalitatum Diuinarum à formalitatibus creatis est obseruanda præcipuè in re præsenti circa conceptum existentiæ actualitatis, & perfectionis. Cum enim nulla formalitas creata deficere, aut defectibilis esse possit, quin eo ipso deficere, aut defectibilis esse possit, quoad suam existentiam, actualitatem, & perfectionem; facilè incautis obrepit existimatio, quòd similiter repugnet in Deo formalitas, quæ sit defectibilis, secundum aliquem conceptum suum obiectiuum, quin eo ipso sit defectibilis à parte rei, quoad peculiarem aliquam suam existentiam, actualitatem, & perfectionem. Quæ tamen existimatio est falsa, absurda, & nullatenùs admittenda, certè, contradictoriè meæ, eidemque proculdubio legitimæ existimationi, & sententiæ circa terminationes liberas Diuinas. Quas videlicet ita assero contingentes quoad denominationem, connotationem, habitudinem, & respectum Dei ad extra, & quoad connexionem, aut incompossibilitatem vltimò determinatam cum rebus creatis, vt tamen in existendo contingentes nequaquam sint, sed tota earum existentia, actualitas, & perfectio sit simpliciter necessaria, atque omninò indefectibilis, vtpotè indistincta, & realiter, & virtualiter intrinsecè à prædicatis necessariis Dei, atque vna, & eadem, & penitùs simplex in terminationibus inuicem incompossibilibus, eisdemque communis, sicut est communis essentia Diuina, seu Deitas. Quæ

qua

qua ratione cohærere inuicem possint in Deo, tametsi nihil tale contingere possit in rebus creatis, apparebit infrà loco indicato.

Ad 3. Separabilitas quoad esse inter duo obiecta creata infert, iuxta dicta, possibilitatem duarum terminationum liberarum Dei inter se incompossibilium, atque adeò distinctarum inter se. Infert enim possibilitatem volitionis circa alterum ex illis obiectis coniungibilis cum nolitione circa alterum, quæ nolitio est incompossibilis cum volitione eiusdem obiecti; sicut etiam prior illa volitio est incompossibilis cum nolitione circa idem obiectum. Quo eodem argumento manifestè concluditur, iuxta dicta, possibilitas tot, vt minimùm, volitionum, & nolitionum Diuinarum distinctarum inter se realiter quoad terminationem liberam vt liberam, quot possibiles sunt collectiones rerum creatarum inuicem separabilium realiter, siue mutuò, siue non mutuò. Cæterum nulla eiusmodi rerum creatarum separabilitas inter se conuincit possibilitatem aliquarum duarum volitionum Dei liberarum, vel etiam virtualiter intrinsecè distinctarum coëxistentium sibi mutuò, seu valentium sibi inuicem coëxistere. Quod ratio obiectionis sufficienter persuadet, efficaciùs demonstrabitur infrà in prædicta quæst. 27.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrum Voluntas Dei rectè diuidatur in antecedentem, & consequentem; & in voluntatem beneplaciti, & signi?

VIDETVR non rectè diuidi, 1. Quia nullæ duæ terminationes liberæ Dei inter se distinctæ possiunt sibi inuicem coëxistere, vt modò dictum est. Nequit autem aliqua volitio habere rationem, vel antecedentis, vel consequentis respectu terminationis non coëxistentis sibi. Quia quod non est, nec antecedit, nec consequitur ad id quod est. Et similiter repugnat, vt habeat rationem, vel signi, vel beneplaciti volitio non existens. Ergo neutra diuisio subsistere potest.

2. Quod est volitum antecedenter tantùm, & non est volitum consequenter, non potest esse volitum propriè à Deo. Quia quod est volitum propriè à Deo, necesse est, vt eueniat. Non autem euenit, quod est volitum tantùm à Deo antecedenter. Idem autem contingit in eo, quod est volitum à Deo voluntate tantùm signi. E contra, quidquid est volitum à Deo voluntate, vel consequenti, vel beneplaciti, eo ipso necesse est, vt eueniat, estque volitum à Deo propriè. Ergo voluntas Dei neque propriè, neque impropriè sumpta legitimè diuiditur in antecedentem, & consequentem; beneplaciti, & signi.

3. Vtralibet ex iis diuisionibus coincidit cum altera. Quia quidquid est volitum à Deo voluntate beneplaciti, eo ipso non potest esse volitum voluntate tantum antecedenti, sed eo ipso est volitum voluntate etiam consequenti; & è conuerso. Similiter quidquid est volitum à Deo voluntate etiam consequenti, eo ipso est volitum voluntate beneplaciti. Eademque est porportionalis ratio de voluntate purè antecedenti, & de voluntate solius signi inuicem comparatis. Ergo superfluit altera ex dictis diuisionibus.

Art. 1. Respondetur. Voluntas libera Dei diuiditur vnanimi Theologorum consensu in antecedentem, & consequentem; beneplaciti, & signi, cum D. Thoma q. 19. art. 6. 11. & 12. Inducta autem est ea diuisio ad eruendum sensum legitimum, & ad ineundam concordiam plurium locutionum sacræ scripturæ, & sanctorum PP. inuicem oppositarum quoad speciem, & quoad verba, vt sonant, cùm re ipsa nihil inter se dissideant. Neutra diuisio continet in se distinctionem, aut realem, aut virtualem inter aliquos duos actus Diuinos sibi inuicem coëxistentes. Quia nulla talis distinctio actuum datur in Deo, vt nuper dictum est. Solam igitur continet distinctionem rationis extrinsecam per ordinem, & relationem ad obiecta, & connotata creata realiter inter se distincta: quæ respicit Diuina voluntas in ratione effectus inducendi per ipsam, aut positiuè, aut saltem permissiuè.

Art. 2. Itaque voluntas Dei dicitur antecedens respectu alicuius effectus, quatenùs vult illum præcisè, vt contentum in aliqua causa secunda sufficiente, quantum est ex se, ad illum ponendum à parte rei, & insuper habente aliquam inclinationem inditam sibi à Deo ad productionem illius cum præcisione tùm à cooperatione, tùm ab impeditione realis productionis, & executionis, prouenientibus ab eadem illa causa; vel ab aliis causis secundis. Dicitur verò consequens voluntas Dei, quatenùs versatur circa effectum aliquem creatum secundum se ipsum immediatè, & cum omnibus circumstantiis requisitis, & existentibus re ipsa à parte rei, atque adeò cum inclusione seu cooperationis, seu impeditionis prouenientium ex causis secundis. Hinc fit, vt quosdam effectus Deus velit voluntate antecedenti; simulque nolit voluntate antecedenti; quosdam verò alios, vel vtraque velit, vel neutra. Vtraque voluntate vult ex. gr. salutem Prædestinatorum; neutrâ salutem hominum purè possibilium; alterâ tantùm, videlicet antecedenti, & non consequenti; salutem Reproborum. Quapropter, dum dicitur; *Deus vult omnes homines saluos fieri*, subintelligenda est sola voluntas antecedens; quatenùs Deus omnibus dat sufficientiam, quantum est ex se, vt saluentur, idque spectat ad voluntatem antecedentem; licet non ab omnibus remoueat, aut velit efficaciter remoueri omnia impedimenta salutis, quæ prouenire possunt à libera vniuscuiusque voluntate, vel ab aliis causis secundis. E contra dum dicitur, Deum nolle saluos facere eos, qui damnantur de facto, subintelligenda est negatio solius voluntatis consequentis, qua permittit impeditionem salutis eorum indidem prouenientem.

Art. 3. Iam Diuina voluntas beneplaciti est voluntas propriè talis adæquatè intrinseca Deo. Quia est ipse Deus, vt dicit D. Thomas de verit. q. 23. art. 5. & ad 6. Nempe voluntas beneplaciti dicitur ea, qua Deus respicit effectus creatos formaliter, ac præcisè, quatenùs substantes suæ electioni liberæ efficaci. Voluntas verò signi est metaphoricè tantùm voluntas respectu effectus, respectu cuius dicitur voluntas signi, & includit in suo conceptu effectum aliquem temporalem volitum à Deo voluntate beneplaciti, atque versatur circa effectus pendentes à libero arbitrio creato, quatenùs directos à Deo, vt conuenienter operetur. Tribus autem modis principaliter dirigitur à Deo arbitrium creatum, præcepto videlicet, consilio, & prohibitione. Minùs verò principaliter, duobus insuper aliis modis; operatione scilicet, & permissione. Vnde fit, vt triplex voluntas signi attribuatur Deo principaliter, & duplex præterea alia minùs principaliter. Ratio huius attributionis, & locutionis respectu Dei est. Quia homines, saltem vt plurimum, volunt voluntate propriè tali, quæ præcipiunt, & consulunt, nec non

quibus

quibus cooperantur, quæque permittunt, seu non impediunt, cum impedire possent; & similiter nolunt, quæ prohibent. Itaque iuxta communiter contingentia, præceptum, consilium, operatio, & permissio, nec non prohibitio obtinent apud homines rationem signi significantis, velle, & nolle proportionaliter.

Art. 4. Hinc fit, vt signo posito pro re significata absolutè dicatur, nec infrequenter, tum in sacris litteris, & apud SS. PP. tùm in communi sermone, Deum velle, quæ præcipit, &c. nolle verò, quæ prohibet: tametsi sæpè contingat, vt ea neque velit propriè, neque nolit. Contingit nimirum sæpè, vt non fiat, quod Deus præcipit, vtque fiat, quod prohibet. Et tamen contingere nunquam potest, vt non fiat, quod Deus vult; aut vt fiat, quod non vult voluntate propriè, & simpliciter tali. Quæ videlicet est omnipotens, ideoque infallibilis, & infrustrabilis, vt patebit ex testimoniis infrà opportunè producendis. Neque verò ob id verificatur, Deum adhibere signa falsa, dum præcipit, aut prohibet aliquid, quin prædefiniat efficaciter, seu efficaciter, & propriè velit actum præceptum, aut omissionem actus prohibiti. Quia Deus non ad hoc adhibet præceptum, aut consilium, vt significet adesse sibi talem voluntatem prædefinitiuam: sed solum, vt significet voluntatem aliam suam propriè talem circa actus prohibitos, aut præceptos; nempè voluntatem formaliter, aut æquiualenter conditionatam de conferendis præmiis, & irrogandis suppliciis, si fiant, aut omittantur tales, vel tales actus, vti exponetur in qq. de actibus humanis circa primam eorum regulam. Ex his igitur patet, vtramque diuisionem propositam esse legitimam, & admodum opportunè inductam esse à Theologis pro vera intelligentia, & mutua reali concordia multiplicis locutionis in Scriptura, & apud Sanctos PP. circa voluntatem Dei.

Ad 1. Patet ex dictis, vtramque eam diuisionem niti relatione, & ordine ad diuersa connotata creata; quo pacto diuiduntur, ratione nostra, multipliciter prædicata etiam necessaria, & absoluta Dei expertia obiectiuè, & in se, omnis prorsus distinctionis.

Ad 2. Vtraque hæc diuisio inducta est non tam ad intelligentiam rei, quæ diuiditur, quàm ad intelligentiam diuersarum locutionum circa ipsam. In huiusmodi autem diuisione nullum est vitium; sed sæpè est necessarium, & valde vtile, vt diuisum vsurpetur cum præcisione à propriè, & impropriè tali suppositione analoga, seu æquiuoca; vt cùm Canis diuiditur in cœlestem, & terrestrem.

Ad 3. Quælibet Dei voluntas coincidit reipsa cum qualibet voluntate Diuina. Quia voluntas Dei in se intrinsecè est vna omninò, & simplex. Non autem coincidit ratione nostra, & secundum modum nostrum intelligendi, quando refertur ad connotata creata inter se diuersa, atque inde sortitur diuersas apparentias respectu nostri. Patet verò ex dictis, istiusmodi diuersitatem non deesse in re præsenti.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum detur in Deo amor sui, & odium malorum?

VIDETVR non dari amorem sui, & dari odium malorum 1. Quia de ratione amoris est, vt non feratur ad suum obiectum, aut vt præsens, aut vt absens, sed cum præcisione ab absentia, & præsentia. Affectus enim, qui versatur circa bonum, vt præsens, dicitur gaudium: sicut dicitur desiderium, qui versatur circa illud, vt absens. Ergo amor strictus distinctus à puro gaudio, & à puro desiderio, necesse est, vt versetur circa bonum quatenùs præscindens ab absentia, & præsentia. Deus autem non potest versari circa se ipsum cum tali præcisione. Quia est bonum essentialiter sibi præsens, & vt tale cognoscitur per omnem Diuinam cognitionem, vtpotè comprehensiuam ipsius. Ergo in Deo non datur amor strictus erga se ipsum, vt distinctus à puro gaudio. Confirmatur, quia eadem præcisè de causa negatur Deo ab omnibus scientia simplicis intelligentiæ circa se ipsum. Quia videlicet non potest cognoscere possibilitatem sui cum indifferentia ad existentiam, & non existentiam, seu cum præcisione ab vtraque. Confirmatur rursus, quia Deo repugnat desiderium sui: Ergo, & amor strictè talis. Patet consequentia; quia tam repugnat Deo cognitio sui, vt præscindentis ab existentia, & possessione, quàm repugnat cognitio sui, vt absentis, seu carentiæ sui.

2. Amor Dei erga se ipsum nec efficax esse potest, nec inefficax. Non inefficax; quia amor inefficax est affectus imperfectus, & neque à nobis concipitur nisi erga bonum, vt coniunctum cum imperfectione, vel apparens ad modum habentis imperfectionem. Sed neque efficax esse potest, quia amor efficax dicitur, qui potest efficere suum obiectum, vel certè vult, aut vellet efficere. Quorum neutrum conuenire potest Deo respectu sui, cui videlicet repugnat, vt fiat; nec non, vt cognoscatur, aut apprehendatur à se ipso aliter, atque est in se. Ergo nullus amor dari potest in Deo respectu sui. Simile argumentum conficitur ex diuisione amoris, quæ communiter censetur adæquata, in amorem concupiscentiæ, & amorem amicitiæ: Quia amor concupiscentiæ est ignobilis, & imperfectus, ideóque repugnat Deo, tàm respectu sui, quàm respectu aliorum. Amor verò amicitiæ exigit ex suo conceptu dualitatem, vt minimùm, tùm naturarum, tùm personarum amantium se mutuò propter se. In Deo autem non datur dualitas naturarum, sicut neque dualitas amorum mutuò se respicientium, atque rependentium.

3. Dari è conuerso in Deo odium malorum conuincitur efficaciter ex ps. 44. 8. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Malachiæ 1. 2. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Ecclesiastici 12. 7. *Altissimus odio habet peccatores.* Et quidem odio summo tendente ad perditionem odio habiti, ideóque pertinente ad inimicitiam propriè talem, ex ps. 5. 7. *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Conuenit igitur Deo odium simpliciter, idest, odium inimicitiæ erga malos.

4. Deus vult peccatori mala, quatenus mala eidem, idque ex displicentia personæ. Sed hic est affectus inimicitiæ. Ergo hic affectus, qui est odij propriè talis conuenit Deo propriè. Probatur maior. Quia peccatores in primis, quatenus tales displicent Deo. Non enim displicet ipsi solùm peccatum, sed etiam peccator propter peccatum, iuxta illud Sapientiæ 14. 9. *Odio sunt Deo impius, & impietas eius.* Deinde Deus vult peccatoribus supplicia, & pœnas, quatenùs supplicia, & pœnæ sunt. Supplicia autem, & pœnæ, quatenùs talia, sunt mala patienti, vt per se patet. Accedit, reprobis saltem nullum à Deo intendi bonum per supplicia. Quia videlicet nullius boni obtinendi sunt capaces pro eo statu. Illatio autem mali ad nullum tendens bonum, seu præsens, seu futurum respectu patientis, est opus proprium odij inimicitiæ: Si quod est tale in rerum naturâ. Nempe si esset de ratione odij inimicitiæ, vt nullum prorsus intendatur bonum, etiam aliorum à patiente,

nullum

nullum esset possibile odium inimiciæ, vel etiam in nobis. Quia nemo intendens ad malum operatur; nempè ad purum malum, vt fert vulgare, idemque verissimum axioma. Ergo saltem respectu reproborum datur in Deo odium inimicitiæ propriè tale.

5. Possibile est in homine odium propriè tale aduersus Deum. Ergo, & in Deo aduersus hominem. Patet consequentia, quia æquum est, vt par pari reddat Deus, ideóque necesse est, vt reddere possit. Qua etiam ratione tribuitur Deo amor amicitiæ erga homines sibi amicos. Patet antecedens: tum quia peccatores dicuntur inimici Dei in sacris literis; tum quia dæmones, aliique damnati, nec non viatores nonnulli gerentes damnatorum animas, intendunt iniurias, & dehonorationem Dei, atque infamiam, quatenùs sunt mala Dei, atque animo nocendi ipsi quantum possunt, vel si possent. Quod certissime spectat ad inimicitiam propriè talem.

Art. 1. Respondetur. Regula generalis circa affectus particulares tribuendos, vel negandos Deo, similis est illi, quæ suprà tradita est circa virtutes, & ab omnibus traditur vnanimiter, Nimirum, vt Deo adscribantur specialiter illi omnes, & soli affectus, in quorum conceptu, demptis imperfectionibus, adhuc supereſt prædicatum aliquod, per quod differant inter se; reliqui vero negentur eidem quoad rationem suam specificam, & differentialem propriè sumptam, solúmque concedantur, vel quoad rationem communem tantùm, vel tantùm metaphoricè, ac tropicè. Iuxta quam regulam concedendus est Deo amor stricte, & propriè talis erga se ipsum: negandum verò omne odium inimicitiæ propriè, & strictè tale. Quæ duo quia nituntur ratione valde assimili cum proportione contraria, propterea coniunctim efferuntur.

Art. 2. Concedendus quidem Deo est amor strictè talis erga se, cum D. Thoma, & cum communi aliorum Theologorum ferè omnium sententia, aduersus Albiz, & Hericè. Quia, vt arguit D. Thomas 1. contra gent. c. 91. n. 6. *Omnis affectionis principium est amor; sed in Deo est gaudium, & delectatio. Ergo in Deo est amor.* Maior præterquàm quòd est satis munita auctoritate ipsius arguentis, docetur communiter, tamquam certa, ab interpretibus cum ipso D. Thoma in præsenti q. 20. art. 1. & apud Magistrum in 1. dist. 1. vbi inter alios, Ocham. q. 4. estque omnibus nota per experientiam. Quiuis enim interrogatus quare gaudeat, vel desideret, illicò respondet incunctanter; Quia amo; eademque responsio est circa quemuis alium affectum. De gaudio autem, & delectatione Dei à nemine dubitari potest; quia à nemine dubitari potest de beatitudine eius.

Art. 3. Pro maiori claritate huius rationis, & pro ratione quasi à priori, notandum est, hoc esse proprium, & peculiare amoris strictè talis, vt nullum alium affectum ante se præsupponat ex sua natura, & per se. Deinde, vt inducat vi sua bonum, circa quod versatur. Quia amor est actiuus, quantum potest, ex Philosopho 2. Rhetoric. c. 4. initio. Priori ex istis prædicato differt amor ab omnibus aliis affectibus, quibus videlicet omnibus commune est, vt præsupponant amorem, iuxta doctrinam communem modò præmissam. Posteriori verò prædicato differt specialiter amor strictus à puro gaudio strictè tali, quem solum affectum reliquum Deo faciunt, qui negant eidem amorem strictum. Quia gaudium fertur ad bonum, vti iam possessum, & præsens independenter ab eodem. Habet autem Deus affectum erga se, quo nullus alius sit prior, vt patet ex terminis. Deinde Deus, atque adeò tota eius bonitas existit vi affectus, quo prosequitur se ipsum. Quia affectus Dei erga se est indistinctus ab ipso Deo, qui est à se, ac proinde est ab affectu suo, qui est ipse. Ergo affectus, quo Deus prosequitur se ipsum, habet duplex prædicatum propriè, & sine metaphora sibi conueniens, quorum altero differt formaliter ab omni alio affectu distincto ab amore stricto; altero verò differt à puro gaudio. Neutrum autem ex his prædicatis includit in se formaliter vllam imperfectionem; quia vtrumque est proprium Deitatis, vtpotè nihil ante se præsupponentis, à quo sit, & existentis vi sua, seu à se. Conuenit igitur Deo proprie perfectio propria, & peculiaris amoris stricti absque vlla imperfectione. Conuenit ergo Deo secundum suum proprium conceptum amor strictè, & propriè talis distinguibilis ratione à gaudio erga se ipsum, non secùs, ac conueniunt eidem intellectio, & volitio, iustitia, & misericordia, & alia eiusmodi.

Art. 4. Ratione contraria conuincitur Deo non conuenire propriè, & sine metaphora odium inimicitiæ aduersus peccatores, aut odium stricte, & proprie tale aduersus aliquid aliud. Ita docet ex professo D. Thomas 1. contra gent. c. 96. & in præsenti q. 20. art. 2. ad 4. In priori namque loco, præmisso odio Dei contra peccata, subiicit nihilominùs, similitudinarie tantùm esse odium, auersionem Dei à peccatis, & à peccatoribus. Quia odium propriè tale est subsistentium, non secùs atque amor, & amicitia. Subsistentia autem Deus non odio habet; nimirum inimicitiæ; quod solum est odium simpliciter. Vnde in posteriori loco distinguit sic: *Deus; peccatores, inquantum sunt naturæ quædam, amat, inquantum sunt peccatores, odio habet.* Non autem simpliciter, & stricte odio habet, qui simul amat; sed tantùm odio habet secundum quid. Quapropter Caietanus, & post ipsum alij communiter distinguunt duplex odium, aliud abominationis, aliud inimicitiæ; atque primum Deo concedunt, secundum negant idem Caietanus, Ferrara, Suarez, Valentia, Granados, Fasolus, Tannerus, Montoya, & alij, aduersus Vasquez, Arrubal, Herice, Auersa, & alios qui adscribunt Deo odium etiam inimicitiæ proprie tale.

Art. 5. Discrimen inter hæc duo odia præcipuum, & ex quo pendent aliæ eorum differentiæ, in hoc consistit; quod odium abominationis est odium purè reprobatiuum mali, quod ineſt subiecto odio habito, & intendit, vel ablationem eiusdem mali, & liberationem subiecti ab illo, vel compensationem eiusdem mali in ordinè ab bonum commune, & est proinde maximè proprium Iudicis, & Gubernatoris, quatenùs talis. Odium verò inimicitiæ est directè, & formaliter detestatiuum subiecti, cui ineſt malum, & intendit directè augmentum mali in eodem, & reponit bonum odio habentis, in malo, & passione odio habiti, volendo compensationem iacturæ, & nocumenti: quod passus fuerat, qui odio habet, per illationem æqualis, aut maioris nocumenti, & iacturæ, in eum, qui odio habetur. Quapropter odium inimicitiæ est proprium personæ particularis, quatenùs persona particularis est, quærentis quietem animi sui in malo, & perpessione alterius, & inuenientis, aut fingentis finem, & compensationem nocumenti proprij in nocumento alterius. Hinc fit, vt Iudex interficiens homicidam, vt satisfacit officio Iudicis, non propterea exerceat odium inimicitiæ, sed solius abominationis; tametsi maximum inferat malum. At si occidat eundem homicidam, aut etiam mutilet solùm, aut aliter vexet filius occisi, vt satisfaciat iræ suæ, & compenset iacturam, quam passus est, atque hoc modo cedat malum alterius in bonum proprium verum, vel imaginatum, eo ipso exercet odium inimicitiæ. Discrimen istud exponit breuiter, & optimè Philosophus 1. Rhetoric. c. 10. dicens, *Differunt autem*

pœna,

pœna, & vltio. Nam pœna eius, qui patitur, gratia fit; vltio verò eius, qui facit. Ex quo apparet clare, punire, dici de Deo propriè; vlcisci verò, non nisi metaphorice.

Art. 6. Nempè Deus sicut nullam iacturam pati potest ex creaturis, iuxta illud Iob. 35. 6. *Si peccaueris, quid nocebis ei?* ita nullum bonum proprium intendere potest ex punitione peccatorum. Quippè Deus in summo felicitatis solio constitutus, omnis expers veri mali, improbos mortalium conatus nihil nocentes deridet securus, & pacatissimo animo supplicia singulis, quæ meruere, decernit, eorum intendens bonum, qui malum ipsi intenderunt, intulerunt verò reipsa sibi solis. Intendit, inquam, bonum eorum, vel proprium, & particulare, vel commune, & publicum, iuxta cuiusque male operantis capacitatem. Viatoribus enim capacibus emendationis infert supplicia, vt emendentur, quod est bonum ipsis, ideóque non est opus inimicitiæ. Aliàs Pater, & Magister verberantes puerum; medicus potione amara, inedia, sectione, vstione desæuiens in ægrotum; Iudex vindicans scelera contra leges perpetrata, aliique consulentes bono eorum, quos vexant, dicendi essent eo ipso exercere inimicitias. Reprobis autem in infernum detrusis, & iam incapacibus emendationis infligit supplicia, vt inseruiant bono communi, ideóque intenditur ipsorum punitione bonum communitatis, propter quod principaliter existit vnaquæque pars vniuersi. Inducitur itaque in reprobos, per punitionem ipsorum, totum illud bonum, cuius sunt capaces, quatenùs sunt partes vniuersi. Vnde neque hoc pertinet ad odium inimicitiæ magis, quàm pertineat ad tale odium punitio sceleratorum per Iudices, aut vexatio brutorum ordinata ad bonum substantiarum rationalium. Nempè peccatores, præsertim ex quo sunt inemendabiles, comparantur iumentis insipientibus, & similes fiunt illis, & ideò destinantur bono aliorum, & laudi Dei, non ex odio inimicitiæ aduersus ipsos, sed ex odio abominationis aduersus nequitiam eorum, & ex amore boni communis. Tam igitur non conuenit Deo odium inimicitiæ aduersus aliquem alium, quam conuenit amor stricte talis, & diuersus à puro gaudio erga seipsum.

Art. 1. Ad 1. Simile quoddam argumentum proponit operosè, & vrget multipliciter Albiz aduersus libertatem, & indifferentiam Dei respectu existentiæ creaturarum. Quia videlicet nunquam potest esse indifferens, cui semper inest determinatio ad alteram partem, sicut inest Deo respectu omnium, quæ sunt, & non sunt. Responsio autem est similis vtrobique. Quia videlicet non est de ratione indifferentis indifferentia actiua, & inductiua suæ determinationis, vt careat eadem sua determinatione; sed solùm, vt non necessariò habeat hanc potiùs, quàm oppositam determinationem sui; Hæc autem non necessitas saluatur in essentia Diuina secundum se, absque carentia determinationis ad alterutram partem, cum sola actiuitate æquè sufficienti ex se; vt adiungat sibi pro libito determinationem, qualem voluerit, ita vt indifferentia sit quidem coniuncta cum determinatione, sed non necessariò cùm hac potiùs, quam cum opposita, eo quòd indifferentia est actiua suæ determinationis.

Art. 2. Similiter ergo dicitur de amore Diuino erga se, non esse de ratione ipsius, vt dirigatur cognitione præscindenti ab existentia, & non existentia bonitatis, circa quam versatur, quæque est obiectum eius. Quia est amor essentialiter actiuus sui obiecti, & indistinctus realiter, atque etiam virtualiter intrinsecè ab eodem, quatenùs est motiuum eiusdem. Quapropter solùm est de conceptu talis amoris, vt non præsupponat ante se alium affectum, vi cuius existat, vtque vi sua inducat, & ponat à parte rei idem bonum, circa quod versatur. Per hæc enim duo sufficienter differt amor Dei erga se à puro gaudio, nec dici potest Deum purè gaudere de se ipso, & versari circa se ipsum affectu nihil agente, & purè otioso: quod est proprium puri gaudij, sicut oppositum est proprium amoris stricti, & gaudij coniuncti cum amore stricte tali. Itaque æquiuocatio aduersariorum in hoc consistit, quòd amor strictus ex sua ratione communi, & vniuersali non postulat præcognitionem obiecti sui, vel determinatè, atque ab hac negatiua transiuerunt ad affirmatiuam, quasi esset de ratione communi, & vniuersali amoris stricti, vt præsupponat eam præcisionem ab absentia, & præsentia, in quo falluntur. Quia secluſa tali præcisione supereſt adhuc vnde differat amor stricte talis à puro gaudio, vt apparet ex dictis. Apparebit verò magis, si aduertatur eadem ratione debuisse eosdem auctores negare Deo gaudium propriè, & stricte tale. Quia gaudium, ex sua ratione communi, & vniuersali, non postulat, vt vi sua inducat bonum, circa quod versatur, sed potest supponere inductum aliunde. Qualis tamen affectus nullus est reipsa in Deo; quandoquidem omne bonum Diuinum est ab omni affectu Diuino necessariò, sicut est à se ipso. Sicut ergo ab illis auctoribus, & omnibus aliis conceditur nihilominùs Deo gaudium propriè tale, quia non est de ratione gaudij, vt non inducat suum obiectum vi sua; ita similiter iidem, & omnes dicere debemus de amore stricte, & propriè tali ob eandem proportionaliter vtrobique rationem.

Art. 3. Instantia ex scientia simplicis intelligentiæ est abs re. Quia simplex intelligentia vocatur cognitio, qua cognoscitur possibilitas rei cum indifferentia, vt existat, vel non existat dependenter ab eadem cognitione. Huiusmodi autem indifferentia non est de ratione obiecti, circa quod versatur amor strictus, licèt neque determinatio opposita huic indifferentiæ sit de conceptu eiusdem amoris ex genere suo. Ergo nulla est ratio paritatis ex repugnãtia simplicis intelligentiæ diuinæ circa ipsum Deum, ad repugnantiam amoris diuini stricte talis circa eũdem. Indidem patet ratio discriminis ad secundam confirmationem; quia desiderium differt ab amore, & gaudio per solam imperfectionem carentiæ physicæ, vel saltem intentionalis boni, quod vellet habere desiderans, pro ea duratione, pro qua vellet habere. Quæ imperfectio, quia nequit inesse Deo, neque respectu sui, neque respectu vllius boni creati, cùm voluntas Dei sit essentialiter infrustrabilis, & inimpedibiliter efficax, atq; vt talis cognoscatur à Deo, vt patet Deo, neque respectu sui, neque respectu cuiusquam alterius obiecti posse conuenire desiderium propriè, & sine metaphora, tale. Nulla autem eiusmodi imperfectio est de ratione amoris stricti, sed habet aliunde prædicatum positiuum, & perfectionem peculiarem, qua differat, tum à puro gaudio, tum etiam à desiderio, vt apparet ex dictis.

Art. 1. Ad 2. Amor Dei erga se est procul dubio efficax, quia vi sua ponit à parte rei suum obiectum; Quandoquidem amor diuinus est ipse Deus, qui est à se, ideóque existit vi sua. In obiectione miscetur abusus vocis, dum sumitur efficax, tanquam factiuus; cùm sumi debeat latiùs, pro habente sufficientiam ex se præcisè, vt vi eius existat obiectum. Quod attinet ad alteram diuisionem in concupiscentiam, & amicitiam: certum est, amori diuino erga se non conuenire rationem concupiscentiæ, neque formaliter, neque reductiuè; quia non amat bonitatem suam præcisè, vt finem qui, & gratia alterius, tanquam finis cui. Sed neque amicitia est formaliter

maliter respectu ipsius Dei, vt Deus est propter vnitatem ipsius, in ratione talis. Cæterùm idem amor est amicitia supereminenter, & reductiuè, quia est amor finis cui propter se ipsum sistendo inibi vltimò, absque vlteriori progressu ad alium finem.

Art. 2. Quæri solet; an idem amor habeat rationem amicitiæ formaliter, & propriè respectu Diuinarum Personarum? Controuersia videtur leuis, & in neutram partem possunt accommodari leges amicitiæ præscriptæ à Philosopho in eo sensu, in quo accipiuntur ab ipso. Quia illi nec mysterium Trinitatis Diuinæ innotuit, neque quidquam ipsi simile. Dicendum tamen potiùs est cum Patribus, & Theologis, quos refert, & sequitur Montoya de Volunt. disput. 52. sect. 4. aduersus Suarez, & alios, amorem Dei absolutum, esse veram, & propriam amicitiam vniuscuiusque Personæ diuinæ, respectu aliarum. Quia amor absolutus Dei reddit vnamquamque Personam Diuinam amantem alias duas propter solam bonitatem conuenientem naturæ ipsarum, & quidem amantem infinitè, & cum infinita communicatione omnium suorum bonorum, & absque vlla diminutione, vel amoris, vel communicationis, ex eo, quòd communicatio sit coniuncta cum retentione eorundem bonorum, & amor sit similiter propter bonitatem conuenientem naturæ amantis. Tantundem enim nihilominùs amat vnaquæque Persona reliquas duas, & tantundem illis communicat bona sua; atque si pateretur iacturam bonorum, quæ communicat, eàque transferret ex se ad alias duas Personas, & similiter amat easdem tantundem, atque si amaret propter bonitatem naturæ ipsarum, & non etiam naturæ suæ. Nempe amat, & communicat nihilominùs infinitè, simpliciter amore, & communicatione, quibus ne quidem cogitari maior potest; &, quod caput est: vnaquæque Persona amat reliquas, & communicat illis bona sua amore, & communicatione, quale maius eædem volunt, & qua maiorem velle nequaquam possunt. Cuius rei nihil simile in creaturis contingere potest, vt patet. Quia quidlibet finitum in plures distributum, redditur minùs respectu singulorũ. Quare necessitas etiã dualitatis naturarum ad rationem amicitiæ spectat similiter ad imperfectionem amicitiæ creatæ, quatenùs duæ personæ amantes se inuicẽ perfectè dari non possunt absque duabus naturis, sicut possunt dari in Deo.

Ad 3. Illa testimonia accipienda sunt de odio abominationis intendente bonum odio habiti, in quantum is est capax bonorum: ideóque compossibili cum dilectione eiusdem, in quantum est natura quædam. Nec obest magnitudo malorum, quæ Deus infligit peccatoribus. Quia inimicitia non specificatur formaliter ex magnitudine malorum, quæ intenduntur, sed ex qualitate finis, qui illis præfigitur, vt patet ex ratione, & pluribus exemplis superiùs propositis. Finis autem à Deo intentus in punitione peccatorum quàm longissimè distat à fine proprio inimicitiæ, vt indidem apparet clarè.

Ad 4. Vult quidem Deus, vt pœnæ peccatorum inferant molestiam peccatoribus; sed non sistit in hoc eorum malo, quin progrediatur vlteriùs ad bonum eorundem per emendationem, vel per ordinationem ad bonum vniuersi, cuius illi sunt partes. Vnde tametsi peccatores displiceant Deo propriè, & sine metaphora, non tamen displicent displicentia excludente prouidentiam Paternam, vel certè absolutè misericordem circa ipsos modo dicto. Iam quod odium inimicitiæ non excludat intentionem omnis absolutè boni resultantis ex malo inimici, verissimum est; sed non est verum, nullius boni intentione tolli rationem inimicitiæ. Tollitur enim intentione boni, vel respectu patientis, vel respectu communitatis cum exclusione boni particularis spectantis ad auctorem odij reponentis suam felicitatem in infelicitate odio habiti, & volentis compensare impensis eius malum, seu iacturam, quam passus fuerat idem auctor odij. Quod in Deum minimè cadit, siue comparetur cum peccatoribus adhuc emendabilibus; siue cum iis, qui non sunt ampliùs emendabiles.

Ad 5. Transeat, homines posse exercere per accidens odium inimicitiæ aduersus Deum, quia possunt credere, aut imaginari se posse nocere Deo, idque deinde intendere, aut operari ad modum id intendentium: atque hoc reputare lucrum proprium, & materiam propriæ delectationis, & felicitatis. Nihil autem simile cadit in Deum, vt patet ex dictis. Neque verò decet Deum, vt imitetur homines in modo operandi, maximè cùm stultissimè operantur, vt accidit in casu proposito. Paritas amicitiæ Dei erga amicos suos ideò non tenet, quia decet auctorem omnis boni sistere in intentione boni, eiusdemque communicatione. Dedecet verò, vt inferat aliquod malum, quin illud ordinet ad bonum, vel ipsius patientis secundum se, vel communitatis, cuius ille est pars. Quapropter testimonia, quæ præ se ferunt inimicitiam inter Deum, & homines, accipienda sunt de inimicitia latè sumpta respiciente qualitatem, & magnitudinem malorum, quæ inferuntur, non verò de inimicitia strictè tali dissidente ab odio abominationis, ratione finis peculiaris repugnantis Deo, & formaliter, & æquiualenter, vt dictum est. Quo ferè pacto interpretati sumus alibi testimonia, quæ loquuntur de iustitia, & iniustitia, seu iniquitate inter Deum, & homines.

QVÆSTIO XXV.

Vtrum Voluntas Diuina sit mensura bonitatis rerum omnium?

VIDETVR non esse iustam mensuram bonitatis rerum, sed posse esse maiorem eius amorem erga obiecta minùs bona, & minorem erga meliora, & æqualem erga inæqualia. 1. Quia omnis amor Diuinus est simpliciter infinitus, siquidem omnis amor Dei est ipse Deus; ergo non potest esse inæqualis pro inæqualitate obiectorum, sed necessariò est tantus circa minima, quantus est circa maxima, & circa se ipsum.

2. Actus liberi Diuini possunt esse diuersi absque vlla diuersitate ex parte rerum creatarum. Quia easdem omninò res creatas potest Deus diuersimodè ordinare, & velle. Non possunt autem esse diuersi actus liberi diuini, quin sint diuersimodè, atque inæqualiter æstimabiles à creaturis. Ergo stat inæqualitas amoris ex parte Dei, absque inæqualitate bonitatis ex parte creaturarum.

3. Potest Deus conferre Petro, & Francisco æqualia auxilia gratiæ efficacis; sed Petro cum ea præparatione voluntatis, vt conferret multò vberiora, si non præuiderentur efficacia, quæ conferuntur de facto; Francisco verò nequaquam. Potest item inefficacia vtrique conferre, sed Petro cum voluntate eadem conferendi, etsi præuiderentur efficacia, Francisco verò cum voluntate non conferendi, si præuiderentur efficacia. Patet autem in vtroque euentu dari inæqualitatem amoris diuini maioris respectu Petri, & minoris respectu Francisci, & tamen bona vtrique collata esse æqualia.

4. Potest Deus æqualem gloriæ gradum decernere duobus, sed alteri ante præuisa merita, alteri non nisi

nisi dependenter à meritis, vt absolutè præuisis. Vbi similiter apparet amor inæqualis, magisque gratiosus, & liberalis respectu vnius quàm respectu alterius: cum bonum vtriusque collatum sit prorsus æquale.

5. Quia Deus potest prædestinare Petrum, & Franciscum, conferendo vtrique æqualia bona viæ, & patriæ, sed cum hoc discrimine, vt Petrum prædestinet propter Franciscum, & dependenter à salute quatenùs obtinenda per Franciscum; non verò è conuerso. Vbi pariter cernitur inæqualitas amoris absque inæqualitate bonorum.

6. Deus potest condonare peccata per condonationem purè extrinsecam, & amare amicabiliter, quem priùs oderat, nulla facta mutatione intrinseca in ipso. Quæ est maxima inæqualitas amoris, termino manente eodem.

7. Dona gratiæ, & gloriæ, quæ collata sunt de facto Angelis, & hominibus propter merita Christi, & constituendo Christum finem, & caput illorum, potuerunt conferri independenter ab eisdem meritis; & quin Christus Dominus constitueretur finis, & caput Angelorum, & hominum tametsi præditus esset iisdem meritis, propter quæ de facto exaltatus est. Ergo amor Dei erga humanitatem Christi potuit esse minor, quàm sit de facto, nulla existente diminutione bonorum ex parte ipsius.

8. Qui nullum percipiunt fructum ex redemptione Christi Domini, & ex institutione Sacramentorum, magis diliguntur de facto à Deo, quàm dilecti fuissent, si eadem redemptio, & Sacramenta non fuissent destinata ad salutem eorum. Quæ tamen destinatio nullam ponit bonitatem in illis. Ergo maioritas amoris Diuini erga aliquem non habet adiunctam sibi necessariò maioritatem proportionalem boni collati.

Art. 1. Respondetur. Repugnat alicui inesse plus bonitatis, quam alteri, eundemque non magis amari à Deo; & similiter repugnat è conuerso, vnum plus amari à Deo, quam alium, & non inesse eidem plus bonitatis. Vnde inæqualitas vtriusuis ex his extremis est argumentum legitimum inæqualitatis eiusdem in altero extremo. Quia verò amor Diuinus est causa omnis bonitatis, quæ est in rebus creatis; atque causa est regula, & mensura eius, quod se tenet ex parte effectus; propterea amori Diuino conuenit esse regulam, & mensuram bonitatis, quæ est in rebus creatis; ita vt quælibet inæqualitas illius inducat necessariò proportionalem, & iustè sibi correspondentem huius inæqualitatem. Ita docent Magister in 3. dist. 32. D. Thomas in præsenti q. 20. ar. 3. & 4. & communiter interpretes ibidem, aduersus Montoyam, & nonnullos alios, quibus suffragatur Scotus. Fundamentum sententiæ communis est: Quia amare est velle bonum, vt habetur ex Philosopho 2. Rethoric. c. 4. initio, & ex D. Thoma in eadem q. art. 1. ad 3. & omnes communiter hoc ipsum intelligunt nomine amoris. Consequenter amare plus, vel minùs, est velle bonum maius, vel minùs. Impossibile autem est, vt Deus aliquid velit, & id non fiat, aut plus velit, & non fiat plus. Quia, *quæcunque voluit Dominus, fecit, & non est, qui possit resistere voluntati eius.* Impossibile igitur est, vt Deus aliquem amet, quin conferat illi bonum; vtque plus amet, quin conferat plus boni. Manifestius verò quodammodo est, non posse inesse alicui aliquam bonitatem, aut inesse plus bonitatis, quin Deus vtrumque voluerit. Quia Deus est auctor omnis boni, & nihil facere potest, nisi volendo, ac intendendo, quod facit. Ergo inæqualitas amoris Diuini necessario est coniuncta cum pari inæqualitate boni collati; similiterque est coniuncta, è conuerso inæqualitas bonitatis vnicuique conuenientis cum pari inæqualitate amoris Diuini erga ipsum.

Art. 2. Accedit, amorem diuinum non posse esse maiorem, vel minorem entitatiuè, & quoad intensionem, vel remissionem conuenientem sibi secundum se physicè. Quia omnis amor diuinus est identificatus cum Deo, & ratione eius identitatis est infinitus simpliciter, & in omni genere. Igitur amor diuinus solùm dici potest maior, vel minor ex parte obiecti melioris, vel minùs boni voliti per ipsum, ideóque causati infallibiliter per eundem. Ergo omnes inæqualiter amati à Deo sortiuntur necessariò parem inæqualitatem bonitatis redundantis ex amore. Quia verò repugnat, vt existat aliquod bonum, præterquam ex vi voluntatis, & amoris Diuini; patet esse mutuò conuertibilem essentialiter inæqualitatem horum extremorum. Accedit hinc rursus, discrimen inter amorem diuinum, & creatum; quod amor diuinus est causatiuus bonitatis in re amata; amor verò creatus, causatus a bonitate præexistente in re amata. Rursus amor diuinus dirigitur cognitione comprehensiua obiecti, circa quod versatur, & non potest aliter illud apprehendere, aut imaginari, quàm sit in se; amor verò creatus dirigitur sæpè cognitione falsa repræsentante obiectum aliter, ac est in se, & sæpius dirigitur cognitione imperfecta apprehendente vnum ad modum alterius valde reipsa diuersi. Vnde fit, vt amor creatus possit esse minor circa obiectum melius, & maior circa obiectum minùs bonum; tùm quia fieri potest, vt obiectum non exerceat vim motiuam, quantam absolutè exercere potest, propter impedimentum accidentale, quod multipliciter interiici potest; tum quia bonitas, quæ se tenet ex parte obiecti, non mouet, nisi quatenùs apparet in cognitione; atque cognitio creata potest itidem multipliciter esse inæqualis circa idem obiectum, & potest similiter esse inæqualis inæqualitate contraria inæqualitati obiectorum. At amor diuinus neutro ex capite potest euadere inæqualis circa obiecta æqualia, aut æqualis circa inæqualia, aut inæqualis inæqualitate contraria inæqualitati obiectorum, vt patet ex discrimine notato.

Art. 3. Eadem est ratio de inæqualitate odij diuini iustè similiter correspondenti inæqualitati malorum, quæ vnicuique infligit Deus. Quia odisse est similiter velle malum; & magis odisse, velle maius malum. Quapropter eadem ratione, qua amor diuinus est mensura bonitatis vnicuique inexistentis; Odium quoque diuinum, est mensura malorum, quæ quisque patitur, sine volens, siue nolens. Accedit minus de malo esse, plus de bono, vt dicit Philosophus. Vnde repugnat, vt vni insit minùs malum, quàm alteri, eidemque non insit plus boni, quàm alteri, similiterque, vt insit plus mali, & non insit minus boni. Cum ergo repugnet, ex dictis, inæqualitas bonitatis in rebus creatis, absque pari inæqualitate amoris ex parte Dei, repugnat vtique inæqualitas etiam malorum, absque pari inæqualitate amoris diuini, quandoquidem repugnat Deo pura omissio, ideóque necesse est, vt quidquid detrahit de amore, reponat de odio, & vice versa, vt quidquid detrahit de odio, reponat de amore. Inquam verò de odio propriè, vel impropriè tali iuxta dicta in q. præcedenti, quatenùs dicitur communiter odium, voluntas inflictiua mali, & detractiua boni. Quo pacto dicitur Deus odisse odio latè, & impropriè sumpto ea etiam, quibus absolutè negat existétiam. Qua negatione eò plus vnicuique nocet, seu quasi nocet, quò melius est, & eo minùs, quo minus bonum est. Quia melioribus negata existentia subtrahitur maius bonũ, & minus iis, quæ forent minùs bona. Accedit, nul-

lum, aut partem mali detrahi, aut infligi posse, nisi inducendo, aut detrahendo tantundem boni. Quia omne malum consistit in priuatione boni. Eadem ergo est mensura, & regula prima bonitatis, & malitiæ existentis in rebus. Ergo amor diuinus est mensura, & regula vtriusque in rebus creatis; nec fieri potest, amorem Diuinum esse inæqualem, quin insit eadem inæqualitas bonitatis, & malitiæ, seu imperfectionis, & defectus in rebus inæqualiter amatis.

Ad 1. Conceditur omnes actus, omnesque amores diuinos esse æquales inter se entitatiuè, & quoad bonitatem, & magnitudinem perfectionis sibi intrinsecam. Verùm hoc non tollit, quominùs possint esse inæquales affectiuè, & effectiuè. Quia possunt nihilominùs intendere, & inducere bona inæqualia in alia, atque alia, imò & in eadem subiecta. Atque in ista inæqualitate consistit formaliter inæqualitas affectiua, & effectiua amoris.

Ad 2. Repugnat Deum diuerso modo ordinare res creatas, & non existere eo ipso diuersitatem in rebus creatis intrinsecam eisdem. Quia ordo rerum creatarum terminans intentionem Diuinam est quid creatum. Vnde diuersitas in ordine, est diuersitas in re creata. Deinde vniuersaliter repugnat tam respectu Dei quàm respectu cuiusuis alterius, vt detur diuersitas in actibus intellectus, aut voluntatis, absque diuersitate ex parte obiecti intellecti, aut voliti. Quia neutri actus possunt esse diuersi, quatenùs reflectentes supra se, quin supponantur esse diuersi, quatenùs directè respiciunt obiectum à se distinctum. Qua de re dicetur fusiùs in qq. de actibus humanis. Denique repugnat specialiter diuersitas in actibus liberis diuinis absque diuersitate ex parte obiectorum creatorum. Quia Deo nulla inest libertas respectu suorum actuum, qui sunt summum, & purum bonum sicut ipse, nisi ratione rerum creatarum, quæ sunt bonum finitum, & coniunctum cum imperfectione. Nulla igitur suorum actuum diuersitas, aut ratio diuersitatis in ipsis potest displicere Deo, & omitti ab eodem, nisi ratione alicuius diuersitatis ex parte rerum creatarum capacis ex se, vt displiceat Deo, & omittatur ab eodem, ac proinde, vt liberè eligatur, aut reiiciatur. Quapropter exercita tota libertate Dei quoad res aliquas creatas secundum se, & quoad omnia prædicata tenentia se ex parte ipsarum, eo ipso exerçita necessariò erit tota libertas quoad omnem modum, quo versari potest circa illas. Aliàs superesset noua peculiaris libertas circa purum, & infinitum bonum secundum se præcisè. Quod repugnat, vt patet ex se, & ex paritate relationum Diuinarum ad intra, quæ sunt necessariò volitæ à Deo, tametsi nulla peculiari perfectione præditæ sint, vt infra dicetur; quia nihilominùs sunt realiter purum, & summum bonum, nullamque habent connexionem cum vlla imperfectione creata, seu cum perfectione participe imperfectionis.

Art. 1. Ad 3. Præparatio voluntatis in Deo ad faciendum sub conditione aliquid, quod non facit absolutè, non potest conuenire Deo ratione alicuius actus purè conditionati, nec ratione actus alicuius absoluti non operantis de facto absolutè aliquid peculiare. In primis ratione actus purè conditionati conuenire non potest: Quia nullus actus diuinæ voluntatis potest esse purè conditionatus circa aliquod obiectum. Actus enim purè conditionatus ita determinat circa conditionatum, vt nihil determinet circa conditionem, sed se habet purè omissiuè circa ipsam. Repugnat autem, vt Deus purè omissiuè se habeat circa aliquid, ita vt in neutram partem determinet aliquid de illo. Quidlibet namque necesse est esse, vel non esse; & impossibile est, vt neque sit, neque non sit aliquid, & similiter est impossibile, vt vel sit aliquid, nisi Deo volente, vt sit; vel non sit, nisi Deo nolente, vt sit. Sola namque voluntas diuina est causa, vt sint quæcunque sunt, solaque eius nolitio impedit, quominùs sint, quæcumque non sunt. Nec vacat dicere, per vnum actum determinare Deum de solo conditionato, & per alium actum deinde subsequentem de conditione. Quia repugnat in Deo multiplicitas virtualis intrinseca actuum liberorum sibi inuicem coëxistentium, vt superiùs dictum est, & ostendetur in quæstion. 27. Deinde coniunctio vtriusque eius actus induceret ex parte obiecti creati diuersitatem iustè correspondentem diuersitati eorundem actuum.

Art. 2. Iam verò eandem præparationem voluntatis conditionatè diuersam non posse fundari in actu aliquo absoluto absolutè existenti, quin idem actus velit, & inducat absolutè aliquam diuersitatem in obiecto, circa quod ita versatur, facilè apparet, & clarè. Quia omnes actus volentes idem prorsus obiectum, & secundum omnia eadem, disponunt necessariò eodem modo voluntatem ad alios euentus, & circumstantias; nec fieri potest, vt actus absoluti contineant in se diuersitatem conditionatam, nulla existente diuersitate absoluta; quandoquidem diuersitas conditionata proueniens ab actu absoluto fundatur in tendentia absoluta eiusdem actus circa suum obiectum, & repugnat, vt fundetur diuersitas in sola vniformitate secundum se. Ergo omnis diuersitas conditionata operationis Diuinæ circa aliquos duos fundatur in diuersitate aliqua absoluta circa eosdem, quoad bonum ipsis de facto collatum, aut quoad impedimenta superata de facto, vt conferretur, vel quoad aliquid simile dispariter executioni mandatum circa alterutrum illorum.

Art. 3. Obseruandum præterea est, intentionem pure conditionatam benefaciendi, aut specialiter benefaciendi alicui, tametsi in volente creato possit pertinere ad specialitatem amoris propriè talis; respectu tamen voluntatis diuinæ pertinere ad eandem minimè posse. Ratio differentiæ est: Quia fieri potest, vt homo intendens aliquid conditionatè, non habeat in potestate positionem conditionis, neque formaliter, neque æquiualenter; idcóque non proueniat, ex defectu amoris, sed ex defectu virium, quominus exequatur conditionatum simul cum conditione. At Deus nihil velle potest conditionatè sub conditione, quæ formaliter, vel æquiualenter non sit in eius potestate; idcóque solùm ex defectu amoris prouenire potest, quominùs ponat à parte rei conditionatum simul cum conditione. Qui enim vult conditionatè conferre beneficium, impediens simul existentiam conditionis sua libera voluntate, cum posset eam exequi absque vlla iactura propria, incommodo, aut impedimento, præterquam omninò voluntario, non propterea exercet vllum specialem amorem propriè talem, nec meretur specialem vllam gratitudinem; sed est eatenùs ridiculus, & exercet affectum omninò contemptibilem, & qualem nullus prudens erga se appeteret. Quia talis affectus tantundem boni impedit, atque intendit, immò idem prorsus, bonum intendit, & impedit; & vtrumque præstatur cum pari libertate, & indifferentia. Euentus itaque conditionati, obiectionis sunt inanes, nec habent locum, respectu Dei, amorisque Diuini.

Ad 4. Imò magis amat Deus, cui dat æqualem gloriæ gradum simul cum meritis, quam cui dat sine meritis. Quia merita ipsa sunt dona Dei specialia perfectiua

perfectiua merentis, ideóque, & seorsim æstimabilia per se; estque glorioſius cæteris paribus, habere aliquid ex meritis, quam habere sine meritis. Quia quod habetur ex meritis, habetur magis ab intrinseco, & nobilius est, habere aliquid per se ipsum, & ab intrisco, quàm habere purè ab alio, vt dicit Philosophus 8. phys.text. 39. Magis autem amat Deus, cui confert aliquid eo modo, quo melius ipsi est, & nobilius, ac glorioſius illud habere. Fallit in hoc obiicientes paritas ex creaturis. Homo enim conferens aliquid homini dependenter à meritis suis erga ipsum, non confert dependenter à donis suis, sed dependenter ab obsequiis alterius vtilibus respectu sui, & qui donat independenter à meritis, donat purè gratiosè, & liberaliter. Deus autem non ita facit. Quia merita nostra erga Deum sunt dona Dei nobis ab ipso collata, & licet suppositis meritis non conferat deinde purè liberaliter, & gratiosè præmium, totam nihilominus donationem facit ex pura gratia, & purè liberaliter. Quia merita, ratione quorum habemus ius ad præmium, donat purè liberaliter, & gratiosè absque vllo primitùs iure ex parte nostra ad habenda ipsa merita, ideóque ad habendum absolutè totum cumulum donationis. Igitur qui accipiunt eundem gloriæ gradum, alter cum meritis, alter sine meritis, eo ipso accipiunt bona inæqualia, & ex amore Dei tantundem inæquali; sed inæqualitate contraria illi inæqualitati, quam intendit obiectio.

Ad 5. Deum velle vnum, vel aliquid vnius, nempe Petri, propter alium, nempè Franciscum, non est præcisè velle vtrumque, & simul velle aliquem suum actum peculiarem, absque vlla differentia ex parte effectus; sed est velle, vt redundet aliqua peculiaris vtilitas ex vno in alium per veram, & physicam causalitatem, qua vnus inseruiat alteri. Sicut qui vult medicinam propter sanitatem, eo ipso vult, vt medicina sua causalitate inducat sanitatem; & eadem est ratio de cæteris eiusmodi. Ergo si Deus velit vitam æternam Petri propter vitam æternam Franciſci, eo ipso vult, vt Petrus aliqua sua causalitate, & cooperatione inseruiat vitæ æternæ Franciſci, & non è conuerso. Vnde si ista Franciſci prærogatiua non compensetur in Petro aliquo alio beneficio, seu causalitate benefica Dei, Franciscus erit magis dilectus à Deo, quia accipiet aliquod beneficium peculiare distinctum ab amore Dei erga se. Si verò fiat illa compensatio, vterque diligetur æqualiter, quia vterque percipiet æquale bonum, licet ex diuersa causa. Itaque Tò *propter* non est accipiendum tanquam aliquid inane, nihil significans distinctum ab actu ordinante vnum ad alium, sed tanquam significans ipsam etiam ordinationem passiuam, quæ est aliquid peculiare creatum.

Ad 6. Aduersus condonationem purè extrinsecam peccatorum habentur complura tota quæstione 8. de Iustificatione, & ex dictis in hac ipsa quæstione constat illam repugnare.

Ad 7. Repugnat, vt Christus constituatur finis, & caput Angelorum, & hominum, vtque Angelis, & hominibus conferantur dona gratiæ, & gloriæ depẽdenter ab eius meritis; & nulla nihilominùs existat res intrinsecè afficiens tàm humanitatem Christi, quàm Angelos, & homines, quæ extitura non foret in euentu oppositio. Quia Christum constitui finem, & caput, est Christo reuelari, atque intimari munus proprium capitis, & excellentiam propriam finis cæterorum, vt se gerere possit, vti decet eum, qui est finis, & caput cæterorum, & similiter necesse est, vt id ipsum reueletur Angelis, & hominibus, quia speciali modo se gerere debent erga finem, & caput suum. Id quod absque speciali notitia, & intimatione fieri non potest. Præterea, vt aliquid conferatur tanquam præmium, necesse est præcedere promissionem præmij, & huius promissionis cognitionem in merente, antequam mereatur, & similiter necesse est ad rationem præmij, vt qui illud accipit à Deo, cognoscat accepisse se dependenter à meritis, vt dicetur in qq. de Actibus Humanis. Perperam ergo supponit obiectio possibilitatem variationis in actibus Diuinis circa Christum, absque æquali variatione rerum distinctarum ab actibus Diuinis.

Ad 8. Merita Christi Domini, & Sacramenta ab eo instituta sunt causæ ex se sufficientes ad inducendam salutem cuiusuis hominis, & ordinata sunt à Deo in salutem omnium, & quorumlibet hominum indiscriminatim voluntate antecedenti Dei, vt exponitur q. 41. de Incarnatione. Bonum autem, & optabile est, non solùm habere in se effectum causæ vtilem sibi; sed etiam habere causam, qua reddatur proximè possibilis idem effectus. Quò enim quisque minùs distat à consequutione effectus; ideſt, quò magis habet dispositam causam sufficientem ad illum inducendum, eò magis gaudet, & plus in bonis habere censetur. Ergo exiſtentia meritorum Christi, & Sacramentorum est magis benefica respectu omnium etiam reproborum, quam vtriusque eius boni carentia, ideoque terminat maiorem dilectionem Dei erga omnes.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrum detur in Deo perfecta de rebus omnibus Prouidentia?

VIDETVR non dari. 1. Quia non decet infinitam Dei Maiestatem, vt immediatè per se ipsum curam gerat de rebus minimis, qualia sunt omnia creata respectu Dei, vtpote infinitè distantia, atque deficientia infinitè ab eius perfectione: maximè cùm eadem sint prorsus inutilia Deo, & nemo prudens curam, & prouidentiam suam impendat inutilibus, quæque nihil sua interſint. Crescit autem plurimùm ea indecentiæ, & imprudentiæ ratio in sollicitudine, & prouidentia circa bruta, aliaque illis inferiora. Qua de causa negatur Deo prouidentia de isto rerum genere 1. ad Corinth. 9. 10. *Nunquid de bobus cura est Deo? nam propter nos scripta sunt.* Et D. Hieronymus ad illud Habacuc 1. 14. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum*; negat Deo prouidentiam circa ea, quæ sunt homine inferiora. Ergo non datur in Deo prouidentia de vlla re creata; certe non datur vniuersalis de rebus omnibus etiam minimis, & irrationalibus; pro quibus sufficit prouidentia Angelorum, & hominum.

2. Plura monstra proueniunt in rerum natura, pluresque eueniunt casus fortuiti. Neutrum autem contingere posset, si daretur in Deo perfecta de rebus omnibus, & singulis prouidentia. Quia est contra rationem perfectæ prouidentiæ, non disponere vnicuique causæ ea, quibus indiget, vt consequatur perfectionem effectui suo connaturalem. Est enim contra perfectionem prouidentiæ, quòd aliquid ita disponatur, vt non possit pertingere ad finem suum; atque finis cuiusque causæ est effectus, ad quem eius virtus ordinatur, quique exigitur ab eadem cum omni perfectione connaturali. Multò verò magis

repugnat effectui, qui subest prouidentiæ perfectæ, vt eueniat fortuitò, cùm fortuitum directè opponatur prouiso, & ei, quod est ex præintentione, & præcognitione.

3. Dantur plura animantia, & plantæ, resque aliæ inanimatæ non modo prorsus inutiles, sed etiam nociuæ, veneno læthifero imbutæ, atque in perniciem, puramque molestiam, & vexationem generis humani destinatæ ex sua natura, quin vlla ex eisdem, aut vtilitas, aut delectatio percipi possit. Est autem contra perfectionem prouidentiæ, res huiusmodi non solùm inducere, vt inducit Deus, sed etiam purè permittere in republica, quæ subest prouidentiæ alicuius. Ergo respublica hæc vniuersa generis humani nulli perfectæ prouidentiæ vniuersali subest, ideoque nec Diuinæ, quæ si daretur, non posset non esse perfecta, ideóque exclusiua omnium inutilium, omniumque pure nocentium.

4. Si daretur in Deo perfecta de rebus omnibus, & singulis prouidentia, esset inutilis,, adeóque imprudens omnis hominum, & Angelorum prouidentia circa res pertinentes ad vtrosque. Si enim verum est, quòd *Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam*; verissimum vtique est, quod si Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam: Tam enim manifestum est, sufficere se sola prouidentiam Dei pro exitu intento à Deo, quàm est manifestum, prouidentiam creatam esse insufficientem se sola ad effectum, quem intendit. Cùm igitur dicendum non sit, omnem Angelorum, & hominum prouidentiam esse inutilem, ac superfluam; dicendum procul dubio est, non dari prouidentiam in Deo saltem circa ea, quæ commisit prouidentiæ Angelicæ, & humanæ. Quæ videlicet nec frustrare, & quasi loco monere posset prouidentiam Dei, quasi præditam virtute, & efficacitate superabili ab alio; nec iuuare, ac promouere, quasi insufficientem ex se ad scopum efficaciter intentum.

5. Magnum, & clarum aduersus prouidentiam Dei argumentum suggerit prospera non rarò impiorum, & aduersa piorum fortuna; atque illorum supra istos frequens dominatio, ac Tyrannis multipliciter, & indigne desæuiens in eosdem. Vnde illud inter alia exortum est: *Sapè mihi dubiam traxit sententia mentem, Curarent superi terras.* Quid enim perfectioni prouidentiæ vniuersalis apertiùs contradicere potest, quàm conditio, & status rerum, ac personarum contrarius meritis vniuscuiusque, & dignitati, euectis in supremum locum pessimis quibusque, & depressis optimis in miseriam, & calamitates summas? Contemnit ergo Deus res omnes mortaliũ, easque eisdem omninò permittit purus spectator eorum, quæ geruntur, sicut, qui adsunt theatro.

Art. 1. Resp. Prouidere ex pro, vel procul, & videre conflatum gignit prouidentiam significationis cognitionis rerum loco, vel tempore distantium à cognoscente; atque in hunc sensum accipiunt, & exponunt vocem istam Boetius l. 5. de consol. prosa 6. ante medium, Cicero l. 2. de Inuentione, & alij. Vsus tamen frequentior eiusdem vocis, & iam vnicus in scholis, est pro cognitione futurorum, eaque practica, & deducente vnumquodque in suum finem. Quæ proindè futurorum cura, dispositio, & ordo rectè nuncupatur.

Art. 2. Certum est ex fide, inesse Deo perfectam, sub ea notione, de rebus omnibus creatis prouidentiam, vt patet, inter alia, ex Sapientiæ 8. 1. *Attingit ergo* (sapientia Dei) *à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et c. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Et c. 12. 13. *Non est alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus.* Plura huiusmodi alia habentur apud Montoyam disput. 1. de Prouidentia in sect. 3. Ratio; præ cæteris, clara, & manifesta est. Quia omnia contingentia, qualia sunt omnia creata, propter perfectionem ipsorum coniunctam cum imperfectione, pendent essentialiter, tanquàm à causa prima, & vniuersali, ab ente necessario, quòd est solus Deus, vti quæst. 2. ostensum est. Inest autem Deo necessariò cognitio comprehensiua rerum omnium, necnon voluntas liberè quidem disponens de illis absolutè, sed necessariò eadem referens ad finem omnium optimum, ac præstantissimum, vt dictum est suprà quæst. 15. & 19. atque perfectio prouidentiæ constituitur adæquatè perfecta cognitione, & volitione operantis, & ordinantis media ad finem optimum. Inest ergo Deo prouidentia, eaque perfectissima, circa omnia, & singula creata.

Art. 3. Definiri autem potest prouidentia Dei ex Boëtio l. 4. de consol. prosa 6. D. Thoma q. 22. art. 1. & aliis communiter. *Ordo rerum creatarum in suos fines intra Deum existens.* Ordo iste includit aliqualiter in suo conceptu adæquato actum intellectus, & voluntatis. Quia vtrolibet deficiente deficeret ordo passiuus in rebus creatis; idemque procedit ab vtroque immediatè in suo genere. Verùm, quia vtriuslibet perfectio propria Dei est essentialiter connexa cum perfectione alterius, ideóque vtrolibet actu expresso formaliter, eo ipso subintelligitur, & implicitè consignificatur alter actus: propterea Sancti PP. frequenter referunt prouidentiam Dei, alij quidem ad solum actum intellectus, alij verò ad solum actum voluntatis; imò, & iidem in diuersis locis referunt ad vtrumque simul, & ad vtrumuis seorsim. Ad actum intellectus referunt, inter alios, Dionysius c. 2. de Diu. Nom. *Veritas prospicit cuncta prouidentia mirabili*; Anselmus in Elucidario versus medium. *Quid est prouidentia? ea cognitio, qua omnia futura præsciuit:* Boetius l. 4. de Cons. prosa 6. ante medium. *Prouidentia est illa ipsa Diuina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit.* Ad actum autem voluntatis referunt similiter inter alios, Damascenus in l. 2. fidei c. 29. *Prouidentia est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt.* Quam definitionem semel atque iterum assertam ibidem à Damasceno totidem verbis adstruit, & approbat Nemesius c. 43. de Facultatibus Animæ. Prosper ad caput 8. Gallorum: *Voluntatis suæ*, ait, *propositum in eis implet, quos præscitos prædestinauit.* Fulgentius l. 1. ad Monymum c. 7. *Vtrumque autem præ-destinando præparauit in illa incommutabili voluntate.*

Art. 4. Hinc suborta est controuersia inter Doctores scholasticos, quonam ex duobus dictis actibus formaliter, & primariò constituatur prouidentia Dei, subscribentibus soli actui voluntatis D. Bonauentura, Scoto, Suarez, Vasquez, & aliis, præferentibus verò solum actum intellectus D. Thoma dicto art. 1. in fine c. & ad 3. & plerisque aliis Theologis relatis, & subscriptis à Montoya disput. 3. de prouidentia sect. 3. Molina denique, Becano, & aliis vtrumque actum requirentibus ex æquo. Controuersiam istam censent esse purè de voce, vel certè omninò inutilem Alarcon, Arriaga, & nonnulli alij. Controuersia tamen est procul dubio realis, positis, vti ponuntur in præsenti, ex vnanimi omnium consensu, definitionibus rerum, & prædicatorum, de quibus disputatur, nullaque controuersia realis, de Deo, deque Diuinis prædicatis secundùm se, est contemptibilis, parumque momenti. Quia legitima eius determinatio manifestat semper aliquam specialem veritatem de Deo, in quo nihil est, quod parum interfit, ita esse, & ita cognosci, sicut est.

Art. 5. Dicendum primò est, prouidentiam Dei æquè,

æquè, eodemque modo constitui à parte rei non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè per actum intellectus, & voluntatis. Quia nullus actus intellectus Diuini distinguitur virtualiter intrinsecè ab omni actu Diuinæ voluntatis; & similiter est indistinctus virtualiter intrinsecè quilibet actus voluntatis Diuinæ ab aliquo actu intellectus Diuini, vt innotuit quæstione 22. articul. 6. Ergo prouidentia Dei, quocumque demum actu, siue intellectus, siue voluntatis intrinsecè constituatur, eo ipso constituta erit vtroque æquè immediatè, æquè principaliter, & in recto, quantum est ex parte obiecti, non solùm realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè. Dicendum rursus est, ratione nostra, seu quoad modum nostrum concipiendi relatè ad connotata creata (quæ est res minoris, & vix cuiusquam momenti) prouidentiam Dei formaliter, & in recto consistere potiùs in actu intellectus. Ratio est; quia actus voluntatis pertinens formaliter ad conceptum prouidentiæ præsupponit intentionem finis, & cognitionem directiuam voluntatis circa media; & si quidem ea cognitio sit perfectissima, omnisque expers imperfectionis, inducit necessariò totam perfectionem necessariam in actu voluntatis, vt media perfectè ordinentur ad finem. Quod autem est primum in vnoquoque, & continet in se cum totali determinatione cætera, quæ spectant ad ipsum, id verò, ex omnium consensu, habet rationem essentiæ, & conceptus primarij quidditatiui. Ergo formaliter, & ratione nostra, prouidentia Dei constituitur primariò, & in recto per solum actum intellectus, quatenùs præsupponentis intentionem determinatam cuiusque finis. Hæc doctrina explicabitur magis in re simili, cum agetur de constitutione formali beatitudinis, & ex solutione difficultatum ibidem adhibenda apparebit sufficienter, quid dicendum sit circa leuiuscula quædam, quæ hic solent opponi. Interim hoc vnum notare libet in præsenti, vltimam determinationem circa ea, quæ subsunt prouidentiæ Dei, spectare, ratione nostra ad solum actum voluntatis, si spectetur materia eiusdem prouidentiæ; non verò si spectetur formaliter perfectio ordinis mediorum ad finem, qui ordo pertinet ad conceptum formalem prouidentiæ; cum materia circa quam non spectet, nisi ad conceptum materialem, & identicum eiusdem. Essentia autem, & quidditas cuiusque rei est penes id, quod formaliter, non quod materialiter, & identicè se habet respectu eiusdem. Ergo actus intellectus, penes quem est vltima determinatio perfectionis in ordine mediorum ad finem, potiùs quàm actus voluntatis, penes quem est formaliter sola determinatio materiæ, circa quam, constituit formaliter, & primariò quidditatem prouidentiæ Dei.

Art. 6. Controuerti rursus solet: Quinam actus intellectus pertineant formaliter ad conceptum quidditatiuum, & ad perfectionem propriam, ac peculiarem prouidentiæ Dei. Nonnulli putant cum plerisque Thomistis, post Diuinam electionem efficacem mediorum ad vnumquemque finem, subsequi actum intellectus purè imperatiuum respondentem his vocibus; *Fac hoc*; atque in tali actu conceptum prouidentiæ diuinæ adæquatè consistere. Quod triplici de causa admitti non debet. Primum vniuersaliter, quia actus intellectus necessariò est affirmatio, vel negatio, vel simplex apprehensio, sicut actus voluntatis est volitio, & nolitio efficax, vel simplex complacentia, vel displicentia; & neutra potentia est capax ex suo conceptu cuiusquam alterius actus, vti pluribus ostensum est in libris de anima. Ergo nullus actus, qui sit purum imperium, potest esse actus intellectus. Secundò idem actus specialiter superfluit, ac repugnat in Deo. Quia ex dictis suprà volitio Dei efficax de aliquo effectu est indistincta virtualiter intrinsecè à scientia visionis de eodem effectu, & vtraque est rursus indistincta realiter à potentia executiua. Ergo vtraque per se ipsam immediatè, & innotescit potentiæ executiuæ, & eandem applicat, ac determinat ad opus sufficienter, absque alio imperio intellectus vlteriùs superaddito. Tertiò idem imperium propter mutuam inseparabilitatem à dicta volitione, & visione foret indistinctum ab vtraque virtualiter intrinsecè, iuxta dicta superius quæst. 22. art. 3. Repugnat igitur in Deo tale imperium intellectus seorsim superadditum obiectiuè; tametsi admittatur in creatis, & possibile, & necessarium ad executionem effectus exterioris præintenti.

Art. 7. Reiecto itaque eiusmodi imperio intellectus, triplex scientia interuenit in opere Diuinæ prouidentiæ. Scientia nimirum simplicis intelligentiæ, scientia media, & scientia visionis. Scientia visionis, quia est virtualiter intrinsecè indistincta à decreto efficaci Diuinæ voluntatis disponente de rebus creatis, vt sæpè dictum est, non potest habere rationem dirigentis Deum in electione, & ordinatione mediorum ad finem; ideóque est purè executiua, & causatiua eiusdem ordinis mediorum, passiuè sumpti, eodem prorsus modo, atque actus ipse efficax voluntatis, quantum est ex parte obiecti, & secluso modo nostro concipiendi, relatè ad connotata creata; Quæ sanè est intentio D. Thomæ docentis sæpè scientiam visionis Diuinæ esse causam rerum, quæ videntur à Deo per ipsam. Quia, quoad hoc, loquitur eodem prorsus modo de scientia visionis, & de voluntate Dei efficaci, & de vtraque, sicut de actione physica immanenti in Deo, & efficienti transeunter, vt apparet inter alia ex loco indicato suprà quæst. 21. sub finem.

Art. 8. Rationem igitur dirigentis electionem, & ordinationem mediorum ad finem habent scientia simplicis intelligentiæ, & scientia media. Quarum videlicet altera cognoscitur possibilitas eligibilium: qua non præcognita impossibile est sequi electionem; altera verò cognoscuntur euentus subsequuturi ad vnamquamque causam liberam creatam, ad quos tanquam ad fines proprios, ordinantur reliqua creata; quibus proinde non præcognitis impossibile similiter est, vt subsequatur electio, & ordinatio ad omnes fines, qui intenduntur per Diuinam prouidentiam. Quapropter diuina prouidentia constituitur formaliter, & adæquate obiectiuè, & reipsa, per decretum efficax Diuinum circa res creatas, & per scientiam visionis de eisdem; præsuppositiuè verò, & causaliter constituitur per scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam, & per amorem necessarium Dei erga se. Quia verò isti actus sunt eiusdem prorsus perfectionis in se intrinsecè, quia sunt perfecti tota perfectione Diuinitatis infinitè sibi communicata; fit planè, prouidentiam Dei esse summè, & infinitè perfectam, adeoque prorsus æqualem secundum se circa omnia summa, infima, media, iuxta illud Sapientiæ 6.8. *Æqualiter cura est illi de omnibus.* Datur igitur in Deo perfecta de rebus omnibus prouidentia.

Ad 1. Decet quàm maximè Deum beneficentia, & communicatio suæ bonitatis respectu aliorum extra se, non solùm eorum, quæ aliquo modo magna sunt, sed etiam eorum, quæ sunt minima. Dedeceret verò, vt benefaceret insipienter, & absque perfecta beneficiorum dispositione, & ordinatione tùm inter se, tùm respectu sui ipsius. Decet itaque Deum, vt exerceat prouidentiam circa res creatas, quatenùs decet, vt res efficiat, & sapienter, atque perfecto modo perficiat; in quo consistit ratio prouidentiæ. Præterea prouidentiam istam exercet Deus absque vlla defatigatione, & molestia, & absque vlla diuersio-

ne à cognitione, & amore sui; imò exercet ex vi suæ cognitionis, suique amoris erga se ipsum; idest, ex vi suæ beatitudinis, & delectationis infinitæ ex se ipso. Licet autem præstet hoc æqualiter respectu omnium, quod attinet ad perfectionem actus, quo prouidet, vt paulò prius dicebatur; nihilominùs quoad cumulum bonorum vnicuique prouisum, est specialis prouidentia Dei, & maior circa meliora. Est verò specialissima in hoc sensu circa substantias rationales, ad quas videlicet solas, vt ad finem cui adæquatum vtilitatis, ordinat reliqua omnia, quasi nihil faciens ea omnia secundum se, soliusque eatenùs rationalitatis curam gerens. In hoc itaque sensu accipiendum est, quod supponitur de bobus non esse curam Deo; non enim est cura de illis ratione sui, sed ratione hominis, in quo sistitur tanquam in fine vtilitatis dilecto à Deo amicabiliter, seu inchoatiuè, seu perfectè, & completè. Eodem respexit Hieronymus in loco, qui obiicitur. Solam namque intendit negare respectu rerum homine inferiorum specialitatem attentionis, curæ, & prouidentiæ modò prælatam, ex parte rerum, & bonorum, quæ prouidentur homini propter ipsum hominem tanquam finem vltimum vtilitatis. Quem sensum exponit diluciдè idem Hieronymus ad illud Ieremiæ 32. 27. *Numquid mihi difficile*, siue impossibile, *erit*, *aut abscondetur à me omne verbum?*

Ad 2. Nihil est monstrosum, aut fortuitum respectu Dei, licet contingat aliqua esse eiusmodi respectu causarum secundarum. Id enim est respectu cuiusuis causæ monstrosum, & respectu naturæ intellectualis fortuitum, quod non fuit præintentum à causa, nec præuisum à natura intellectuali. Nullus autem existit effectus propriè talis, qui non sit præintentus à Deo efficaciter, nullusque est euentus non præcognitus ab eodem. Quòd verò aliqua sint, aut monstrosa, aut fortuita, respectu causarum secundarum, nullum arguit defectum prouidentiæ in Deo, sed solùm in ipsis causis secundis arguit imperfectionem, aut prouidentiæ, aut virtutis actiuæ. Quia monstra proueniunt ex mutuo causarum secundarum sibi inuicem aduersantium occursu, quarum aliæ impediunt alias mutuò, quominùs vnaquæque nanciscatur effectum exigentiæ suæ secundum se consideratæ correspondentem adæquatè; atque expedit, propter multiplicem inde natam vtilitatem, vniuersum componi ex eiusmodi causis sibi inuicem contrariis. Casus fortuiti solùm connotant inscitiam, aut ignorantiam, ac oscitantiam creaturarum rationalium, quæ cum sint ex se defectuosæ, non debent vlla prouidentiæ de ipsis perfectione, ab omnibus eiusmodi defectibus liberari. Neque enim pertinet ad perfectionem Dei necessariam, vt non fundet possibilitatem creaturarum vsque adeò defectibilium; cum necesse potiùs sit, vt omnia, quæ inde dimanant, deficiscant multiplici defectu ab excellentia illa infinita; atque ita commonefaciant, puram bonitatem expertam omnis mali in solo vno omnium auctore esse quærendam.

Ad 3. Nimis latè patet ea difficultas, nec potest adæquatè, & minutim illi satisfieri, nisi expensis, & explicatis seorsim omnibus, & singulis, de quorum vtilitate respectu vniuersi aliqua dubitandi ratio occurrit. Quod vires humani ingenij, & limites præsentis instituti longè superat. Verùm neque obiectio satis efficaciter vrgeri potest humano discursu: Oporteret enim, vt obiiciens ostenderet positiuè de re aliqua, quòd nulli alteri rei certò congruenti respectu vniuersi, vtilis illa esse possit vtilitate præponderante nocumentis, quæ res eadem parit. Hoc autem vt fiat exactè, necesse est comprehendere perfectè res omnes existentes in hoc vniuerso, & fines à Deo intentos in productione cuiusque rei. Quod patet nulli mortali ingenio concessum esse. Stante itaque ista obiicientis, & respondentis æquali ignorantia, & defectuosa intelligentia, sufficit ad quietandum intellectum obseruare generaliter tot alias rerum myriades, & toties replicatas myriadum myriades optimè sibi inuicem congruentes, & perfectissimam auctoris sui prouidentiam ostendentes patentissimè. Ex illis enim prudens deriuatur coniectura, certumque iudicium reliquis quoque rebus vtilitates inesse nobis latentes, nec prouidentiam infinitis propemodum rebus summam, in paucis aliis defeciisse; sicut deficit habitudo mentis nostræ ad perfectam rerum minimarum discretionem, & cognitionem adæquatam, ad eum modum, quo oculi corporales non sufficiunt ad notanda, & discernenda minima corpuscula, vt athomos. Res nimirum, quas considerat obiectio, habent perfectionem, & vtilitatem comparabilem cum illustri aliarum rerum perfectione, & vtilitate; sicut comparatur magnitudo athomorum cum magnitudinibus aliis maioribus.

Ad 4. Necessaria quidem est prouidentia Dei immediata simul cum prouidentia humana, & Angelica; sicut necessaria est influentia vniuersalis physica Dei simul cum influentia, & actiuitate causarum secundarum. Sed non propterea superfluit prouidentia creata, sicut nec superfluit actiuitas, & influentia physica creata respectu finium, quos Deus intendit. Vtraque enim participatio Diuinæ perfectionis deseruit ad laudem, & gloriam Creatoris dum demonstrat maiorem in vtroque genere perfectionem primæ, & vniuersalis omnium causæ. Licet autem nulla vis creatæ prouidentiæ impedire possit effectum vllum efficaciter intentum per prouidentiam Diuinam, ex suppositione, quòd eum intendat de facto, impedire tamen potest, & sæpè impedit, quominùs Deus efficaciter intendat plures effectus circa ea, quæ subsunt arbitrio, & prouidentiæ creatæ, vti exponetur infra qu. 34. agendo de concordia libertatis creatæ cum Diuina. Quòd si prouidentia creata, seu defectus prouidentiæ creatæ proprius, potest eo modo impedire aliquos effectus, est vtique eadem ad eosdem aliqualiter necessaria, licet ad nullos effectus se sola sufficiat absque prouidentia, & cooperatione Diuina; quod solum conuincit testimonium illud obiectionis. Ratio verò eidem testimonio adiuncta solùm concludit, Deum non induxisse ex indigentia, & propter insufficientiam suam, prouidentiam, & actiuitatem creatam, non verò induxisse absque vlla absolutè vtilitate, & necessitate rerum ipsarum creatarum, quæ vtilitas, & necessitas sufficit, ne prouidentia, & actiuitas creata perperam, & inutiliter existat, neue penitùs superfluat.

Ad 5. Contraria illa piorum, & impiorum fors non probat vllum defectum prouidentiæ Dei, sed probat efficaciter immortalitatem animæ, cui videlicet liberatæ à corpore supereſt præparatum sibi à Deo æternum gloriæ, aut ignominiæ pondus, quo iustissimè compensentur actus, & boni, & mali viatorum, hiatusque fortunæ temporalis non modò non sectantis, sed insectantis sæpè virtutem, & probitatem, æternitate complanentur. Nempè exercendæ virtuti potiùs, quàm compensandæ, supellex rerum istarum sensibilium parata est, & humanæ industriæ seu iustæ, seu iniustæ permissa, sicut & artium, scientiarumque naturalium acquisitio. Quod rectitudini prouidentiæ Dei nequaquam obstat; vtpote habentis apud se reposita iusta præmia, & supplicia eorum, quæ, seu prosperi, seu improsperi gesserint circa istam virtuti, & vitio expositam materiam.

QVÆ

QVÆSTIO XXVII.

Vtrum prouidentia Dei sit formaliter vniuersalis circa singula creata?

VIDETVR non esse necessariò vniuersalem formaliter circa singula, sed posse de singulis statuere Deum per singula seorsim decreta virtualiter intrinsecè inter se distincta. 1. Quia singulæ res creatæ habent suam peculiarem vnaquæque bonitatem, & amabilitatem, nec non imperfectionem, & contemptibilitatem. Ergo vnaquælibet est amabilis, & contemptibilis à Deo seorsim per decretum minimè comparatiuum eiusdem cum cæteris rebus omnibus. Id quod locum maximè habet respectu substantiarum rationalium quarum videlicet vnamquamque diligit Deus ratione sui, & tamquam finem vltimum creatum, atque immediatè subordinatum fini vltimo, qui est ipse Deus. Hinc enim fit, vnamquamque substantiam rationalem esse diligibilem seorsim à Deo, absque ordinatione eius positiua, vel negatiua ad aliquid aliud, præterquam ad ipsum Deum.

2. Ad vniuersalitatem obiectiuam, & ad perfectionem formalem prouidentiæ Dei, sufficit Deum liberè decernere, atque in alterutram partem determinare omnia possibilia decretis realiter inter se identificatis, & habentibus vnitatem realem; tametsi multiplicia sint virtualiter intrinsecè. Quia identitas realis non est minor identitas, aut minùs perfectiua mutuò suorum extremorum, quàm identitas virtualis intrinseca. Ergo ad vniuersalitatem absolute, & simpliciter perfectam, & summè perfectam, non est necessaria vniuersalitas formalis constituta per decretum virtualiter intrinsecè simplex circa omnia creata.

3. Libertas Dei est maior, & expeditior, si possit statuere circa res creatas, tùm de singulis seorsim, tùm de omnibus, aut aliquibus coniunctim, prout libuerit; sicut est liberior circa suas pecunias, qui potest donare, aut quomodolibet impendere illas, tùm coniunctim, tùm diuisim, quàm qui disponere nequit, nisi vnica vice de tota summa. Libertas autem Dei est summa, & prædita omni perfectione sui generis absolutè possibili. Ergo potest prouidere rebus creatis, vel singulis seorsim, vel omnibus aliquibus coniunctim, prout libuerit, neque vlla cogitur necessitate, vt vno impetu feratur in omnia, quin aliter ferri in illa possit.

4. Aliquæ res creatæ dependent ab aliis rebus creatis, tanquam à causis suis, tùm physicis, tùm moralibus; ideòque decernuntur à Deo extituræ, & executioni mandantur priores effectus dependenter à præuisione absoluta posteriorum effectuum. Nec enim fieri potest, vt vna res creata dependeat ab alia re creata, quin præuisio, & volitio efficax Dei de vno suo effectu dependeat à præuisione, & volitione sua efficaci de alio suo effectu. Quia ordo effectuum in se dependet ab ordine eorundem in causa vtrisque effectibus, prioribus, & posterioribus communi. Datur igitur in Deo multiplicitas, & ordo volitionum, & præuisionum virtualiter intrinsecè distinctarum.

Art. 1. Respondetur. Tametsi ex dictis suprà de constitutione, natura, & mutua habitudine actuum liberorum Dei, satis innotescat per se de indiuisione virtuali intrinseca ipsorum; cogimur nihilominùs, vt aliquid ea de re superaddamus propter nimiam in plerisque auctoribus modernis auiditatem multiplicandi sine fine actus liberos Diuinos priores, & posteriores inter se, & nectendi series signorum naturæ virtualiter in eisdem; atque inuoluendi potiùs, quàm illustrandi non pauca mysteria nostræ fidei, & documenta communia Sanctorum PP. eiusmodi partitione actuum, & signorum constituta, vt libet, vel prout expedit ad tuendum positum; quasi verò tales essent in se intrinsecè actus Diuini, modusque operandi Diuinus, quales sunt cogitationes nostræ, nosterque modus cognoscendi Diuina dependenter ab obiectis creatis, & per species proprias ipsorum. Quod vti superficie tenus pulchrum, & placidum est; ita intimiùs consideranti vanum prorsus est, nec traditur absque magno incommodo alienante animum à legitima, & supra res creatas infinitè eleuata apprehensione, & æstimatione Diuinorum. Quod ego præloquor, præter morem, pœnitentia tactus. Peccaui enim etiam ipse per plures lecturæ annos, vacua, & inani eiusmodi partitionum, & signorum suggestione, eaque, & me, & scholares meos implicui nonnihil cum iactura temporis, & cum existimatione illegitima de modo operandi Diuino.

Art. 2. Dicendum itaque est re maturiùs considerata prouidentiam Diuinam circa res creatas omnes, & singulas constitui adæquate vnico decreto non solùm realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè indiuisibili, omnemque multiplicitatem actuum Diuinæ prouidentiæ apparentem intellectui nostro fundari in reali multiplicitate, & varietate rerum creatarum, circa quas illud versatur, non verò in natura terminationis liberæ Diuinæ secundum se, & vt est in se intrinsecè; vtpotè incapacis plurium formalitatum sibi inuicem coëxistentium ita mutuò distinctarum, sicut distinguntur inter se Personalitates Diuinæ; & essentia Diuina; Paternitas, & Filiatio ex vna parte, & virtus spiratiua ex alia; ac demum terminationes ipsæ liberæ Dei, & prædicata eiusdem necessaria. Itaque decretum Diuinum; seu positiuum, seu negatiuum circa quamlibet rem creatam singularem est essentialiter, & indiuisim comparatiuum eiusdem cum omnibus, & singulis aliis rebus absolutè possibilibus, indiuisim determinans de collectione omnium per se ipsum, non minùs, aut aliter, quàm determinet per se ipsum de illa vna re singulari. In hanc sententiam inclinant præcipuè sacræ paginæ testimonia exprimentia perfectionem, & naturam prouidentiæ Dei. Illud in primis præ cæteris illustre productum in quæst. præced. ex libro Sapientiæ: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, efficaciter persuadet intentum. Inde enim fit, Deum nihil constituisse, nullaque de re quidquam determinasse, nisi mensurando, numerando, & ponderando omnia. Qui autem numerat aliquam collectionem, tum demum totam exhaurit, quando omnia, & singula eius indiuidua vnico, & indiuisibili actu attingit. Similiter ad rationem mensuræ, necessaria est comparatio indiuisim attingens ea, quorum magnitudo, & mutuus excessus explorantur per mensuram. Denique, quòd omnia in pondere constituta esse dicuntur, eandem veritatem insinuat haud obscurè. Ea namque, quorum pondera expenduntur, & contraponuntur mutuò, necesse est, vt simul atque indiuisim appendantur in statera. Omnia ergo constituit Deus per suam prouidentiam actu intrinsecè, & formaliter comparatiuo singulorum cum reliquis omnibus ad eum modum, quo diuisio, & compositio intellectus nostri fertur indiuisim ad subiectum, & prædicatum absque vlla intrinseca formalitatum diuersitate ex parte actus, tametsi extrema propositionis sint inter se realiter

realiter distincta. Augustinus lib. 4. de Genesi ad literam c. 3. observat duo circa hunc locum, Alterum est, quod omnia creata in numero constituta sint, (eademque est ratio de mensura, & pondere) illis connenire ratione actus, quo Deus existentiam illorum sanciuit. Alterum est, istam prouidentiæ Diuinæ commensurationem circa ea, quæ dantur de facto, subintelligendam esse circa quamlibet aliam rerum constitutionem absolutè possibilem. Quia prouidentia Diuina potuit habere aliam materiam, circa quam versaretur; aliud tamen meritum, & dignitatem laudis habere minimè potuit, nec enim fieri potuit, vt Deus esset minùs in se laudabilis, atque æstimabilis, quam iam est; quapropter titulus laudis, & perfectionis peculiaris attributus prouidentiæ existenti de facto non extrinsecè ex parte materiæ, sed ex modo intrinseco, quo circà eam versatur, in nullo alio rerum ordine deesse potuit. Necesse igitur est ex natura ipsa rei, vt quidquid prouidentia Diuina statuerit, statuat omnia mensurando, numerando, ponderando, atque adeò inuicem comparando, & indiuisim attingendo.

Art. 3. Eadem ponderatio æquè cadit in illud Ecclesiastici 1. 9. *Ipse creauit illam* (sapientiam) *in Spiritu Sancto & vidit, & dinumerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua.* Effusio ergo sapientiæ super omnia opera ideat, communicatio eius perfectionis, & ordinis respectu cuiusque, quæ in sapientia prælucebat, facta est dinumerante, & metiente Deo eadem omnia sua opera. Quod fieri non potest absque actu omnia inter se conferente, & attingente singula quæque relatè ad cœtera omnia. Quod ipsum clariùs quodammodo ponit ob oculos Sapientia genita prouerbiorum 8. 30. dicens: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Compositio enim non est operatio statuentis vnumquodque seorsim, sed conferentis vnumquoduis cum reliquis omnibus, & singulis, actu omnia complectente indiuisim. In ista singulorum cum reliquis omnibus compositione, & minimorum cum maximis, primorum cum vltimis, atque cum mediis comparatione, fundatur præclara laus prouidentiæ Diuinæ, quæ habetur Sapientiæ 8. 1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ideò enim Deus mirificè deuincit mutuò fortitudinem, & suauitatem, quia in vniuscuiusque rei productione, atque in suum finem directione spectat harmoniam, & consonantiam eius cum reliquis omnibus, & quia præmunit fortitudinem, seu infallibitatem, qua vnumquodque in finem sibi præstitutum deueniat, suaui dispositione, qua reliquis omnibus debito, ac congruo ordine inseritur.

Art. 4. Multus est Dionysius, tùm sæpè alias, tùm maximè c. 9. de Cœlesti Hierarchia, in commendanda vnitate, & vniuersalitate ista formali prouidentiæ Diuinæ circa singula. Aliquanto enim post medium capitis: *Vnus est*, ait, *omnium principium, vna prouidentia*, pauciisque interiectis subdit: *Vna quidem est de omnibus Altissimi prouidentia*; & ad finem capitis concludit: *Apertè, planeque docemus vnam esse ad omnia pertinentem prouidentiam.* Sermonem autem esse Dionysio de vnitate, non solùm reali, quamquam eam intendit præcipue, sed etiam de virtuali, qualis à nobis intenditur, tribus argumentis colligitur efficaciter: Primò, quia eandem statuit vnitatem prouidentiæ, atque principij. Principium autem rerum creatarum, vt distinctum ab actibus liberis prouidentiam constituentibus, nempè essentia, seu omnipotentia Dei, est formalitas virtualiter intrinsecè indiuisibilis, vt constat ex quæst. 4. Secundò, quia constituta vnitate reali principij, nemini obscura esse poterat vnitas realis prouidentiæ, vt in ea speciaLiter stabilienda tantopere distineretur tantus Doctor. Tertiò; quia c. 8. proximè præcedenti luculenter, & pulchrè docet, Deum decernere vniuscuiusque rei existentiam habito respectu ad omnes alias, & attenta eius dignitate respectu reliquarum, eademque electa formaliter, vt conducenti ad pulchritudinem vniuersi. Sub quibus rationibus patet, vnamquamque creaturam includere, in intentione, & præuisione sui, omnes alias, quæ existunt, & exclusionem cæterarum. Vnde post medium, capitis: *Iustitia Dei laudatur*, ait, *quod sua cuique pro dignitate tribuat; quòd modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, omnesque distinctiones, & ordines termino, qui verè æquissimus est vnicuique definiat.* Demum c. 7. prope finem vrget venustè, & efficaciter intentum nostrum, dum vniuersalitatem formalem artis Diuinæ exprimit in hunc modum: *Omnium est artifex, & semper omnia componit, estque causa indissolubilis cohærentiæ, & ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit; & vnam vniuersi conspirationem, concentumque pulcherrimè efficit.* In qua profectò sententia, pro confirmatione nostræ, soli desiderari possunt termini scolastici, qui tamen ineptè desiderantur, vbi res eadem sub diuersis verbis clarissimè sublucet.

Art. 5. Audiendus quoque est Augustinus c. 6. de Bono Viduitatis ad illud Geneseos 1. fine: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Vbi præmissis aliis in rem præsentem peridoneis, concludit sic: *Ideò fecit Deus omnia, & ecce valdè bona: non tantùm bona, sed etiam valdè bona, non ob aliud, nisi quia omnia.* Cùm ergo ratio, valdè boni, vnicuique competat ex coniunctione cum reliquis; habet Deum velle vnumquodque non secundum se seorsim, sed coniunctim cum reliquis: tùm quia ratio ista, valdè boni, descendit in quemuis effectum Diuinum ex prouidentia eius causatiua; tùm quia eandem rationem, valdè boni, intendit Deus necessariò in omni suo actu, & opere, vt pluribus, & auctoribus, & rationibus ostendit Montoya disput. 9. & 10. de Volunt. Dei, & à nobis licet paulò aliter explicabitur, & confirmabitur quæstione sequenti. Eadem hæc ponderatio congruit Nazianzeno dicenti Oratione 1. de Pascha te: *Vidit Deus vniuersi concretionem, & coagmentationem, laudabilem illam quidem ob singularum partium elegantiam; verùm laudabiliorem ob eam, quæ ex vniuersis extitit concinnitatem atque concordiam.* Apertiùs eidem suffragatur sententiæ S. Clemens Romanus l. 8. Recognit. pag. 4. Dicit enim de prouidentia Dei, quòd *generalis, & specialis partium simul hoc modo est quasi, &c.* Istum sanctor. PP. sensum promouet Capreolus variis Diu. Thomæ testimoniis, & rationibus in 3. distinct. 1. quæst. 1. art. 3. Distinctiùs tamen idem docent Okam in 1. distinct. 9. q. 3. & Gabriel in 3. distinct. 2. quæst. vnica dub. 3. & distin. 19. q. vnica ar. 2. conclus. 4. negantes omnem inter actus liberos Diuinos distinctionem, præterquam extrinsecam, & rationis penes connotata creata.

Art. 6. Ratio huius doctrinæ desumitur ex dictis supra de motiuo intellectus, & voluntatis Diuinæ. Dictum nimirum est, essentiam Diuinam, quæ secundum se, & secundum omnia prædicata absoluta, & necessaria, est expers omnis distinctionis virtualis intrinsecæ, esse motiuum adæquatum, & vniuersale vtriusque, quoad omnes actus intelligendi, & volendi; atque omnia creata esse obiecta purè materialia in ratione motiui, solùmque terminatiua formaliter. Qui autem fertur in plura, siue per intellectum, siue per voluntatem sub vnico motiuo indiuisibili illis omnibus communi, & ad eadem omnia indiuisim vniuersaliter mouēti, necesse est, vt ad illa omnia simul

atque

atque indiuisim feratur actu nó minùs, aut aliter vno & indiuisibili, atque est vnum, & indiuisibile ipsum motiuum. Nempe obiectum purè materiale nullam prorsus causalitatem exercet circa actum, quem terminat, nullumque proinde prædicatum inducit in illum vi sua. Ergo neque distinctionem, & ordinem, aut vllam alicuius generis multiplicitatem inducit vi sua præcisè. At neque motiuum ex se, & in se, tùm realiter, tùm virtualiter omninò, & perfectè simplex, illam inducere valet in actu non minùs capaci eiusdem vniuersalitatis, & simplicitatis ex conceptu suo, & ex magnitudine suæ perfectionis, vti profectò est capax omnis actus Diuinus, vtpotè identificatus cum Diuinitate, ideóque habens tantam perfectionem, quantam habet Diuinitas, & tantundem illam habens, quantùm habet ipsa Diuinitas; ita vt non minùs perficiatur per illam, quàm perficitur ipsa Diuinitas. Nulla igitur est causa, vnde proueniat vlla distinctio, seu realis, seu virtualis intrinseca in actibus liberis Diuinis inuicem compossibilibus ex parte obiecti materialis; atque ideò nulli duo actus liberi Dei virtualiter intrinsecè distincti sibi inuicem coëxistere possunt, sed vnus quilibet actualiter existens, seu ex suppositione, quòd existat, necessariò fertur indiuisim in omnia, & singula contingentia; sicut volitio Dei necessaria fertur simul, atque indiuisim, absque vlla multiplicitate virtuali intrinseca, ad omnia absolutè necessaria.

Art. 7. Accedit omnia creata, quoad omnia sua prædicata absoluta, & relatiua, & quoad omnes combinabilitates ipsorum innotescere Deo perfectè, & comprehensiuè, antequam quidquam liberè determinet circa illa; atque ideò proponi Deo simul cum eligibilitate absoluta cuiusque rei creatæ eligibilitatem comparatiuam, & relatiuam eiusdem respectu omnium, & singulorum aliorum absolutè possibilium. Ergo non solùm possibile est, vt Deus simul atque indiuisim feratur ad omnia, & singula absolutè & comparatiuè sub omni comparatione, & relatione absolutè possibili; sed etiam necesse est, vt ita, & non aliter feratur ad illa. Patet consequentia. Quia sicut necesse est, vt existente, pro priori naturæ, indifferentia voluntatis proximè electiua circa aliquid, sequatur pro posteriori electio, & determinatio ad alterutram partem: ita necesse est, vt sequatur electio, & determinatio secundum omnem rationem, secundum quam propositum fuerit obiectum indifferenter. Ergo cui simul proponitur obiectum per intellectum, quoad conceptum omnem relatiuum, & comparatiuum cum reliquis omnibus, & singulis, eo ipso imposita erit necessitas eligendi, vel reiiciendi vnamquamque rem non solùm absolutè, & secundum se, sed etiam comparatiuè, & relatiuè, per electionem determinatiuam indiuisim coniunctionis, aut separationis inter tale obiectum, & inter omnia alia, & singula, tam absoluta, quàm modalia, cum quibus coniungi, & à quibus separari absolutè potest.

Art. 8. Accedit rursus, artificem (quod exemplum suggerebat Dionysius supra respectu Dei) non prudenter, & perfectè operari, si determinet seorsim, secundum se de vna aliqua parte sui operis, quin simul circumspiciat, & complectatur animo reliquas omnes partes, earumque inter se, & cum illa vna cohærentiam, & consonantiam perfectè congruentem. Si enim pictor determinet de magnitudine, & loco oculi, vel manus; quin simul determinet de magnitudine proportionali cæterarum partium, earumque situatione, & situabilitate in tela operi subiecta: haud quaquam satisfecerit perfectioni artis. Eadem est ratio de architecto determinante seorsim de porta, aut fenestris, aut scalis, aut de aliqua alia parte domus, deque earum magnitudine, nihil interim determinando de reliquis partibus, & de omni mutua inter se correspondentia. Eadem quoque est de belli Duce, & musicæ præfecto ratio, si vel ille centuriam aliquam in colle, vel in planitie collocet cum talibus determinatè armis, & instructione, vel iste notas tales tradat vni musico; quin cogitent, ac simul determinent de reliquis omnibus partibus exercitus, & chori. Cùm ergo Deus sit supremus artifex, & gubernator totius rerum vniuersitatis, ad quem spectat dispositio, & ordo vniuscuiusque rei relatè ad omnia alia, & singula absolutè possibilia: vitare non poterit vitium imperfectæ, & dissonantis prouidentiæ, si vno aliquo suo actu determinet circa aliquid creatum, & interim differat determinationem circa reliqua faciendam per alium, vel alios deinde actus. Quod quidem quiuis facilè, & clarè percipiet, si cogitet Deum determinantem per vnum suum decretum de producendo oculo, ore, vel manu, vel aliqua alia parte corporis humani, quin per idem decretum determinet quidquam de reliquis partibus eiusdem corporis. Spectat autem ad Deum cohærentia, & ordo omnium partium totius vniuersi per omnes differentias temporum, & locorum, non minùs, quàm ordo, & cohærentia partium; quibus cõstat vnumquodque compositum naturale. Tam ergo dissonum, & chimæricum est, atque repugnans perfectioni Diuinæ prouidentiæ, vt non determinet vnico actu virtualiter intrinsecè indiuisibili de omnibus, & singulis partibus totius rerum absolutè possibilium vniuersitatis, quàm est chimæricum, vt pluribus decretis virtualiter intrinsecè distinctis feratur in singulas seorsim partes vnius conpositi naturalis.

Art. 9. Accedit denique Deum neque posse habere plures actus liberos virtualiter intrinsecè distinctos purè concomitantes, seu quorum neuter sit prior, aut posterior natura virtualiter intrinsecè, quam alius; neque inuicem ordinatos, cum causalitate virtuali intrinseca aliorum in alios. Repugnant enim in primis actus Diuini purè concomitantes mutuò: tum quia indè fieret, dari in Deo aliquid, quasi fortuito, & à casu respectu ipsius Dei, nempè coëxistentiam eorum actuum; quam videlicet per neutrum illorum formaliter vellet, & eligeret; tum quia quilibet actus liber Diuinus est tam perfectus, quàm perfectus est actus necessarius Dei circa se, cùm vterque sit perfectus tota perfectione Diuinitatis, eaque tantundem vtrique communicata; ideóque sicut actus necessarius Dei, ratione suæ perfectionis, nullam indifferentiam habere potest respectu cuiusquam, aut actus, aut obiecti, præterquam actiuam, & electiuam; ita actus quilibet liber Dei solam posset habere indifferentiam actiuam, & electiuam respectu cuiusuis alterius actus, & obiecti; qualis tamen esse non posset, vt patet, respectu actus purè concomitantis. Quæ ratio (vt hoc quoque obiter notem) conuincit, scientiam mediam adæquatè sumptam esse directiuam, & virtualiter intrinsecè causatiuam omnis liberæ determinationis Diuinæ, circa omnia, & quælibet obiecta creata. Quia scientia media adæquatè sumpta est indifferens ex se ad existentiam, & non existentiam absolutam omnium, & quarumlibet rerum creatarum compossibilium secum, atque ad omnem liberam determinationem Diuinam, circa ipsas, & non potest esse indifferens indifferentia purè passiua, seu negatiua, sed sola indifferentia actiua, & electiua, ob rationem modò datam.

Art. 10. Venio iam ad alteram partem de distinctione actuum cum ordine prioris, & posterioris, & ostendo illum repugnare. Et quidem actus natura prior non poterit imperare, ac inducere omninò determinatè actum natura posteriorem, vt liquet ex dictis quæst. 22. præsertim art. 7. Sed neque disiunctiuus,

ctiuus, & indeterminatus esse potest vllus actus liber Diuinus. Quia modus tendendi disiunctiuus circa media, præsupposita intentione efficaci finis, est proprius nondum habentis cognitionem perfectam mediorum, ideòque nutabundi, quod cui præferat. Quod in Deum cadere non potest, vtpote præhabentem scientiam comprehensiuam omnium rerum possibilium, nec non euentuum omnium contingenter futurorum dependenter à qualibet causa, si ponatur à parte rei. Hæc enim omnia comprehenduntur perfectè à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, cuius antecessio ante omnes actus liberos Diuinos, est in confesso apud omnes; & per scientiam mediam, quæ etiam ipsa eosdem omnes actus antecedit, vti nuper conclusum est ex communi consensu auctorum, qui tuentur eius existentiam in Deo. Quid igitur expectet Deus pro capessendo vltimo consilio, & qua vtilitate, aut quo decentiæ genere pedetentim procedat, priùs disiunctiuè, deinde determinatè de iisdem rebus priùs, & posteriùs æquè benè sibi notis, ac præsentibus determinans? Profectò hic modus agendi non modò Deum non decet, verùm nec decet hominem bene peritum mediorum ante primam electionem disiunctiuam. Censeretur enim ineptus, qui volens iter agere, & præditus notitia perfecta duorum equorum, qui sibi offeruntur, priùs diceret: Volo alterum ex his duobus equis; & deinde absque vlla noua notitia: Volo hunc determinatè. Quid ni igitur id ipsum sit ineptissimum respectu Dei? respectu cuius militat alia insuper ratio specialis ineptitudinis; nempè, ne partialiter quidem moueri posse ad electionem priorem, vel posteriorem, bonitate obiectorum, inter quæ versatur electio, & vltima determinatio. Excludenda igitur omninò est à Deo omnis eiusmodi distinctio, & series diuersorum actuum liberorum; vtpotè propria, tum intellectus minimè comprehensiui omnium, tùm voluntatis capacis multiplicis motiui, ac demum propria eligentis, commodius determinantis, primùm confusè, & vagè, deinde distinctè, ac determinatè, & vel operantis prudenter in eum modum, propter defectum perfectæ cognitionis in principio, vel ineptientis, ex assuetudine operandi cum eiusmodi imperfectione cognitionis.

Ad 1. Res creatæ, siue rationales, siue irrationales habent suam vnaquæque bonitatem, & amabilitatem peculiarem purè terminatiuam; motiuam tamen nullam habent peculiarem respectu Dei, vt dictum est supra; sed tota vis motiua præexistit in essentia Dei simul, atque indiuisim mouentis ad omnia, & ad mutuum omnium ordinem inter se. Quod est proprium motiui essentialiter vniuersalis, vt mouentis agens itidem vniuersale essentialiter. Nulla igitur est ratio multiplicandi actus Diuinos ex multiplicitate eligibilium creatorum, & non eligibilium, respectu Dei, nisi cum ordine simul, & cohærentia vniuersali omnium inter se, & respectu sui ipsius.

Ad 2. Prioritas virtualis intrinseca inter duo prædicata Diuina solùm dissidet à prioritate reali per indistinctionem realem extremorum, inter quæ versatur. Vnde vnicuilibet prædicato Diuino virtualiter intrinsecè priori, respectu alterius prædicati Diuini, tribuenda est ex se omnis ea perfectio in suo genere, quæ necessariò tribuenda esset eidem, si distingueretur realiter ab omni alio prædicato Diuino. Aliter enim non erit capax, quod identificetur realiter cum reliquis prædicatis Diuinis. Qua de causa à nemine admittuntur in Deo duæ cognitiones virtualiter intrinsecè inter se distinctæ, circa idem obiectum creatum, vel etiam increatum, quarum alterutra inadæquatè, & præcisiuè illud cognoscat, & compleatur in ratione perfectæ comprehensionis per alteram. Eadem igitur de causa admittendus nequaquam est in Deo aliquis actus liber, qui per se ipsum præcisè sit inadæquata solùm prouidentia, circa aliquam, vel aliquas res creatas, earumque referibilitatem, & ordinem inter se, & ad alias omnes res absolutè possibiles, quique deinde compleatur per alium actum virtualiter intrinsecè distinctum, in ratione adæquatæ, & vniuersalis prouidentiæ. Quia hinc fieret, vtrumque actum esse imperfectum ex se, ideòque incapacem identitatis realis cum Diuinitate, & inter se. Malè itaque supponitur in obiectione, tales actus inadæquatos circa creata, esse identificabiles inter se, & cum Deo; atque posita nihilominùs mutua eorum identitate reali, sequitur quodlibet, nempè esse perfectos, & imperfectos. Quia suppositio est impossibilis, & ex impossibili sequitur quodlibet. Consideretur vltra fundamenta superius posita, exemplum cognitionum inadæquatarum modò propositum.

Ad 3. Libertas Dei ita adstruitur amplissima, vt tamen negetur illi libertas peccandi. Similiter ergò concedenda eidem est eadem amplitudo libertatis, ita vt simul negetur libertas ineptiendi per actus priùs disiunctiuos, deinde & terminatos, aut per actus disparatos, & purè concomitanter se habentes; vtpotè repugnans operanti ex solo motiuo essentialiter vniuersali, & ex præcognitione essentialiter comprehensiua omnium quoad omnia. Deindè Deo non conuenit libertas ad suos actus directè ratione ipsorum secundum se, cum sint summum, & purum bonum: sed solum ratione rerum creatarum, vti supra notatum fuit in hanc eandem rem. Perfectissimè autem, & cum tota amplitudine absolutè possibili exercet Deus suam libertatem per vnicum simplicissimum actum, circa res omnes creatas secundum se. Quia determinat de illis omnibus, & singulis quoad omnia, quæ ipsis conueniunt, tùm absolutè, tùm relativè.

Ad 4. Dependentia vnius rei creatæ ab alia re creata est aliquid creatum incipiens in tempore, & quod existere non possit, antequam existat ea res, quæ dependet, & ea, à qua dependet. Quapropter ea dependentia, & ordo causalitatis inter res creatas non potest constitui intrinsecè per actus Diuinos, aut per ordinem intrinsecum eorum inter se, vtpotè essentialiter æternos, & quibus repugnat inceptio in tempore. Sufficit ergo, vt Deus per actum, & realiter, & virtualiter intrinsecè indiuisibilem, velit illud prædicatum creatum, per quod intrinsecè constituitur dependentia vnius rei creatæ ab alia re creata. Nec enim necesse est, vt Deo volente ignem ab igne procedere, dentur propterea in ipso duo actus, quorum alius ab alio procedat virtualiter intrinsecè, sed potest velle per simplicem tendentiam vtrumque ignem, & alterius ab altero processionem. Similis est ratio de processione, & causalitate morali inter meritum, & præmium; de qua tamen dicetur plusculum infrà opportunè q. 31. & iam aliquid superiùs insinuatum est. Itaque ordo creatus inter res creatas solùm conuincit ordinem rationis extrinsecum per connotata creata inter actus Diuinos, similem ordini rationis, qui simili cum fundamento constitutus est inter prædicata absoluta, & necessaria quæst. 5. & 6. Verùm ordo iste rationis purè extrinsecus Diuinus propterea à me pensi non habetur, tametsi nonnullis magna sit inde dicendi materia; quia nihil deseruit eius examen, aut ad legitimam, veramque intelligentiam actuum Diuinorum, & Diuinæ prouidentiæ, vt sunt in se, aut ad verificandas, vel falsificandas propositiones obiectiuè causales de iisdem actibus, vel de rebus creatis inter se collatis. Non est nihilominùs penitùs contemnenda doctrina de eodem ordine rationis purè extrinseco, quia confert plurimum,

plurimum, vt Diuina commodè apprehendamus, & exponamus ordinatè modo humano, & ad instar rerum humanarum; sed quidquid in hunc scopum desiderari poterit in præsenti, abundè suppeditatum est quæst. illa 5. & 6. Vbi etiam adhibita est præcautio, ne modus noster concipiendi Diuina dependenter à rebus creatis obrepat, & transferatur, vti accidit non paucis, nec in paucis, ad ipsa prædicata Diuina per confusionem modi concipiendi cum modo intrinseco essendi rerum. Huic humano concipiendi modo attemperat se frequenter circa actus Diuinos sacra pagina, vt apparet ex. gr. ex Ps. 102. 7. *Notas fecit vias suas Moysi; Filiis Israel voluntates suas,* Actorum 13. 22. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Apocal. 20. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris* (in æterna Dei dispositione) *secundum opera ipsorum.* In quibus, aliisque similibus sola continetur prædicta distinctio rationis purè extrinseca, fundata in multiplicitate obiectorum creatorum, & independentia nostri intellectus ab illis, quoad intelligentiam, & considerationem prouidentiæ, voluntatisque Diuinæ ad instar nostræ.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum in Deo detur prouidentia inductiua legum naturæ, iisdemque deuincta.

VIDETVR non dari. 1. Quia de conceptu legis est, vt inducat rationem debiti. Nihil autem datur in natura, quod inducat in Deum rationem debiti respectu cuiusquam rei conferendæ, vt habetur ex Augustino l. 3. de Libero Arbitrio c. 15. fine, vbi ait; *Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuitò præstat.* Nullas ergò leges continet in se natura, aut inducit in illam prouidentia Diuina, quibus eadem prouidentia deuinciatur, ac determinetur ad vnum aliquem effectum potiùs quam ad oppositum.

2. Lex naturaliter, ac essentialiter indita rebus omnibus creatis hæc est, vt pareant in omnibus, & quoad omnia voluntati Diuinæ, quidquid demum, & quomodolibet ipsa statuerit. Quî enim fieri potest, vt effectus polleat vi adstringendi causam suam, & minuendi, ac impediendi plenissimam illam libertatis indifferentiam, qua factus est? Et qua sapientia operatus fuisset Deus; si ea fecisset, quæ suæ voluntati, & potentiæ leges darent, & non potiùs eas acceptarent, & ineluctabiliter exequerentur, quæ sibi impositæ essent ab auctore suo? Quod argumentum premit Augustinus l. 26. contra Faustum c. 3. dicens *Deus creator, conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Nullas igitur leges determinatas inducit prouidentia Dei in hanc rerum vniuersitatem, quibus deinde ipsa etiam Dei prouidentia, & voluntas teneatur, atque ligetur.

3. Antequam quidquam Deus conderet, nihil creaturis vlla lege debebat; sed omnia fecit cum plena, & perfecta libertatis in vtramque partem indifferentia, vt patet ex quæst. 20. Nec enim erat, cui aliquid deberetur, antequam quidquam factum esset, vt rectè pronuntiat Augustinus c. illo 15. de Libero Arbitrio, & ex eo argumentatur D. Thomas 1. contra gent. c. 81. Ergo neque debet quidquam alicui Deus post productionem rerum creatarum. Patet consequentia. Quia, qui nihil cuiquam debet, non potest reddi debitor vlterioris beneficentiæ per solam alicuius doni collationem purè liberalem. Aliàs liberalitas foret onerosa largitori munerum purè liberali; & accipiens absque vllo iure accipiendi, per solam acceptationem secundum se, etiam libertatis expertem subderet sibi donatorem iure contra ipsum acquisito, quo illum volentem nolentem traheret ad vberiorem largitionem. Quam vtriusque iniquissimam conditionem lumen rationis sponte sua auersatur. Ergo Deus neque ante omnem productionem creaturarum, neque post aliquas productas vllum debitum incurrit, aut subest alicui legi determinanti ipsum ad aliquid, vel primitùs faciendum, vel posteà superaddendum.

4. Deus potest vertere in nihilum totum hoc vniuersum eadem facilitate, & cum eadem plenitudine libertatis, qua potuit illud non condere, atque adeò leges, si quæ illi insunt, potest, quandocumque libuerit, penitùs abolere, vt liquet ex illo Sapientiæ 11. 23. *Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te Orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram*; hoc est, tam facilè totum vniuersum annihilare potest Deus, quam facilè voluitur statera in vtramuis partem leuissimo quouis impulsu, & quàm facilè exsiccatur ad radios solis, & vanescit in auras guttula roris. Qui autem tam facilè, & cum tanta indifferentia annihilare potest vniuersum, nullis profectò legibus in eo contentis subest vlla ex parte. Nulli namque iuri subest, aut legibus, qui fundamentum iuris, & legum, ipsumque ius, & leges sola sua voluntate abrogare, & tollere potest simul cum termino iuris, & legum, vt patet ex quæst. 16. de iustitia. Nullis ergo naturæ legibus subest prouidentia Dei.

5. Corpora Cœlestia, quæ sunt omnium præstantissima inter omnia irrationalia, nullam habent exigentiam determinatam, nullasque proinde leges continent in se, vt profint potiùs, quàm noceant rebus sublunaribus, & sibi inuicem. Quia nulla eiusmodi exigentia, aut lege intrinsecè determinantur, vt moueantur potiùs, & circumagantur, quam vt quiescant; aut vt velociter moueantur potiùs, quàm lente; ac demum, vt progrediantur potiùs, quam vt retrogrediantur: sed pendent cum totali indifferentia ex parte sui, à libera voluntate, & impulsu Angelorum mouentium, vel non mouentium, & mouentium sic, vel aliter pro libito, vt fert communis Philosophi, D. Thomæ, aliorumque opinio, inde vel maximè probantium necessitatem, & existentiam eorundem Angelorum. Ab eo autem motu pendent corpora sublunaria, quoad omnes suas actiones, & passiones. Ergo neque corpora sublunaria habent exigentiam vllam, aut legem sibi intrinsecam operandi, vel non operandi, & sic, vel aliter operandi; sed ad omnia indifferenter se habent. Ergo in tota natura saltem sensibili nihil est, quo, tanquam lege deuinciatur diuina prouidentia.

6. Leges determinatæ naturæ antecedentes vltimam determinationem liberam prouidentiæ Dei, neque aliquid creatum esse possunt, neque aliquid increatum. Non aliquid increatum; Quia omnia prædicata necessaria Dei sunt æquè indifferentia ex se ad existentiam, & non existentiam omnium, & quarumlibet rerum creatarum, vt dictum est quæst. 20. actus verò liber vnicus tantùm virtualiter intrinsecè indiuisibilis dari potest in Deo respectu vniuscuiusuis dispositionis vniuersalis rerum creatarum, vt dictum est in quæst. præcedenti; ac proinde fieri non potest, vt vnus actus liber Dei habeat rationem legis determinantis ad alium actum liberũ Dei. Nihil igitur intrinsecũ Deo est lex naturæ determinatiua

prouidentiæ Dei ad aliquid. Sed neque aliquid creatum potest eiusmodi legem constituere intrinsecè: tum quia inde fieret, Deum habere legem positam extra ipsum Deum, cui parere teneatur, quod est absurdum; tum quia non aliter excogitari potest aliquid creatum inducere necessariò existentiam alterius rei, quàm per appetitum innatum eiusdem; qui tamen appetitus nequit rectè dici lex, respectu Dei, quia Deus tam facilè contradicit appetitui innato entis creati, quàm facilè satisfacit eidem; vt patet in pluribus miraculis patratis à Deo contra talem appetitum, patratis verò tam facilè, quàm facilè operatus fuisset effectus connaturales incompossibiles cum effectibus miraculosis. Deus enim nihil difficulter facere potest, cum sit omnipotens. Deinde quod dicitur appetitus innatus, est loquutio metaphorica, & oportet, vt redigatur ad proprietatem per aliquod aliud prædicatum. Quod tamen non apparet sufficiens pro re intenta.

Art. 1. Respondetur. Prouidentiam Dei ordinariam astringi legibus naturæ, nec illas prætergredi Deum posse, vt Auctorem naturalem, frequentissimum est apud Philosophos, & Theologos. Vnde communis hominum consensus fert, deberi à Deo, ex natura rei, igni calorem, aquæ frigus, causæ cuilibet creatæ concursum generalem necessarium ad effectum, cui producendo iam est proximè parata, quantum est ex se; atque posita quorumdam existentia, subsequi quædam alia necessitate naturali, & magis certam, tutiusque sperabilem esse existentiam, quàm non existentiam eorum, ex tali suppositione. Videndum itaque est, an communis ista persuasio generis humani, & frequens illa Philosophorum, ac Theologorum sententia nitatur etiam aliqua lege intrinseca rebus ipsis creatis, adstringente Deum ad euentus causis secundis connaturales, an verò nitatur sola libera voluntate Diuina existenti defacto; ita tamen, vt æquè benè dari in Deo potuerit opposita libera voluntas inuertens in omnibus, & quoad omnia ordinem causarum, & effectuum naturalium, qualis defacto datur. Alatcon, Aldrete, & nonnulli alij inclinant ad hoc secundum.

Art. 2. Dicendum tamen est cum communi Sanctorum PP. & Theologorum sententia apud Montoyam disput. 9. & 10. & de Volunt. Dei, dari in natura rerum creatarum legem quandam, & necessitatem ipsis intrinsecam, ac essentialem, vt plerumque saltem subsequantur ex causis secundis effectus ipsis connaturales, neque Deum esse liberum, vt facta qualibet suppositione rei creatæ, superinducat deinde quemlibet promiscuè effectum, idque vbilibet, & quandolibet, & semper, aut plerumque. Multus in primis est Augustinus in confirmanda, & exponenda ista veritate. Audiatur primùm lib. 9. de Genesi ad litteram c. 7. sub initium: *Omnis iste naturæ visitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas & spiritus vitæ, qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere; & elementa huius mundi corporei habent definitam vim, qualitatemque suam, quod vnumquodque valeat, vel non valeat, quid de quo fieri possit, vel non possit, &c.* Clarè autem innuit Augustinus leges istas non ita liberè, ac indifferenter latas esse à Prouidentia Dei, vt ipsa prouidentia penitùs absoluatur ab exigentiis intrinsecis rerum, easque possit penitus inuertere quomodolibet. Appellat enim eas leges suas proprias rerum naturalium, agnoscit fundatas in intrinseco earum appetitu, & commensuratas viribus, qualitatibusque mundi corporei. Apparet verò clariùs hæc aliquatenus necessaria attemperatio prouidentiæ Dei cum exigentiis intrinsecis rerum, ex ratione eius doctrinæ, quam post pauca subdit sic: *Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est, & hoc de vnaquaque re in suo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt posset.* Cùm ergo repugnet Deo potentia temeraria, & omnipotentia sapientiæ virtute destituta; & vtraque inferatur ab Augustino ex prouidentia penitùs aberranti ab exigentia intrinseca, & innato rerum appetitu, patet, ductum huius appetitus, & exigentiæ, necessitate aliqua obseruari à prouidentia Dei. Eandem aliarum cum aliis rebus connexionem, & inseparabilitatem mutuam subnixam adhæsioni ineuitabili prouidentiæ Diuinæ ad leges, exigentiasque naturæ, docet idem Augustinus lib. 2. Soliloq. cap. 12. propè finem. Sed ne hinc inde plura eius testimonia morosiùs dicerpam, legatur totus liber primus de ordine, necnon secundus vsque ad medium, vbi tamquam primum, ac indubitabile principium supponit, & multipliciter illustrat, atque confirmat necessitatem Dei ad rectum ordinem vniuersi, & ad distribuendum singulis bona eisdem proportionata.

Art. 3. Duo nihilominùs alia Augustini testimonia prætermitti non debent, quia sunt præ cæteris illustria, & rem ponunt ob oculos clarissimè. Alterum est ex dicto l. 1. de Ordine cap. 7. post medium, vbi licentius plaudente plurimùm Augustino, vrget Trigesium in hunc modum. *Si Deum iustum non esse respondeas, tu videris, quid agas, qui me dudum impietatis arguebas. Si autem, vt nobis traditur, nosque ipsius ordinis necessitate sentimus, iustus est Deus: sua cuique tribuendo, vtique iustus est.* Et post pauca: *Quidve præter ordinem reperiri potest, si Dei iustitia, bonorum, malorumque meritis sua cuique redduntur? Iustum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine concluditur.* Agnoscit itaque Augustinus in Deo iustitiam, ratione cuius disparia disparibus debeantur, & sua cuique reddantur. Quamquam autem ad præmia sola, atque supplicia deflexisse videatur; Disputatio tamen illi est de toto vniuersim rerum creatarum cumulo, & prætereà de præmiis ipsis, atque supplicis differit independenter à promissione, & pacto, sola ratione naturali, & præcisè ex natura ipsa rei; quo patet doctrinam à nobis intentam contineri in verbis relatis. Alterum testimonium habetur lib. de Quantitate Animæ c. 36. initio. *Deus igitur summus, & verus lege inuiolabili, & incorrupta, qua omne quod condidit, regit, subiicit animæ corpus, animam sibi, & sic omnia sibi, neque in vllo actu eam deserit, siue pœna, siue præmio. Id enim iudicauit esse pulcherrimum, vt esset, quidquid est, quo modo est, & ita naturæ gradibus ordinaretur, vt contemplantem vniuersitatem nulla offenderet ex vlla parte deformitas, omnisque animæ pœna, & omne præmium conferret semper aliquid proportioni iustæ pulchritudinis, dispositionique rerum omnium.* In quibus patet, legem, qua Deus regit omne, quod condidit, & quam numquam deserit, non esse decretum liberum: ne absurdè dicatur decretis liberis non deseri decreta libera. Quapropter ea lex est dictamen necessarium sapientiæ diuinæ, quod docetur inuiolabile, quatenus iudicat pulcherrimum, vt, quidquid est, sit, quo modo est; & quod si deteriùs esset, eo ipso nec naturæ gradibus idoneè ordinaretur, & contemplantem vniuersitatem iustè offenderet aliqua deformitas, nec seruaretur proportio iustæ, ideſt debitæ pulchritudinis. Ineſt ergo Deo dictamen necessarium, mutuis rerum proportionibus conforme, & quod infra, aut contra illas nihil permittat liberis decretis, & prouidentiæ diuinæ: Quæ proindè agnoscitur aliquo modo deuincta ex natura rei exigentiis, & mutuis proportionibus rerum, quas prætergredi, & penitùs inuertere nequaquam possit.

Art. 4. Subscribit Augustino pluribus locis D. Thomas.

mas. Clariora autem reliquis sunt, quæ sequuntur. In præsenti q. 21. art. 2. c. *Iustitia igitur Dei*, ait, *quæ constituit ordinem in rebus conformem sapientiæ suæ, quæ est lex eius, conuenienter veritas nominatur.* Lex autem non est, quæ omnia, vtcumque excogitabilia, æquè permittit, nec inducitur ordo in rebus propter conformitatem cum ratione sapientiæ Dei, si per eam æquè licet; vt res omnes deordinentur. Quæst. 23. de Verit. art. 2. c. *Secundum ordinem*, ait; *sapientia suæ disponit de rebus secundum earum conditionem, vt vnicuique tribuat secundum modum suum.* Et ad 4. *Secundum ordinem sapientiæ suæ fertur in aliquid secundum conditionem illius, & sic voluntati Diuinæ attribuitur aliquid ex parte nostra.* Nihil autem attribueretur, si præexistente qualibet creaturarum inter se proportione, æquè posset quando libet, & quomodo libet contra illam, atque iuxta illam quiduis fieri; nec ordinem suæ sapientiæ sequutus Deus propterea ferretur in res creatas iuxta ipsarum conditionem potiùs, quàm contra illam. Quod tam manifestè supponitur falsum esse in vtroque testimonio. Rursus in eadem quæst. 21. art. 4. & lib. 2. contra gent. c. 28. & 29. statuit discrimen eorum, quæ sine iniustitia sunt vnicuique negabilia à Deo, ab iis, quæ sunt innegabilia ab eodem, dicitque ea esse innegabilia, quæ sunt vnicuique proportionata: negabilia verò ea, quæ excedunt talem proportionem; ac demum ex debito iustitiæ conferri vnicuique creaturæ, quidquid est illi proportionatum, & ab ea secundum conuenientem ordinem exactum. Qua de re audiendus specialiter est in 4. distinct. 46. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad 2. *Similiter quod Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiæ, sed quod aliqua natura producta, ei attribuatur, quod illi naturæ competit, hoc ad eius iustitiam pertinet, & contrarium eius iustitiæ repugnat.* Repugnat autem, vt quidquam Deus faciat eius iustitiæ contrarium. Repugnat igitur, quòd aliqua natura producta non ei attribuatur, quod illi naturæ competit; nempe quòd non attribuatur, vel formaliter, vel æquiualenter, vt paulò post exponetur.

Art. 5. Infiniti moliminis esset, non solùm expendere accuratè, sed etiam referre simpliciter, aut tantùm indicare loca singula, in quibus Sancti PP. ferè omnes suffragantur eidem doctrinæ. Videri plurima possunt apud Montoyam in duabus iam præindicatis disputationibus, per plures in vtraque sectiones. Libet ea tantùm hic obseruare, in quæ omnes vnanimiter conueniunt, quæque sunt vbique facilè obuia. Primùm contra Manichæos, Aduersarium legis, & Prophetarum, aliosque eiusdem farinæ auidos, ac insanos Diuinæ prouidentiæ insectatores, non solùm conati sunt ostendere Sancti PP. nihil absolutè, ac simpliciter malum, omnisque expers bonitatis prodiisse ab omnipotentia Dei, sed insuper feruida oratione perpetuò addidere, omnia opera Dei talia esse, quibus nihil in ordine ad vniuersum melius, & vnicuique conuenientius esse possit. Quod cum comprehensione rerum omnium, quam non habuere, assequi non potuerint, nec de singulis edocti sint per Diuinam reuelationem; atque vt eam accepissent à Deo, independenter tamen ab illa necesse fuerit disputare, vtpotè cum Philosophis, aut Hæreticis, illis nihil, istis parùm, aut nihil reuerentibus scripturas; superest, vt PP. id deduxerint ex aliqua necessitate, qua Deus antecedenter deuinctus sit melioribus, & conuenientioribus respectu cuiusque rei, & respectu vniuersi. Neque hoc spontaneæ nostræ interpretationi reliquere PP. vtpote assumentes vbique apertè, in argumentum doctrinæ suæ, bonitatem Diuinam, decentiæ leges, perfectionem infinitam prouidentiæ, quatenùs repugnantes electioni rerum minùs inuicè congruentium, nec correspondentes mutuæ proportioni ipsarum.

Art. 6. Consequenter ad hoc principium vniuersale, tuentur iidem PP. non modò bonum, sed melius, & conuenientius absolutè fuisse producere hominem peccabilem, quàm carentem proxima peccandi potestate; necnon inducere in hoc vniuersum animalia venenata, atque humano generi præmolesta, herbasque animalibus nocentes; quàm eiusmodi omnia excludere ab vniuerso. Vno verbo, vbicumque incidit quæstio, an hoc expediat, vel illud ex iis, quæ dantur defacto semper concludunt indubitanter PP. ea expedire, esseque meliora, & conuenientiora in ordine ad vniuersum, quàm eorum carentiam. Neque verò id aliundè vnquam probant, quàm quia à bono Deo omnia optima, & optimo modo fieri necesse fuit. Quam quidem causalem, si quis reducere velit, vt nonnulli perperam tentarunt, non in naturam ipsam rerum, & ad dictamen necessarium Diuinæ sapientiæ; sed vel ad denominationem extrinsecam ab actu libero Dei essentialiter optimo, quidquid, & quomodolibet statuat; vel ad finem, mensuram, & modum perfectionis liberè à Deo vnicuique præscriptos, ita vt oppositum finem, & oppositam mensuram, & modum oppositum præscribere potuerit. Qui, inquam, ita interpretari velit eam, & doctrinam, & rationem doctrinæ Sanctorum PP. ridiculam planè vtramque reddiderit. Secundum namque priorem intelligentiæ modum, nihil reipsa aliud docuissent Sancti PP. quàm actus, quibus prouidet Deus rebus creatis, esse optimos, qualescunque demum sint res à Deo factæ, & ordo ab eodem in iisdem constitutus: ideòque, supposuissent id, de quo vnicè erat controuersia; nempè perfectionem Diuinæ prouidentiæ in se intrinsecè: idque prætermisissent omninò examinare, vnde Hæreticorum peruersitas, & cæcitas Philosophorum inferebant imperfectam, & defectuosam esse prouidentiam Dei; nempè naturas rerum, constitutionem physicam, & ordinem creatum vniuersi eidem intrinsecum. Quæ ineptitudo, non nisi insanè, ac impiè adscribi PP. potest. Non minùs eneruat, ac deturpat eandem PP. doctrinam altera interpretatio de fine, mensura, modo præscriptis defacto, cum potestate præscribendi opposita omnia. Vnicus namque conatus PP. est, finem, mensuram, & modum, quibus defacto subiacet vniuersum, esse optimos, quia Deus non nisi optima facere potest: Cui nihil magis oppositum esse potest, quàm Deum opposita omnia facere potuisse, eoque ipso eadem opposita omnia futura fuisse optima. Si enim hoc verum esset, frustrà PP. laborassent in ostendenda ratione optimi in rebus, quæ defacto sunt, & in modo, ac ordine, quo sunt. Sufficisset dicere, Deum ita fecisse, sicut fecit. Quod tamen vt sufficeret, longè aberat ab animo aduersariorum negantium quidquid fit à Deo, eo ipso optimũ esse, idque vnicè negantium. Qui proinde non aliter conuinci poterãt, quàm conuincũtur à Sanctis PP. defendendo, quidquid à Deo fit, id esse in se intrinsecè optimum, & optimè ordinatum independenter à denominatione extrinseca, certè non per solam denominationem extrinsecã ab actu, vel fine Dei, seu proximo, seu remoto, de quo nihil curabant impugnatores prouidẽtiæ Dei.

Art. 7. Confirmatur ea doctrina, & intelligentia PP. ex iis, quæ pari consensu docent circa ordinem supernaturalem. Tradunt enim, tamquam certissima dogmata, oportuisse, vt Deus assumeret naturam creatam, suppositâ eius eleuatione in ordinem supernaturalem simul cum lapsu in peccatum. Ex suppositione assumptionis, naturam humanam eligi potiùs debuisse, quàm Angelicam: Naturæ iam assumptæ negari nequaquam potuisse ab instanti conceptionis visionem beatam; scientias omnes per se, & per

accidens infusas, omnesque habitus virtutum non repugnantes beatitudini, & vnioni hypostaticæ; rursus Christum Dominum debuisse nasci ex matre Virgine: huic maternitati debitam, ideóque collatam defacto fuisse immunitatem à peccato originali: huic immunitati annexam fuisse resurrectionem post triduum, atque assumptionem in Cœlum. Quæ omnia, & similia non aliundè probant PP. aliique Doctores Catholici; quicumque ea probant, & censent certissima, quàm ex principio, quod tuemur, de necessitate Dei ad optimum, maximéque proportionatum, & connaturale respectu cuiusque rei, siue naturalis, siue supernaturalis ex suppositione, quod existant. Quod si qui non admittant aliquid eorum, quæ modò proposita sunt, aut aliorum eiusmodi, non aliter profectò id faciunt, quàm negando simul proportionem mutuam, & exigentiam innatam eius, quod negatur, respectu eius, quod admittitur. Apparet itaque communem omnium Sanctorum PP. & Theologorum ferè omnium consensum indubitatum agnoscere in Deo necessitatem aliquam antecedentem, vt supperaddat vnicuique rei, ex suppositione quòd existat, ea omnia, quæ sunt illi proportionata, eiusque appetitui innato conformia. Loca singula, circa ea, quæ modo specialiter proposita sunt videri possunt, si placet, apud Montoyam loco iterum, atque iterum memorato, & digno, qui sæpissimè in memoriam reuocetur, propter incredibilem lectissimæ eruditionis abundantiam, & varietatem.

Art. 8. Maximi eandem in rem momenti est communis, & indubitatus humani generis consensus reputans certissimum, sanè multò certius, quàm oppositum, subsequuturam esse combustionem applicato igne ad passum benè dispositum: lapsurum esse lapidem proiectum è fenestra, aut vertice montis; nec permansurum esse in medio aëre, aut in loco decliui absque impedimento; crastina die rediturum esse solem, atque reditu suo illuminaturum, & calefacturum esse; non esse ruiturum in instanti proximè sequenti Cœlum, vel etiam domum recens, & optimè fabricatam; & sic de similibus. Si enim nulla maior inesset Deo necessitas antecedens ex sua natura ad volendum, & ad inducendum cooperatione sua, quod est rebus præexistentibus connaturale, atque intrinsecè proportionatum potiùs, quam ad oppositum, vana prorsus, & sine fundamento, ideoque stulta omninò esset ea hominum persuasio, & spes magis, & multò magis inclinans ad vnam partem, quam ad oppositam. Quia existente Deo omninò indifferenti ad vtramque partem, nulla potest esse maior certitudo vllius euentus sic potiùs, quàm sic futuri, quandoquidem omnes aliæ causæ, quoad omnes suos effectus essentialiter pendent à voluntate, & cooperatione diuina, neque Deus vllam certitudinem fundare potest determinationis, & electionis suæ, atque cooperationis in vnam potiùs partem erupturæ, quàm in oppositam, nisi sola necessitate antecedenti conueniente sibi ex sua natura ad operandum tali modo, & non oppositò. Nempè Deus non acquirit habitus inclinatiuos, & determinatiuos in vnam partem, sicut acquirunt homines propter longi temporis vniformitatem in operando sic, vel aliter. Quare si in euentibus propositis, inque aliis similibus nullum esset aliud fundamentum credendi fore hoc, & non fore oppositum, præterquam ita retro euenisse vniformiter per plura sæcula; fundamentum esset nullum, & prorsus vanum. Quia Deus post sæcula, vtcumque multa vniformis operationis, æquè facilè inciperet operari quoad omnia oppositò modo, atque si nihil tale vnquam præcessisset, si nihil obstaret aliud, nempè necessitas aliqua conueniens sibi ex sua natura sic, saltem vt plurimùm operandi, & non aliter. Cùm ergò dicendum nequaquam sit, persuasionem illam, & spem firmam vnius, determinatè partis subsequuturæ potiùs, quàm oppositæ, inditam à natura generi humano, esse vanam, ac stultam; dicendum vtique est, inesse Deo aliquo modo ex sua natura assertam necessitatem ad optimum vnicuique rei præexistenti connaturale.

Art. 9. Ista porrò necessitas Dei ad euentus, & effectus rebus, & causis præexistentibus connaturales non est in primis vniuersaliter, & absque vlla exceptione necessitas metaphysica, sed tantùm moralis, seu physica, aut quasi physica. Quia sæpè Deus patrat miracula, quibus suspendit effectus causis secundis præexistentibus connaturales: Quod fieri non posset, si Deus teneretur ad illos necessitate vniuersaliter metaphysica, absque vlla exceptione. Deinde nulla Deo conuenire potest necessitas, aut moralis, aut purè physica, & quæ non sit fundata immediatè in necessitate metaphysica. Quia Deus nihil facere potest difficulter, aut cum maiori, vel minori facilitate, quàm aliquid aliud; sed quidquid potest, æquè facilè potest, quia potest infinita virtute, & ex motiuo infinito mouente ad omnia, ad quæ mouere absolutè potest, eadem vniformi infinitate fundata in infinita sua bonitate, qua sola secundum se præcisè mouetur Deus ad omnia, ad quæ moueri absolutè, ac determinari potest. Quapropter necessitas Dei moralis ad optimum vnicuique rei iam præexistenti connaturale fundatur in duplici necessitate metaphysica, estque realiter indistincta ab vtraque simul sumpta. Altera est, ne cuiquam existentium neget bonum ipsi connaturaliter debitum, nisi facta compensatione per aliquod aliud bonum; aut maius, aut saltem æquale negato, & præterea incompossibile ex sua natura cum bono connaturali, quod negatur. Altera necessitas metaphysica est non inducendi, nisi rarenter, compensationes eiusmodi miraculosas. In priori necessitate compensatio illa, vel æqualis, vel excessiua intelligitur facienda, vel illi ipsi entitati immediatè, & secundum se, cui negatur bonum connaturale, vel facienda vniuerso, propter quod sunt, & cuius proinde bono cedunt, quæcumque continentur in ipso. In posteriori necessitate Tò *rarenter* intelligitur comparatione facta cum euentibus, & effectibus, qui sunt connaturales causis secundis præexistentibus, siue actiuis, siue passiuis.

Art. 10. Pro faciliori assensu duplicis huius necessitatis metaphysicæ conuenientis Deo reipsa, obseruandum in primis est, Deum defacto semper vsum esse tali compensatione, nec eam nisi rarenter instituisse. Humanitati enim Christi Domini (vt illustriora quæque miraculorum exempla breuiter perstringam) negata est propria subsistentia sibi connaturalis, sed non nisi subrogata Diuina. Accidentibus Eucharisticis adest substantia, & Sanguis Christi Domini loco substantiæ sibi connaturalis, & inde prosunt ad effectus incomparabiliter meliores connaturali informatione panis, & vini. Ignis Babylonicus impeditus fuit à combustione connaturali, sed propter indemnitatem innocentium, & commendationem innocentiæ, & specialis erga ipsam prouidentiæ, & amoris Diuini, perpetuò mansuram, & profuturam apud posteros. Substitit aliquando cursus solis, sed concessio progressu, & perfectione victoriæ cedentis in gloriam Dei, & in ædificationem præsentem, ac futuram Cultorum ipsius simul cum fiducia eorundem in eundem, & sic de aliis eiusmodi absque vlla exceptione, nec enim est exemplum euentus vllius negati miraculosè, absque positiuo aliquo compensante adæquatè, imò, & superabundanter euentum connaturalem negatum. Euentus porrò istos miraculosos esse de facto raros, atque rarissimos, si comparentur cum multitudine euentuum rebus connaturalium,

mani

manifestissimum omnibus est. Maximè autem credibile est, miraculum, quale nullum patratum est intuitu Christi, & meritorum eius esse absolutè impossibile; ac proinde, & frequentiam miraculorum maiorem, quàm frequentiam euentuum connaturalium, aut illis supparem esse pariter impossibilem. Quia ea ipsa frequentia maior miraculorum, esset genus aliud inauditum miraculi multò mirabilius, quàm frequentia minor; sicut etiam foret mirabilius miraculum non compensatiuum euentus connaturalis, quàm quod est compensatiuum, quia illud contradiceret magis dispositioni præexistenti in natura; atque hæc contradictio dispositionis præexistentis est tota ratio admirationis per se. Quis autem credat aliquid ex genere suo mirabilius Deum facere potuisse, quàm fecerit intuitu Christi, & meritorum eius, cuius existentia dicitur à Sanctis PP. communiter miraculum miraculorum, & inter omnia mirabilia, quæ à Deo fieri possunt, mirabilissimum?

Art. 11. Deinde Deus producit omnes suos effectus per amorem erga singulos iustè proportionatum bonitati ipsorum; ita vt meliora quæque magis amet; minùs verò, minùs bona; nec oppositum contingere possit retenta maioritate, & minoritate bonitatis in vnoquoque, vt dictum est quæst. 25. Quæcumque igitur postulat appetitu innato vnusquisque effectus diuinus ratione intrinsecæ suæ proportionis cum illis, eadem illi appetit, & vult efficaciter amor Diuinus propter vim ecstaticam amoris, transformatiuam amantis in rem amatam, & ex suo conceptu conformatiuam appetitus inter vtrumque, quod maximè locum habet in appetitu vnius causato ab amore alterius erga se præcisè ex vi amoris, vti contingit in omni appetitu innato rerum creatarum comparato cum amore Diuino, ex quo videlicet proficiscitur tamquam effectus à causa sua, & à quo dependet tamquam à sua iusta mensura, vt in eodem loco expositum est. Ergo si Deus negaret alicui suo effectui, absque compensatione, vt minimùm, æquali, bonum illi proportionatum, atque adeò terminatiuum appetitus innati eidem effectui; eo ipso contradiceret suo amori, & suæ voluntati efficaci, secumque pugnaret voluntatibus inuicem incompossibilibus. Quod est impossibile.

Art. 12. Confirmatur hæc ratio ex illo Sapientiæ 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Non autem diligeret Deus, sed magis odisset, quæ fecisset, si induceret in ea malum contrarium naturæ, & inclinationi ipsorum, absque necessitate eius violentiæ ad inducendum bonum aliud, vt minimùm, æquale negato. Odit enim profectò, nec verum est, quòd diligat, qui negat alicui bonum debitum, atque omninò proportionatum atque ideò deprimit illum infra dignitatem suam absque alio emolumento compensatiuo talis iacturæ. Præterea non apparet, quid intelligi valeat ex parte Dei nomine dilectionis, & exclusionis odij erga creaturas, nisi voluntas conferendi tale bonum, & exclusio voluntatis inferentis tale malum. Attendatur ratio vtriusque partis, quæ adiungitur immediatè: *Nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti;* Ideſt, neque in intentione, neque in executione quidquam hostiliter, contra cuiusque dignitatem, & exigentiam innatam actum est. Quod cùm ad solam naturam rerum, solamque conditoris bonitatem secundum se referatur, vt clarè apparet ex contextu; efficaciter concluditur non potuisse aliter contingere.

Art. 13. Confirmatur vlteriùs eadem doctrina paritate simul, & ratione à priori. Non minùs vnaquælibet rerum creatarum collectio, quàm vnaquælibet res creata seorsim est participatio, & similitudo Diuinarum perfectionum essentialiter ordinata ad gloriã, & laudem Dei. Ergo sicut Deus ratione suæ perfectionis reddit absolutè impossibilem in qualibet indiuidua entitate seorsim, tùm coniunctionem, & identitatem prædicatorum sibi inuicem dissonantium, & mutuò incohærentium, tùm separationem, ac distinctionem eorum, quæ sibi inuicem congruunt, ac consonant: ita eadem sua perfectione reddit impossibilem collectionem, & coëxistentiam, successionem, & mutuas vicissitudines rerum creatarum repugnantes, ratione additionis, vel detractionis, appetitui innato, & mutuæ proportioni intrinsecæ ipsorum. Hoc nimirum pacto, & non aliter euadit amplitudo omnipotentiæ, & dominij Dei iustè commensurata dictamini sapientiæ eius, cui necesse est, vt conformetur omnis operatio Dei tum distributiuè, tùm collectiuè, iuxta illud 1. ad Ephes. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vbi ex obseruatione D. Thomæ ibidem, ideò non dicitur secundum voluntatem, sed secundum consilium voluntatis, vt ostendatur amplitudinem libertatis Diuinæ, in volendo, & operando contineri intra ambitum dictaminis Diuinæ sapientiæ præscribentis determinatum quendam ordinem in dispositione rerum creatarum ex suppositione, quod illas condere, & conseruare velit. Hoc est, quod dicebat supra art. 2. D. Augustinus; dum dicebat; Deum non esse omnipotentem potentia temeraria, sed sapientiæ virtute. Idem iterum docebat, dum art. 3. sub finem suggerebat Deum lege inuiolabili, & incorrupta regere omne, quod condidit; ideſt dictamine necessario, quo iudicauit esse pulcherrimum, vt esset quidquid est; quomodo est; ita videlicet, vt tali legi, & dictamini necessariò sese conformauerit, nec potuerit omnia inuertere, ac deordinare secùs operando à toto genere, quàm iam operatus sit.

Art. 14. Confirmatur; & declaratur hæc ratio. Quia non minus absurdum, & dictamini sapientiæ dissonum est, inuertere totum ordinem rebus connaturalem, resque omnes regere contrà quàm postulant ratione mutuæ proportionis, & exigentiæ innatæ, quàm facere hircoceruum, equumhominem, & similia. Quod etsi ex ipsa terminorum apprehensione facilè cuiuis appareat consideranti, & deducenti in species determinatas eam ordinis inuersionem, maioris tamen claritatis gratia inquiro; Cuinam non sponte appareat dissonum, & repugnans, totum cœli concauum, exclusis omnibus aliis, repleri solis muscis, aut araneis, ita vt nihil sit in rerum natura, præter hæc animalia? Cælum Terrâ, & aquâ aërem circumcludi? immitti aëri totum ignem, & in centro horum omnium collocari Cælos? Angelos omnes tota æternitate destitui speciebus intelligibilibus? omnes homines pedibus in aëra sublatis, & capite ad terram hærenti procreari, atque perpetuò conseruari? Dentes in cauitatibus oculorum in orbem disponi? Oculos inseri mandibulis? neque lucem à sole, nec calorem ab igne, neque frigus ab aqua vnquam promanare? grauia sursum, leuia deorsum ferri, aliaque his similia. Quæ si plerumque accidere, & magna ex parte ita fieri potuisse, Deumque id non dedecere, imò eadem facilitate sic ea omnia exequi potuisse, qua de facto secùs omnia summo sapientiæ ordine gubernat, quisquam in animum inducere poterit; is solùm nostram sententiam negare audebit. Nempè per ea monstra solus inuertitur ordo legibus naturæ præscriptus, absque vtilitate, & compensatione pari. Quod solum negamus fieri à Deo posse.

Art. 15. Confirmatur rursus. Quia Deus facta aliqua reuelatione, necessariò tenetur non reddere illam incredibilem editis miraculis, sed magis reddere credibilem. Ergo Deus producta aliqua creatura,

necessariò tenetur infinitatem sapientiæ suæ, qua illam condidit, non reddere incredibilem, sed potiùs credibilem. Ergo tenetur non negare, per miracula, rebus creatis bona ipsis connaturalia, saltem plerumque, aut maiori ex parte, vel etiam rarò, nulla facta compensatione. Antecedens supponitur ex communi Theologorum consensu, & ex iis, quæ habentur quæst. 18. de Virt. Theol. Patet prima consequentia. Quia Deus non potest maiori aliqua necessitate compelli ad tuendam suæ veracitatis, quàm suæ sapientiæ opinionem. Probatur secunda consequentia. Quia non minùs idoneum motiuum esset, ad negandam sapientiam Diuinam, earum rerum, quas nuper proposuimus, aliarumque similium frequens deordinatio, aut etiam rarò sine compensatione æquali, quàm idoneum motiuum forent, ad denegandam veracitatem Diuinam, miracula ex sua natura obsistentia assensui huius reuelationis. Vis huius paritatis ex eo maximè elucet; quia sicut de facto Sancti PP. & Theologi optimè suadent credibilitatem mysteriorum fidei miraculis, quæ illi fauent; ita iidem, & probi omnes Philosophi optimè suadent infinitam conditoris sapientiam pulcherrimo rerum ordine, ex quibus vniuersum conflatur, vt insinuatum est qu. 6. in postrema demonstratione. Ergo ex oppositis æquè bene suaderent opposita. Ergo est vtrobique æqualis oppositorum repugnantia. Paritatem istam vrget optimè, ac valde appositè D. Chrys. in Demõstrat. aduersus Gent. post med. ab illis verbis: *Ecce viderunt tunc operantem*; nisi quòd S. Doctor assumit tanquam antecedens, & vt notius, quod apud nos, propter contrarium paucorum modernorum conatum, deducitur vt consequens; sed perinde est iuxta communes conuersionis regulas. Idem rursus ex eo elucet; Quia sicut repugnat Deo, non omnia cognoscere verè, aut mentiri circa aliquid; ita repugnat eidem, non habere omnia apud se sapientissimè ordinata, ac ideata, aut desipere in efficiendis rebus. Non minùs autem desiperet Deus, si inuerteret ordinem rebus connaturalem, nullo deinde deducto maiori bono, vel saltem æquali; quàm ignoraret, aut mentiretur, obiectis aliter, atque sunt in se, manifestatis per reuelationem. Nempe insipientia practica constituitur rerum administratione ipsis omninò indebita, earumque naturis contraria; sicut ignorantia, aut mendacium constituitur enunciatione oppositæ obiecto, vt est in se. Vnde optime D. Thomas 1. contra Gent. cap. 81. numero 4. loquens de sapientia, & voluntate Dei subdit: *Sapientis voluntas eo quòd est de causa, est de effectu, qui ex causa de necessitate sequitur. Stultum enim esset velle solem existere super terram, & non esse diei claritatem.* Eadem autem est ratio de cæteris connaturaliter vnicuique debitis. Vnde idem S. Doctor vniuersaliter pronunciat de Veritate, quæst. 9. artic. 2. cap. fine: *In rebus, quæ pertinent ad statum naturæ, non fit aliqua immutatio diuina virtute, nisi propter aliquid melius.* Sed est attendendus præcipuè Athanasius in orat. contra Idola propius ad finem, quam ad med. vbi post longam, & efficacem perorationem in rem nostram reflectit sic: *Nec video, qui fieri possit, vt istud non credatur. Si enim irrationabilis esset naturæ motus, & temerè vniuersitas ista raperetur, rectè quispiam & dictis meis* (de vno Deo auctore vniuersi, & rectore sapientissimo) *fidem abrogauerit. Sin autem ratione, & arte, & sapientia constant, atque omnia ornatu exornata sunt, necesse est, eum, qui superincumbat, atque ita ea instruat, non alium, quàm verbum, rationemque Dei esse.* Quæ est ipsissima nostræ huius Confirmationis ratio.

Art. 16. Accedit his alia paritas non minoris momenti. Omnipotentia Diuina nihil potest in se præcontinere penitus malum, omnique carens bonitate, quatenùs tale, nec potest esse auctor naturæ malæ, aut vllius puri mali. Qua de re noti sunt omnibus conatus Augustini, aliorumque Sanctorum PP. aduersus Manichæos. Ergo neque continet in se omnipotentia Dei ordinem præposterum rerum creatarum contradicentem naturis earum, absque vllo alio bono inde deducendo. Patet consequentia, quia purum malum non aliunde excogitari potest tale esse, nisi quia opponitur bonitati; quæ de facto est in rebus, quæque est de conceptu participationis causæ in effectu, idest, Dei in creatura facta à Deo. Ordo autem præposterus, & contrarius exigentiæ, atque proportioni mutuæ rerum eodem modo opponitur ordini, qui de facto est in rebus; quique est de conceptu similitudinis, & imaginis correspondentis ideæ, & exemplari sapientiæ Diuinæ. Ergo tam repugnat, vt procedat à Deo ordo naturis rerum contrarius, absque compensatione huius quasi deordinationis per ordinem alium aliter compensatiuum eiusdem exigentiæ rerum; ideóque pure malus, pureque nocens; quàm repugnat, vt procedat à Deo aliquod aliud purum malum simplex, seu non consistens in comparatione, & dispositione vnius rei respectu alterius.

Art. 17. Accedit rursus, *Deum, & naturam nihil perperam facere.* Quod tanquam primum principium vtitur Philosophus 1. de Cœlo text. 32. l. de Incessu Anim. c. 9. fine, & alibi sæpè. Exponit autem idem, quid sit oppositum eius, quod perperam, in eodem libro de incessu c. 2. dicens: *Illorum autem* (inuariabilium in natura) *vnum est, naturam nihil frustra facere, sed semper ex iis, quæ cuique animalium generis essentiæ contingunt, id, quod optimum est. Quam ob rem si melius hoc modo, ita natura se habet.* Quæ est ipsissima sententia Augustini l. 3. de Libero Arbitrio. c. 5. *Quidquid*, ait, *tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum.* Idest, hoc tanquam certissimum tenendum est, nunquam Deum prætermittere optimum, rerumque naturis maximè conforme; quibus videlicet solis ratio nostra niti potest, vt deducat quod verè melius est. Eodem pertinet, quod dicit l. 1. contra Aduersarium legis, & Prophetarum c. 14. post medium. *Aut verò vsque adeò desipiendum est, vt videat homo melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? aut putet vidisse, & credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Auertat hoc Deus à cordibus piarum.* Vbi hoc maximè obseruandum est, non maius incommodum reputari ab Augustino, quod adscribatur Deo ignorantia rei ab homine certò cognitæ, vt melioris, aut impotentia eam faciendi, cum voluerit; quam quòd adscribatur nolitio eius, quod ab homine vera ratione videtur melius esse. Consonat vtrique Chrysostomus in 1. Corinth. 12. hom. 30. *Si tu rationum vias ingrediaris mille, nullam inuenies, quæ tam verè, tam appositè habere ista omnia rectè demonstret, quàm si ita placuisse rerum opifici confiteare. Certè enim quod optimum, rectissimumque factu fuit, hoc illum voluisse, consentaneum esse debet.* Quod si hoc ita consentaneum esset, vt oppositum esset non minùs consentaneum, aut minùs eligibile à Deo, vti contendunt aduersarij, nulla ratione tutissimè, vt vult Chrysostomus, acquiescere possemus huic præsumptioni voluntatis Diuinæ optimum semper, rectissimumque diligentis, quando tam facilè præsumi posset minùs bonum, minusque rectũ dilexisse Deum. Alia id ipsum ratione vrget iterũ Augustinus l. 4. de Genesi ad literam c. 16. *Bona facere, si non posset, nulla esset potentia. Si autem posset, & non faceret, magna esset inuidentia. Quia ergò Omnipotens, & bonus est, omnia valdè bona fecit.* Tam igitur certum est, ex suppositione, quod Deus aliqua faciat, ea facere

valdè

valdè bona, ideſt, optimo ordine inter ſe conſtituta, quàm certum eſt ineſſe Deo potentiam, & non ineſſe inuidentiam. Certiſſimum igitur eſt certitudine fundata in ipſis naturis rerum arguitiuè, formaliter verò in bonitate, & ſapientia Dei infinita, Deum nihil perperam facere poſſe, neque hoc malum vitare poſſe, niſi faciendo, quod eſt optimum reſpectu cuiuſque iuxta proportionem, & exigentiam eius innatam; ideſt, explendo virtutem actiuam, & paſſiuam præexiſtentem in rebus per effectus, & formas deinde ſubſequentes, vti exponitur, & aliis inſuper rationibus confirmatur q. 6. de Gratia.

Art. 18. Propono vltimo loco incommodum ingens contrariæ ſententiæ: nimirum, ſecluſa ſpontanea, & libera promiſſione Dei, nullam eſſe certitudinem præmij, & ſupplicij, quæ malis, ac bonis operibus connaturalia ſunt, iuxta intrinſecam eorum proportionem; & Deum æqua facilitate ſtatuere potuiſſe æternam damnationẽ omnium hominum benè, ac laudabiliter operantium toto vitæ decurſu, atque adeò ipſius etiam à conceptione ad obitum vſque Sanctiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, Matris inſuper Hominis Dei, & è conuerſo decernere æternam beatitudinem conferendam homicidis omnibus, periuris, ſacrilegis, hæreticis, atheis, & nihil vnquam honeſtum, vel etiam meditantibus. Quo euaneſceret præcipuum pro immortalitate animæ, prouidentiaque Diuina aſſerendis argumentum naturale PP. ac probis omnibus Philoſophis vſque adeò familiare, ac celebre, & vbique gentium validiſſimum ſemper habitum; redderetur que penitus inanis grauis illa, veraque ſententia Chryſoſtomi increpantis quoſdam hac in re delirantes Philoſophos ſermone 4. de Prouidentia poſt medium. *Si nihil eſt poſt hanc vitam; neque Deus eſt.* Quæ conſequutio eſt nulla apud aduerſarios noſtros, ſtando ſoli rationi naturali, qua tamen ſola nititur ibi Chryſoſtomus. Aduerſarij etenim noſtri putant Deum de potentia abſoluta poſſe poſt hanc vitam æquare omnium bonorum, & malorum fortunam, vel annihilando omnes, vel omnes pariter, aut detrudendo ad inferos, aut deducendo ad gloriam; vel etiam commutando vices vtrorumque, malis vocatis ad gloriam; & bonis detruſis ad infetos; atque Deum eſſe æquè indifferentem, ex natura rei, ad quidlibet horum. Cuius rei abſurditas tametſi ex ſe eſt clariſſima, & apparet ſatis ex ratione propoſita, videri tamen multò plura, eaque magni ponderis argumenta, & teſtimonia poſſunt apud Montoyam diſput. 57. de Voluntate Dei ſect. 3. & 4. Interim aduertere libet, quod pluribus confirmatur in quæſtionibus de Act. Hum. ex natura rei præcisè, & ſecluſis reuelationibus, & promiſſionibus Dei, non aliter connecti, nec alia ratione, actus bonos, & malos cum præmiis, & ſuppliciis, atque connectuntur aliæ cauſæ naturales actiuæ, & paſſiuæ cum effectibus, & formis ſibi connaturalibus. Tota enim vtrobique ratio eſt intrinſeca proportio, & appetitus innatus in illa fundatus, atque impoſſibilitas, vt aliquid ſit fruſtra in rerum natura, dum impeditur ab exercitio ſuæ virtutis abſque vlla compenſatione per aliud bonum, vt minimùm, æquale. Quapropter cuicumque videbitur diſſonum, vti omnibus diſſonantiſſimum videri debet, bona, & mala opera parem, aut nullum exitum habere, aut habere exitum contrarium naturæ, & exigentiæ ſuæ; diſſonum quoque videri debet, vti reipſa eſt, vt res quælibet aliæ deſtituantur, abſque compenſatione, effectibus, formis, & quibuſuis aliis bonis ſibi connaturalibus, & proportionatis exigentiæ earum, Ob hæc igitur omnia dicendum eſt, Deum teneri neceſſitate morali, indiſtincta à duplici neceſſitate metaphyſica ſuperius explicata, ad optimum vnicuique enti creato iam præexiſtenti connaturale, atque eatenùs prouidentiam Diuinam naturalem eſſe inductiuam legum naturæ inſertarum ipſi rerum naturæ; eandemque prouidentiam iiſdem legibus adſtringi modo dicto. Cui doctrinæ ſuffragantur quoad ſcopum eius præcipuum duo præclari ingenij auctores. Alter eſt P. Antonius Perez Magiſter meus, ex quo plurimum proficere potui, & cui potiſſimum debeo quantulumcunque profeci, & quem eundem deceſſorem habui in lecturis Valliſoletana D. Ambroſij, Academiæ Salmanticenſis, & Collegij Romani. Alter eſt P. Michael de Elizalde Diſcipulus meus plus multò referens vberis fructus de ſuo, quam ſponderent tenuia ſemina noſtra, quem itidem habui ſucceſſorem in iiſdem ſcolis Valliſoletana, & Romana. Videndus ille eſt diſput. 6. de Volunt. Dei c. 5. Hic quæſt. 40. de Vera Religione num. 744.

Ad 1. Certum eſt, Deum nihil cuiquam debere, quaſi acceperit, & inde teneatur ad compenſationem ex iuſtitia commutatiua. Huiuſmodi autem debitum excludit à Deo, Auguſtinus, vt patet ex ſua cauſali. Qui enim gratuitò præſtat omnia tamquam principium purè liberale totius boni, quod eſt in Creaturis, clarè conuincitur nihil debere, tamquam acceperit, & titulo iuſtæ compenſationis. Cæterum Deus tenetur titulo decentiæ ad ſuperaddendum aliqua, ex ſuppoſitione, quod iam fecerit aliqua alia, ne videlicet perperam ea fecerit, & incohærenter, atque adeò inſipienter. Quo pacto tenetur ad imponendum tectum domui, qui illam fabricauit; quin vllo titulo teneretur fabricare.

Ad 2. Lex naturalis, quæ eſt intrinſecè in rebus creatis, eſt lex paſſiuè ſumpta, & lata à Deo, ſimulque quaſi intimata per ipſam rerum creationem. Vnde lex naturæ hoc modo ſumpta ligat res creatas formaliter, non verò Deum. At lex naturæ actiuè ſumpta eſt dictamen neceſſarium Diuinæ ſapientiæ, quod non obligat propriè Deum, cum ſit ipſe Deus; determinat tamen, atque neceſſitat, vt ſi quidem creandum ſit aliquid, diſponantur cætera, prout illi congruit, ne quid exiſtat diſſonum, malè cohærens, & inordinatum in rerum natura, auctore Deo. Quia verò ab iſto dictamine ſapientiæ ſuæ exorbitare non poteſt Deus per determinationes ſuas liberas, propterea dicitur obligari, & quaſi vinciri eodem dictamine veluti lege ſua. Quapropter, quod dicit Auguſtinus Deum nihil contra naturam facere, quia id cuique rei eſt naturale, quod ille fecerit; non ita accipiendum eſt, vt credatur Deum poſſe facere indiſcriminatim, circa res creatas, quidquid à nobis quomodolibet eſt cogitabile circa eaſdem; ſed ita, vt intelligatur Deum non poſſe facere, niſi quæ ſunt conformia rerum naturis, ſeu potius non poſſe facere contra naturas rerum, licet facere poſſit ſupra illas, impediendo bonum connaturale per aliquid melius intrinſecè incompoſſibile cum illo. Hac nimirum de cauſa aſſerta conuertibilitate naturali reſpectu cuiuſque, cum eo, quod Deus fecerit, immediatè ſubiungit. *A quo eſt omnis modus, numerus, & ordo naturæ*; reddendo vtique rationem eius, quod præmiſerat, ex eo, quòd Deus hoc habet ex ſua natura, vt cum modo, numero, & ordine operetur, & non aliter. Quod perinde eſt, atque Deum eſſe determinatum ad id, quod cuique rei eſt naturale, vel formaliter, vel ſaltem æquiualenter faciendo, quod illi congruit, vel aliquid melius.

Ad 3. Æquè Deum decet, vt producat creaturas, vtque nihil producat extra ſe: Quæ eſt ratio perfectæ indifferentiæ diuinæ ante omnem ſuppoſitionem ſibi liberam reddita in illa quæſt. 20. At non æque decet Deum, vt operetur ordinatè, & inordinatè, vt congruit rebus, & vt diſſonat; conformiter ad digni-

tatem ; quam iisdem idem contulerit amore suo, & contra illam. Vndè, ex suppositione quod operetur, necesse est, vt modo quodam determinato operetur circa singula, non propter obligationem contractam erogando ; sed propter necessitatem erogandi sapienter fundatam in infinita perfectione Dei, & in ordinatione essentiali creaturis ad gloriam, & laudem Dei, ad quam conferre non possunt, nisi decenter inuicem ordinentur. Vnde fit, vt necessitas istiusmodi conditionata non sit onerosa Deo, sed honorifica; nec propriè dici possit necessitas iuris creati aduersus Deum, sed potius necessitas iuris diuini aduersus creaturas, vtpotè necessitantis ipsas, vt inseruiant laudi, & gloriæ Dei, & ne aliter existant, quam prout conferre possunt ad hunc finem. Itaque nullum est inconueniens, quod quis ratione beneficij collati teneatur ad supererogandum titulo decentiæ, & ne aliquid inutiliter, ac insipienter fecerit, nisi supereroget.

Art. 1. Ad 4. Annihilato penitùs vniuerso nihil supereesset, cui aliquid aliud congrueret, vel dissonaret, & cuius appetitui esset conforme, vel disconforme, vti accideret permanente aliqua parte vniuersi, & negatis reliquis, quæ illi parti sunt connaturalia, & quibus non superadditis illa existeret perperam, & sine exercitio virtutis suæ actiuæ, vel passiuæ, vel adæquatè, vel inadæquatè. Conceditur itaque Deo libera, & perfectè indifferens facultas ad annihilandum vniuersum ; prout significatur in illo Sapientiæ loco, & alibi sæpè, sed negatur, retenta aliqua parte vniuersi, posse nihilominùs reliquam partem connaturalem parti retentæ similiter annihilare; de quo puncto nihil habetur in illo eodem testimonio ; quod tamen est punctum totius controuersiæ præsentis.

Art. 2. Verùm quia communis, & indubitatus hominum consensus non minori cum certitudine sperat non esse annihilandum totum vniuersum crastina die, quam credat ignem applicatum passo benè dispositio calefacturum, & combusturum esse, & sic de aliis similibus ; imò illud prius omnium putat esse certissimum, estque fundamentum omnis alterius certitudinis purè naturalis circa existentiam rerum creatarum sic, vel aliter subsequuturam ; eaque certitudo non solum habetur ex fide, sed naturaliter inest omnibus hominibus. Explicandum superest, quomodo cohærere possit plena, & perfecta indifferentia Dei ad annihilandum, & non annihilandum vniuersum cum certitudine naturali persuasionis humanæ de annihilatione non futura. Et quidem videri posset non posse à nobis ea duo in concordiam redigi, nisi per manifestam inconsequentiam. Dictum enim est supra art. 8. non posse certò sperari calefactionem, aut combustionem potius, quàm oppositum, igne applicato ad passum, & sic de aliis euentibus connaturalibus, nisi ponatur in Deo necessitas aliqua saltem moralis ad existentiam eorum euentuum connaturalium potiùs, quàm ad non existentiam eorum. Ergò asserta plena, & perfecta indifferentia Dei ad conseruationem, & annihilationem vniuersi, non potest retineri maior certitudo de conseruatione futura potiùs, quàm non futura. Supereest nihilominùs duplex ratio concordandi consequenter eam indifferentiam cum ea certitudine. Prior ratio est ; quia necessitas illa moralis Dei ad euentus, & effectus rebus, & causis præexistentibus connaturales dicta à nobis est supra art. 9. indistincta à duplici necessitate metaphysica, altera non negandi quidquam connaturale absque compensatione æquali, vel superabundanti, altera neque eo modo negandi, nisi rarò. In annihilatione vniuersi non deesset compensatio æqualis. Quia redigerentur omnia ad eum statum, in quo erant antequam conderetur vniuersum ; pro quo statu nihil esset, quod præponderaret, vel ex parte existentiæ, vel ex parte non existentiæ vniuersi ; sed vtrumuis æquè deceret Deum, & esset æquè bonum absolutè, & simpliciter, atque laudabile æqualiter, vt liquet ex dictis quæst. 19. & 20. Vnde ex hac parte nullum esset maius fundamentum sperandi conseruationem, quàm timendi annihilationem vniuersi. Altera tamen necessitas metaphysica non perturbandi nisi rarò, etiam cum compensatione, ordinem rebus connaturalem, præbet sufficiens fundamentum eidem certitudini communis persuasionis de conseruatione mundi. Quia malum, quod ex genere suo tale est, vt non nisi rarissimè contingat, vix vnquam timetur, & in singulis opportunitatibus tutissimè speratur non futurum. Licet enim aliquando contingat ruere repente domum, quin rimas ante fecerit, aut vllum præcesserit signum ruinæ : & similiter accidat, vt tegula, è tecto delapsa frangat caput transeunti, nullo impellente vento, & nemine mouente tectum, perindè nihilominus tutò, & absque vlla sollicitudine, & degunt in domibus, & ambulant per vrbes, dum nullum apparet sinistrum indicium, atque si nihil tale vnquam contingeret. Similiter ergo fieri potest, vt homines nulla sollicitudine tangantur de annihilatione mundi, tametsi Deus sit ad illam prorsùs indifferens, quia is euentus pertinet ad illud genus euentuum, qui non nisi rarissimè contingere possunt, & ad quorum frequentiam, neque cum compensatione, neque sine compensatione, est Deus vllatenus indifferens.

Art. 3. Altera ratio fundatur in natura substantiarum rationalium, quæ sunt intrinsecè immortales, & ordinatæ ad finem æternùm duraturum, atque obligatæ, vt operentur in ordine ad illum, cum minis, ex parte Dei, incidendi in æternam damnationem, si secùs faciant. Quæ cognitio, cum habeat vim legis, sitque omnibus indita à Deo tamquam à legislatore, falsa esse nequit. Quia nequit Deus esse legislator fallax, & nugator. Quapropter casu, quo Deus vellet annihilare mundum, necesse esset, vt prius quoddam aliud patraret miraculum ; nempe negandi substantiis intellectualibus dictamen illud rationis dirigens ad æternitatem, & naturali necessitate subsequens ad substantiam intellectualem, & compensandi, per aliquid supernaturale, defectum miraculosum talis dictaminis. Dum ergo experiuntur homines neutrum horum accidere, atque adesse dictamen illud conscientiæ à Deo sibi impressum, quod est arrha certissima æternitatis, dubitare nequaquam possunt, an sit, vel non sit annihilandum totum vniuersum. Quia nec fieri potest, vt annihiletur stante ea suppositione : atque hæc ipsa suppositio tolli non potest, quin detur aliquod compensatiuum saltem æquale ; quod quale futurum esset, non necesse est, vt nobis innotescat in particulari. Sufficit, quòd generaliter innotescat plura Deum scire, & plura posse facere, quàm nos comprehendere, ac determinare possimus ; & quòd præterea assequamur, nullum bonum connaturale negari à Deo posse absque compensatione, vt minimum æquali, vel reponente aliundè tantundem boni, vel remouente tantundem mali naturaliter consequentis ex rebus præexistentibus, aut in eis contenti. Ad nullam igitur inconsequentiam nos cogit annihilabilitas mundi. Quod dicitur de iure, & legibus naturæ auferibilibus à Deo simul cum existentia habentium ius, & præferentium leges, nihil est. Quia iura, & leges naturæ non obligant, nisi conditionatè, nempe sub conditione, quod existant, & conseruentur entitates creatæ, quibus illa insunt. Præterea eadem iura & leges passiuè tantum, & arguitiuè sunt talia, cum rationem legis actiuè, & formaliter habeat

beat solum dictamen necessarium Sapientiæ Dei, vt dictum est supra, & paulò post distinctiùs exponetur.

Art. 1. Ad 5. Posita incorruptibilitate inalterabili Cælorum, communis responsio eorum qui illam tuentur non recurrit ad Angelos, vt moturos quomodolibet pro libito corpora Cœlestia; sed in iisdem corporibus ponit exigentiam intrinsecam ad vnionem sui cum Angelis præcisè, vt motoribus in ordine ad locum, & similiter ponit in Angelis necessitatem ineuitabilem libera eorum voluntate, vt moueant ea corpora, prout expedit ad conseruationem vniuersi, & ad directionem, & adiutorium causarum sublunarium iuxta earundem naturam. Quo cessat difficultas obiectionis.

Art. 2. Verùm difficillimum mihi semper visum est, vt corpora Cœlestia ex vna parte nullam habeant vim causatiuam motus localis, quo circumagantur in vtilitatem mundi inferioris, & consequenter, nec exigant immediatè eundem motum localem sui, ex alia verò parte exigant vnionem Angelorum secum præcisè, vt localiter mouentium, & circumagentium. Difficillimum, inquam, semper visum est, quia, qui non appetit effectum ratione sui, non potest appetere causam ratione talis effectus præcisè. Qui enim non appetit calorem ratione sui, non potest appetere ignem præcisè, vt calefaciat, & sic de aliis eiusmodi. Ergo si Cæli ideò non mouerentur localiter actiuitate sua, quia non appetunt eum motum ratione sui, sed omninò respuunt tamquam inutilem sibi: fieri non posset, vt exigerent appetitu innato sibi intrinseco vnionem sui cum Angelis præcisè, vt mouentibus localiter. Quapropter, tametsi ea respondendi ratio contemni non possit, sed plurimi reuerenter facienda sit, vtpotè auctorem habens D. Thomam, aliosque magnos Doctores; placet nihilominùs indicare potiùs, ac tentare, quàm dare, & stabilire ex professò alium respondendi modum.

Art. 3. Cœlos esse alterabiles, & inter alia, capaces condensationis, & rarefactionis, vsque adeò efficacibus, & claris documentis ostendunt moderni astronomi, vt videatur non posse iam ampliùs id in dubium facile reuocari. Positis autem vicibus condensationis, & rarefactionis, & (quod ex eadem causa necessariò prouenit) emissionibus vaporum, & receptionibus pluuiarum, aut influxuum quasi pluuialium, negari non potest motus localis cœlorum ab eadem virtute ipsorum propria proueniens, à qua prouenit vtraque illa vicissitudo dispositionis eisdem intrinsecæ. Quia nequit corpus in eodem omninò loco consistere, quoad omnes suas partes, dum rarefit, & dum condensatur; emittit sursum partes sui, easdem deinde relabentes recipit. Rursus posito, hac de causa, aliquo motu locali cælorum orto ab actiuitate ipsorum propria, & ab influxu mutuo aliorum in alia corpora cœlestia, facile est credere, etsi fortè non sit facile ad plenum ostendere, corpora cœlestia eadem actiuitate ipsorum propria fortiri totum eum motum localem, quo circumaguntur defacto, & quo indigent corpora sublunaria, absque maiori indigentia impulsus, & directionis Angelorum, quàm sit in mari ad fluxum, & refluxum, quibus ordinatissimè perpetuo agitatur, in ventis, & aliis eiusmodi. Habent itaque Cœli appetitum innatum, & leges suas sibi intrinsecas respectu motuum, quos peragunt, & respectu effectuum quos mediantibus illis producunt. Verùm de hac re alius erit dicendi locus.

Ad 6. Lex naturæ inductiua necessitatis in Deum ad bonum vnicuique naturale, primitùs, & tamquam in prima radice præexistit in dictamine simpliciter, & absolute necessario Sapientiæ Dei iudicantis, vel nihil omninò creandum esse, vel creandum esse in numero, pondere, & mensura, idest cum proportione, & ordine congruenti, quidquid creabitur. Huic legi conformatur necessariò determinatio libera Dei creandi aliquid, ita vt sit libera, quatenùs est volitio creandi, sed non sit præterea specialiter libera, quatenùs vult proportionem, & ordinem congruentem rerum, quarum existentiam liberè eligit. Istud porrò decretum liberum Dei est lex proxima, & immediata naturæ, cui necessariò parent res creatæ procedentes ab eodem decreto necessitate parendi realiter indistincta ab entitatibus ipsarum. Quæ proindè necessitas dicitur lex passiua natura essentialiter conformis legibus actiuis sapientiæ necessariæ, & decreti liberi Diuini, modo dicto. Dicitur etiam appetitus innatus eadem illa necessitas conformitatis cum vtraque lege actiua. Appetitus namque innatus, idest, non directus ratione, quæ insit ipsi appetenti, dicitur talis relatè ad appetitum elicitum, & intellectualem eius, à quo dirigitur, & perducitur ad opus, finemque suum idem appetitus innatus, & entitas, cui ille ineest. Ac demum eadem illa necessitas, & hic appetitus innatus sunt propriè, & sine metaphora proportio vnius entitatis cum alia entitate. Patet itaque ex his, quales sint, & quid sunt, & quòd omni vacent absurditate leges naturæ, quas inducit prouidentia Dei, & quibus eadem deuincitur, & quomodo deuinciatur. Patet insuper ex iis omnibus, quæ dicta sunt in hac quæstione circa necessitatem Dei ex suppositione, iunctis iis, quæ præmissa sunt quæstion. 20. circa indifferentiam absolutam Dei, quanti sit momenti vtraque hæc doctrina, si attendatur D. Thomas l. 2. contra gent. c. 29. vbi præmissa vtraque ea assertione, altera confirmata eodem illo in capite, altera confirmanda in capite 30. proximè sequenti, concludit sic: *Sic igitur excluditur duplex error, eorum scilicet, qui Diuinam potentiam limitantes, dicebant Deum non posse facere, nisi quæ fecit, quia sic facere debuit; & eorum, qui dicunt, quòd omnia sequuntur simplicem voluntatem eius absque aliqua ratione, vel quærenda in rebus, vel assignanda.* Legatur vtrumque illud caput: vtrumque enim æquè efficaciter, & vtrumque efficacissimè, quantum quidem ego assequor, concludit intentum suum, & nostrum.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum prouidentia Dei purè naturalis possit esse specialiter gratiosa erga aliquos?

VIDETVR erga neminem posse specialiter esse gratiosa, nisi prætergrediatur limites naturæ, & superinducatur prouidentia supernaturalis. 1. Quia, vt dicit D. Thomas in 4. distinct. 46. q. 1. art. 2. ad 1. quæst. in responsione ad 2. *Quòd Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiæ. Sed quòd aliqua natura producta ei attribuatur, quòd illi naturæ competit, hoc ad eius iustitiam pertinet, & contrarium eius iustitiæ repugnat.* Deus autem vt auctor naturalis id solùm vnicuique attribuit, quod illius naturæ competit ex se. Ergo quidquid Deus præstat, vt prouisor rerum naturalis, præstat ex obligatione iustitiæ, & quidem tàm strictæ, quàm significat idem, ibidem ad 2. quæst. *Dicendum quòd Deus se ipsum negaret, si creaturæ non conferret, quòd ei debetur secundum suam dispositionem. Si enim veritatem non seruaret in operum conditione,*

ne, vel gubernatione. Quod ipsum repetit in præsenti quæst. 21. art. 4. c. Si quidem ergo tanta necessitate omnibus confert, quidquid eorum naturæ competit, & quidquid fert eorum dispositio, atque hoc solùm naturaliter conferre potest; nihil vtique prouidentia Dei naturalis conferre cuiquam potest, in quo sit specialiter gratiosa, & liberalis; sed solam exercere potest gratiam creationis, quæ est rebus omnibus creatis indiscriminatim communis.

2. Ideò est specialiter gratiosum, quod superadditur respectu alicuius, vltra ea, quæ sunt omnibus communia, quia posset eidem negari suppositis iisdem, quæ sunt omnibus communia: Prouidentia autem purè naturalis Dei nullam eiusmodi superadditionem facere potest. Quia omnibus necessariò confert, quidquid est optimum inter ea, quæ sunt vnicuique connaturalia, vt constat ex quæst. præcedenti. Ergo nullus est locus speciali alicui gratiæ, aut beneficio alicui peculiari intra ordinem naturæ.

3. Quòd quis obtineat à Deo proprietates naturales necessariò consequentes ad naturam eius, non potest esse gratia specialis Dei: Ergo neque potest esse specialis gratia, quod consequatur aliquid aliud naturaliter possibile. Patet consequentia. Quia omnia naturaliter possibilia proueniunt cum tanta necessitate ex tota collectione causarum naturalium, quanta cum necessitate effluunt ex vnaquaque entitate proprietates naturales eiusdem. Confirmatur ex D. Thoma 1.2.q.111.art.1.ad 2.vbi præmisso duplici debito, altero secundum merita, altero secundum conditionem naturæ, concludit sic. *Dona igitur naturalia carent primo debito, non autem carent secundo debito: Sed dona supernaturalia vtroque debito carent, & ideò specialius sibi nomen gratiæ vendicant.* Est igitur contra rationem doni naturalis, vt careat omni debito. Nullum igitur donum naturale specialiter gratiosum esse potest; aut aliter indebitum, quàm per denominationem à creatione, quæ est omnibus æqualiter indebita absolutè, & secundum se.

Art 1. Respondetur. Dubitari nequaquam potest, quin Deus, vt auctor naturalis, & per prouidentiam purè naturalem, nullaque inducta operatione supernaturali possit conferre, quibus voluerit, plura beneficia specialia, cum potestate, & plena libertate eadem eisdem negandi. Quod imprimis apertè colligitur ex precibus, & orationibus, quas omnes homines naturaliter fundunt ad Deum. Nec enim miracula à Deo postulant homines, aliudve genus operationis supernaturalis, quoties ab ipso petunt serenitatem tempore nimiùm pluuio, pluuiam post nimiam siccitatem; ægrotantes bonam valetudinem; sobolem coniugati carentes hærede; aliique alios prosperos prælij, nauigationis, similesque pænè innumeros euentus: Quorum nihil inutiliter, & stultè petitur à Deo; sed laudabiliter, ac vtiliter, tametsi nihil supernaturale petatur, vel quoad substantiam, vel quoad modum. Oratio autem est clarissima gratiæ manifestatio; quod est familiare, idemque certissimum Augustini principium l.de Natura, & Gratia c. 16. epist. 95. & 107. & alibi perspè. Ergo Deus intra ordinem naturæ, nullaque exercita operatione supernaturali, potest vti prouidentia specialiter gratiosa erga aliquos, superaddendo illis ea beneficia peculiaria, ad quæ conferenda sollicitatur precibus mortalium, & quæ proinde non sequuntur cum omnimoda necessitate ad donum creationis, ideóque sunt gratia aliquo modo specialis superaddita, cum noua libertate, vltra donum creationis, quod est omnibus commune; ideoque non ita debentur postulantibus, sicut debetur grauibus motus deorsum, leuibus motus sursum, calefactio existenti prope ignem.

Art. 2. Hoc idem colligitur clarè à posteriori. Quia plures præeminent aliis quoad plura bona naturalia, & naturaliter obtenta; nec fieri naturaliter potest, vt non detur in humano genere huiusmodi inæqualitas bonorum naturalium. Necesse namque est, vt quidam dominentur, & alij subsint; quidam ex dominantibus nati gaudeant splendore natalium peculiari, eodemque alij careant nati ex vilioribus; quidam crasso sub aëre nati, & veruecum in patria crassum sortiantur ingenium, aut indolem duram; alij è contra mitiori expositi solis aspectui, ingenio, & indole euadant excellentes. Cuiusmodi innumera discrimina bonorum naturalium cernuntur in hominibus, nullo, aut vix vllo existente æquali alteri, quoad omnia. Quilibet autem excessus vnius indiuidui præ alio indiuiduo eiusdem infimæ speciei est gratia Dei specialis, & aliquo modo distincta à dono creationis. Quia quòd contigit vni, potuit naturaliter contingere alteri, cui de facto negatum est; & similiter potuit negari, cui concessum est defacto; cùm enim vterque supponatur esse eiusdem infimæ speciei, neutri potest inesse exigentia innata, ratione cuius sibi deberetur discrimen ab alio excessiuum potiùs, quàm depressiuum respectu eiusdem. Quod si neutri debetur excessus potiùs, quàm inferioritas respectu alterius, ad liberam electionem, & gratiam Dei pertinet, vt cui voluerit, conferat excessum, idest, gratiam peculiarem, vtque eandem neget alteri. Vndè etiam in ordine naturali, locum habet illud Apostoli 1. ad Corinth. 4.7. *Quis te discernit?* Ad Deum namque pertinet omnis discretio perfectiua, & melioratiua vnius ab alio, non solùm quoad bona supernaturalia, sed etiam quoad bona naturalia, cùm nemini secundum se præcisè insit ius ad prælationem respectu æqualis in natura. Quapropter tot existunt testimonia prouidentiæ Dei specialiter gratiosæ erga aliquos intra limites naturæ, quot existunt eiusmodi discrimina, & disparitates inter homines, quæ sunt penè infinita. Nec enim subtrahi Deo potest, tamquam causæ, & prouisori vniuersali, determinatio eorum, quæ ex se sunt indeterminata, & indifferentia, quoad ea omnia, quoad quæ indeterminata, & indifferentia sunt.

Art. 3. Fons, & origo adæquata omnium eiusmodi gratiarum, & beneficiorum specialium intra ordinem naturæ sunt, locus, & tempus, vbicatio, & duratio. Vnumquodlibet enim ens creatum est ex se indifferens ad omnem locum, & ad omne tempus in quo, & pro quo existit, aut existere naturaliter potest aliquod aliud eiusdem infimæ speciei, & ex vtriusque, aut altervtrius delectu ad Deum pertinente proueniunt omnes aliæ differentiæ quoad omnem excessum, & inferioritatem vniuscuiusuis, respectu cuiusvis alterius, quoad omnia bona natura ia, quatenùs naturaliter consequibilia, Nempè quòd huic determinate indiuiduo contigerint bona indoles, acumen ingenij, pulchritudo, validæ vires corporis, nobile natalitium, salubris aër, & alimenta salubria, liberalis, ac proba educatio, aliaque similia naturæ dona, prouenit vnicè ex prouidentia Dei naturali eligenti eius animæ creationem, & vnionem ad corpus eo tempore, eo locò, vbi, & quando aderant causæ naturales omnium eorum bonorum, cùm potuisset idem indiuiduum addicere tempori, & loco, vbi, & quando non adessent causæ eorundem bonorum, & adessent omnes causæ contrariæ. Patet igitur prouidentiæ Dei purè naturali aditus ad innumera beneficia, & gratias speciales respectu cuiusuis indiuidui ex libero delectu temporis, & loci pro generatione cuiusque.

Art. 4. Verùm nondum apparet aditus orationibus opportunè ab vnoquoque fundendis ad Deum, vt auctorem naturalem. Quia nemo orare potuit, antequam nasceretur, & in natiuitate nactus est determinatum locum, & tempus, ex quorum determinatione

tione pendet determinatio cæterorum omnium naturaliter possibilium, atque inter alia, determinatio vlterioris durationis, omniumque vbicationum, quas quisque acquirere de nouo potest. Omnia enim eiusmodi proueniunt ex causis præexistentibus cum determinato appetitu ad determinatos effectus, & quæ proueniunt ex libera hominis electione non videntur subesse prouidentiæ Dei, vt auctoris naturalis, nisi quatenus exponenti vnumquemque hominem tali determinato occurrit causarum naturalium excitantium necessariò tales determinate cogitationes, & tales subinde determinatè simplices complacentias: vnde si tota series causarum naturalium libertatis expertium pendet, respectu cuiusque, ex sola libera electione temporis, & loci, respectu natiuitatis, nulla superierit materia idonea orationis, & precum ad Deum, vt auctorem naturalem, circa quam vnusquisque orare possit. Quòd planè est absurdum, vt initio præmissum est.

Art. 5. Considerandum itaque præterea est, in assidua agitatione, & motu locali corporum ex condensatione, & rarefactione superuenientibus de nouo, & ex impulsu aliorum in alia corpora, occurrere naturaliter plures opportunitates liberæ electionis Diuinæ, vt complures causas, vel applicet profuturas, vel abigat nocendi vi præditas respectu cuiusque, dirigendo vniuscuiusque causæ motum in vnam potiùs partem, quàm in aliam. Sæpè enim contingit, vt corpus sit determinatum ex dispositione physica sibi inhærenti ad motum sursum, vel ad motum deorsum, & tamen non sit determinatum, vt dextrorsum potiùs, quàm vt sinistrorsum moueatur ex vi eiusdem suæ dispositionis. Si enim corpori recens rarefacto, atque leui, ideóque iam determinato, vt feratur sursum, prout apparet in vapore, & flamma, occurrat impedimentum, quominùs ascendere possit per lineam rectam, idemque impedimentum æqualiter se habeat ad quemlibet ex motibus obliquis, nulla profectò dabitur determinatio motus localis per vnam potiùs, quàm per aliam lineam obliquam æquè distantem à recta. Nulla, inquam, dabitur determinatio ex vi causarum secundarum. Pertinebit igitur ad Deum, vt auctorem naturalem, determinatio, & directio eiusmodi motuum indifferenter exactorum per res creatas. Eiusmodi autem electione poterit easdem causas, seu nocentes, seu fauorabiles applicare, cui volet, & remouere, à quo volet, facta comparatione inter eos, qui subsunt diuersis illis lineis obliqui motus, & consequenter sunt æquè expositi omnibus aliis & motibus, & effectibus earundem, aliarumque deinde plurium causarum, qui considerari facilè possunt prouenturi ex prima illa electione libera motus, cum propagatione propè infinita effectuum inæqualium respectu diuersorum indiuiduorum, vt patet inter alia ex fulminis, aut etiam paruæ scintillæ directione in vnum potiùs locum, quàm in alium.

Art. 6. Quia verò irrequietus motus spirituum vitalium, aliorumque humorum intra ipsum hominem existens cum multiplici impedimento ex interiectis aliis humoribus, aliisque dispositionibus physicis, quominùs peragatur motus rectus, & cum expeditione æquali multiplicis motus obliqui, necesse est, vt hinc etiam suppetat Deo, tamquam auctori naturali, materia multiplex beneficiorum specialium, erga vnumquemque, directis illis motibus pro arbitrio, per se, vel per Angelos, prout confert ad maius bonum physicum, & morale cuiusque; vel secus. Vtiliter itaque funduntur preces ad Deum, vt auctorem naturalem; vt videlicet, vertat in vtilitatem orantis motus locales, ad quos agentia naturalia sunt ex se, & ex omnibus circumstantiis creatis omninò indifferentia; cùm tamen sint determinata ex se, vt versus aliquam tandem partem moueantur.

Art. 7. Ex dictis colligi obiter potest, in quo differant fortunati ab infortunatis, & quid ipsa fortuna sit. Philosophus diù multumque quæsiuit hæsitanter de hac re, oppressus difficultate coniiciendi quidditatem fortunæ. Quam suam hæsitationem præcipuè declarat lib. 7. Ethic. ad Eudemum, vbi concludit fortunam nec intellectum videri, nec opus intellectus, quia stolidis plerumque arridet; nec naturam, quia fortuna fauet æqualibus inæqualiter; cùm natura æqualiter feratur ad æqualia; nec Deum, quia homines nequam, ac scelerati prospera non rarò fortuna potiuntur, cùm Deus probitati præferre nequitiam nequaquam possit. Dicendum verò est prosperam fortunam actiuè sumptam, esse prouidentiam Dei specialiter gratiosam intra limites naturæ, vti nuper expositum est; neque quidquam aliud sensu vero, & catholico dici, aut esse posse fortunam. Quia omnia, præter peccata, existunt auctore Deo, omniaque substant iustissimis prouidentiæ supremæ legibus; nec est vlla alia origo vllius boni, aut vniuersalis, aut specialis, non trahens indè primam suam originem discretiuam cuiusque à cæteris, quoad minima, maxima, & media, absque vlla exceptione. Hoc solùm est discrimen inter eas duas voces fortunæ, & prouidentiæ, iuxta communem illarum vsum; nempè fortunam à vulgo, & profanis hominibus in bona temporalia, & sensibilia, atque extra nos posita præcipuè intentis, frequentiùs vsurpatam, accipi propterea communiter pro ea causarum dispositione, vi quarum contingit alicui, vt præemineat aliis eiusmodi bonorum copia; prouidentiam verò Dei specialiter gratiosam, Theologis maximè, ac piis viris familiarem, accommodari plerumque earum, vel maximè causarum dispositioni significandæ, ex quibus proueniunt cogitationes, & complacentiæ efficaciùs permouentes, & frequentiùs actu pertrahentes ad opera honesta, conducentia ad finem vltimum hominis consequendum, quo quisque solo simpliciter, & plenè fortunatus euadit.

Artic. 8. Ab hoc eodem, apud disparis adeò conditionis homines, magis familiari vtriusque vocis vsu, alia præterea redundauit inter vtramque differentia. Nimirum fortunam accipi sæpè pro ipso bonorum sensibilium cumulo, quo quisque est fortunatus in se immediatè; sæpiùs pro causis creatis proximis, atque opportunitatibus illorum bonorum; rarenter pro prima eorundem origine existenti intrà Deum. Prouidentiam è contra specialem, seu specialiter gratiosam accipi, vt plurimum pro actibus intellectus, & voluntatis Diuinæ, quibus destinantur maiora bona alicui indiuiduo, quam aliis eiusdem speciei; rariùs verò pro causis creatis proximis eiusmodi bonorum, aut pro ipsis bonis. Itaque fortuna est prouidentia specialis, seu specialiter gratiosa passiuè sumpta; & hæc prouidentia est fortuna actiuè sumpta iuxta solemnem, magisque communem vtriusque vocis vsum. Cæterum si vtraque actiuè, vel vtraque passiuè sumatur, distinguuntur, vt pars, & totum, ex communiori hominum apprehensione. Quia fortuna solam complectitur prærogatiuam, quoad bona temporalia, & sensibilia; prouidentia, quoad omnia, & quælibet bona. Rursus, si fortunam dicamus respectu habito ad ea omnia bona, quibus aliquem vnum contingit vtcumque præminere aliis, & bene in se habere specialiter; nihil illa differt reipsa à prouidentia Dei speciali, seu specialiter gratiosa, quam exposuimus ex sensu communi Theologorum, quoad substantiam, & quoad modum, ex principiis, quæ eidem communi sensui existimamus esse conformia, suntque eodem proportionaliter

tionaliter modo traducenda ad prouidentiam supernaturalem Dei ordinariam, vt infra patebit.

Art. 9. Ex asserta reali indistinctione prouidentiæ Dei specialiter gratiosæ à fortuna, iuxta legitimam huius vocis significationem, deducitur ratio à priori, qua nititur inconstantia fortunæ, querulis adeò mortalium vocibus incautè, ac iniustè vexata. Ratio autem est, quia, quòd bonorum copiâ, solo causarum naturalium occursu, & concursu partâ, quidam præemineant, accidere nequit absque æquali aliorum iactura. Causæ namque naturales, vt patet in sole, & aliis quibusvis, non possunt vbique eædem, aut eodem modo adesse, ac proindè nec æqualiter operari. Quapropter necesse est, vt existente alicubi propitio, quoad aliquem effectum, aut effectus aliquos, causarum occursu, existat alibi causa inducens tantundem nocumenti in eodem genere. Imò aliqua bonorum genera, vt dominatio, suaptè natura hoc habent, vt non possint omnibus, aut etiam pluribus simul adesse. Deus autem, vt auctor vniuersalis omnium, qui diligit omnia, quæ sunt, & nil odit eorum, quæ fecit, exercet prouidentiam similiter vniuersalem, & prospicientem commodis omnium. Vndè, quibus, causas aliquorum bonorum specialiter prouidet pro aliquo tempore, aliorum bonorum causas, vt in alios ea traducat, eodem tempore subtrahit. Imò, & vicissitudine eorundem bonorum, & causarum plures ob eundem finem plerumque peruagatur diuersis temporibus. Iis autem, quibus rariùs confert vniformem in vita mortali, vel prosperitatem, vel aduersitatem, reseruat compensationem post hanc vitam iuxta vsus bonos, vel malos, quibus vnusquisque præibit antè mortem, vti indicatum est quæst. 26. Quo satisfit rationi dubitandi superiùs attactæ ex Philosopho, cui perperam visum est Deum prælaturum esse absolutè pessimos optimis, si eius voluntate, & prouidentia euaderent homines fortunati, & infelices, quoad bona temporalia; quandoquidem eo ipso quòd temporalia sunt, minima bona sunt; ideóque prælatio simpliciter talis debet attendi quoad bona æterna, & mansura sine fine, eorumque iacturam pariter æternam. In hunc igitur modum est possibilis, & datur in Deo prouidentia specialiter gratiosa erga aliquos intra limites naturæ, & propria auctoris purè naturalis.

Ad 1. Doctrina illa D. Thomæ accipienda est de iis, quæ consequuntur in vnoquoque ad rationem eius specificam, quæ ab aliis communiter intelligitur nomine naturæ, qualia sunt in igne calor, humiditas in aqua, & similia. Cæterùm quo ad ea, quæ non possunt inesse omnibus indiuiduis, aut non possunt æqualiter inesse; possunt verò inesse aliquibus, aut inæqualiter omnibus, non datur ea ratio iniustitiæ, aut alterius cuiusquam absurditatis, si quibusdam specialiter conferantur, aliisque negentur, vel inæqualiter aliis atque aliis, conferantur.

Ad 2. Dicitur similiter Deum vnicuique conferre, quod est optimum inter ea, quæ vnumquodque exigit determinatè ex conditione suæ naturæ, & ex dispositione conueniente sibi secundum se præcisè; sed supereresse nihilominùs, locum speciali beneficentiæ naturali, quoad aliquos effectus ex speciali delectu loci, & temporis, quorum exigentia, & appetitus omninò determinatus nulli substantiæ conuenit, & à quorum determinatione pendet determinatio plurium aliorum bonorum respectu cuiusque.

Ad 3. Proprietates, quæ dicuntur naturales, exiguntur determinatè ab vnoquoque indiuiduo, ideóque proprietates dicuntur. Sunt autem alia plura bona naturalia, quæ similiter debentur speciei, seu vagè, & indeterminatè aliquibus indiuiduis, sub vnaquaque specie contentis; non tamen debentur similiter omnibus indiuiduis speciei, vt apparet ex rationibus, & exemplis superiùs propositis. Eiusmodi igitur bona, quatenùs determinatè debentur alicui speciei substantiarum naturalium, differunt à donis supernaturalibus, quæ superant proportionem, & appetitum innatum totius speciei, vt exponitur accuratè quæst. 6. de Gratia, idque solùm intendit D. Thomas, dum, respectu donorum supernaturalium, negat omne debitum. Nec enim est omninò indebitum, quod debetur saltem vagè. Quatenùs verò eadem bona non sunt determinatè debita vnicuique indiuiduo, sunt idonea materia specialis beneficentiæ, & prouidentiæ specialiter gratiosæ erga eos, quibus conferuntur defacto, dispositione causarum secundarum eatenùs specialiter prouisa per liberam electionem loci, & temporis, tam respectu earum causarum, quàm respectu eorum subiectorum, modo dicto.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum prædestinatio ad gloriam sit efficaciter prædefinitiua meritorum?

VIDETVR non esse efficaciter prædefinitiua meritorum, saltem formaliter, quatenùs prædestinatio est ad gloriam. 1. Quia, vt dicit Damascenus l. 2. Orth. fidei: cap. 30. initio; *Istud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire, Præscit enim ea etiam, quæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt; & non item ea præfinit.* Merita autem, atque consequutio gloriæ in nostra potestate, atque arbitrio sita sunt, præsuppositis auxiliis gratiæ Dei. Ergo non datur in Deo prædestinatio prædefinitiua eorum.

2. Prædestinatio est pars subiectiua prouidentiæ: Prouidentia autem consistit formaliter in actu intellectus, vt dictum est quæst. 26. cum D. Thoma, & aliis. Ergo non est de conceptu formali prædestinationis voluntas prædefinitiua meritorum.

3. Omnia creata ordinantur à Deo ad suos fines non minùs, quàm homines, & Angeli. Cætera autem, vt plantæ, & bruta, non dicuntur prædestinari à Deo; tametsi dependeant à voluntate prædefinitiua Dei, & præordinatiua ad suos fines. Ergo nec Angeli, & homines dicendi sunt prædestinari ad gloriam, quæ est eorum finis, sed solùm præordinari ad illam simul cum meritis, quæ habent rationem medij.

4. Præhabita scientia media de euentu futuro sub vnoquoque auxilio gratiæ Dei, & superaddita electione eorum determinatè auxiliorum, quæ præuisa sunt futura efficacia, si conferantur, ad perseuerantiam finalem in gratia, & consequenter ad obtidam vitam æternam; eo ipso redditur infallibilis consequutio gloriæ, necnon specialiter benefica collatio eorum auxiliorum. Ergo neque ad certitudinem prædestinationis, neque ad specialem beneficentiam Dei, vel erga prædestinatos, vel erga reliquos bene operantes, quatenùs benè operantes, requiritur vlteriùs, aut prædiffinitio efficax meritorum formaliter talis, aut formalis electio præordinatorum ad gloriam. Neutra igitur vllo ex capite necessaria est. Et aliundè vtriusque exclusio est necessaria; certè est longè expeditior ad saluandam indifferentiam arbitrij creati. Neutra igitur est admittenda in Deo.

Art. 1. Respondetur. Considerationi prouidentiæ

Dei

Dei naturalis succedit ex sua natura consideratio prouidentiæ supernaturalis : quatenùs ordo supernaturalis præsupponit ex sua natura ordinem naturalem, eique superaddit, quæcumque ad ipsum pertinent. Superaddit verò dona excedentia ratione suæ bonitatis, & perfectionis peculiaris, exigentiam, & proportionem totius naturæ. Existentia prouidentiæ huiusmodi supernaturalis de facto apparet clarè ex quæstione 10. & 11. in quibus ostensum est visionem Dei esse intrinsecè supernaturalem, atque ad eandem eleuari homines de facto à Deo tanquam ad finem suum vltimum. Vnde consequens est, vt media, quæ de facto prouidentur homini à Deo, sint itidem supernaturalia, & quidem intrinsecè, & quoad substantiam supernaturalia, si quidem conferant ad eum finem positiuè, & per se, siue mediatè, siue immediatè ; vel etiam remotissimè, vti pluribus demonstratur quæstione 7. & 8. de Gratia. Vndè prouidentia supernaturalis Dei est purè gratiosa, & purè liberalis, respectu naturæ humanæ, & Angelicæ, secundum se præcisè consideratæ, quoad omnes suos effectus. At supposita eleuatione vniuersali generis humani, & obligatione hominum procurandi, & consequendi per bona opera finem vltimum supernaturalem, iam est eisdem debita prouidentia supernaturalis mediorum, quatenùs sufficientium ad eundem finem ; sicut dictum est suprà, esse debitam ex natura rei prouidentiam mediorum, & bonorum omnium vnicuique connaturalium ex suppositione, quòd existat. Quapropter nihil necesse est, vt superaddatur, circa prouidentiam Dei supernaturalem, quatenùs inductiuam eius sufficientiæ præcisè sub conceptu sufficientiæ. Quia quoad hoc est eadem ratio de prouidentia supernaturali, quæ modo consideranda superest, & de prouidentia naturali iam ante explicata. Iam verò prouidentia supernaturalis specialiter gratiosa, alia est miraculosa, quæ dicitur extraordinaria, alia non miraculosa, quæ dicitur ordinaria. Circa prouidentiam miraculosam nihil necesse est, vt specialiter dicatur in præsenti, quia de miraculis, quorum sola cognitio desiderari posset ad peculiarem intelligentiam eius prouidentiæ, alius est agendi locus ; sed neque prouidentia supernaturalis ordinaria, quatenus specialiter gratiosa indiget peculiari expositione quoad eos effectus, qui proueniunt ab ipsa, independenter à nostra libera cooperatione, & electione, quia eadem de ipsa eatenus ratio est, atque de prouidentia naturali specialiter gratiosa, iam ante explicata : nisi quòd prouidentia supernaturalis inducit specialiter plures effectus per actiuitatem immediatam solius Dei independenter ab applicatione speciali causarum secundarum, respectu cuiusque indiuidui rationalis per liberam electionem temporis, & loci explicatam in q. præcedenti. Explicanda igitur superest eadem prouidentia supernaturalis specialiter gratiosa erga aliquos, quoad ea media, quæ à nostra simul libertate dependent, nempè quoad actus nostros liberos conducentes in vitam æternam, respectu quorum dicitur prædefinitiua ; necnon quoad ipsum finem vltimum supernaturalem, respectu cuius dicitur prædestinatiua. Vtriusque autem eius partis intelligentia, & expositio pendet ex eodem principio, eodemque contextu doctrinæ, vtraque commodiùs exponetur indiuisim, vt apparebit ex discursu sequenti.

Art. 2. Omnes effectus agentis formaliter liberi pendent ab eius electione. Quia agens formaliter liberum ad aliquod opus, non determinatur ad ipsum, nisi per electionem eius. Secluſa enim propria electione solùm superest, vt vel determinetur ab alio agente, quatenus electiuo formaliter, vel determinetur casualiter, & fortuitò. Vtrumlibet autem horum repugnat libertati formali in opere, vt per se patet. Iam verò Deus est agens formaliter liberum, respectu omnium rerum creatarum absque vlla exceptione, vt superiùs dictum est, iuxta illud Esther. 13. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Et iterum v. 11. *Dominus omnium es ; nec est, qui resistat maiestati tuæ.* Omnes igitur effectus creati pendent essentialiter ab electione libera diuina. Pendent igitur ab eadem consequutio etiam gloriæ, & dispositio ad eandem per merita : nec fieri potest, vt quisquam, vel adipiscatur gloriam, vel disponatur ad illam per bona opera, & vitationem peccatorum, quin ad hæc eligatur liberè à Deo, quatenus eadem conferente, & exequente ex vi suæ liberæ electionis.

Art. 3. Istam ipsam liberam Diuinam electionem consequutionis gloriæ, & præparationis per bona opera, docent specialiter, ac distinctiùs testimonia superius producta quæst. 18. pro illatione, & stabilimento scientiæ mediæ. Illud verò, vel maximè docet, quod producitum est ex Apostolo dicente, quòd *Deus cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat :* & comparante potestatem eius potestati figuli, vt *ex eadem massa faciat aliud vas in honorem, aliud autem in contumeliam.* Miseretur enim profectò Deus, & eius, qui liberatur à massa perditionis, perduciturque ad vitam æternam ; & eius, qui præseruatur à peccato, atque statuitur in obseruantia mandatorum, & in amore honestatis, idemque fit eatenus vas in honorem, siquidem eatenus est laudabilis, & honorabilis ; sicut est vilis, ac vituperabilis, qui relinquitur in massa perditionis, & incidit in peccata. Vtrumque igitur hoc extremum subiacet liberæ electioni Dei statuentis de singulis quoad omnia, & singula, prout vult. Qua de causa merito pronunciat Augustinus cap. 14. de Corrept. & Grat. quòd *Deus habeat in potestate voluntates hominum magis, quàm ipsi suas.* Vnde sicut homini non nisi per electionem propriam contingit determinatio ad ea, quæ habet in potestate ; ita Deo euenire minimè potest, nisi per electionem suam liberam ; vt detur determinatio hominis ad suas ipsas electiones, & ad ea, quæ pendent ab eisdem electionibus, vti pendet consequutio gloriæ. Qua de re redibit iterum sermo q. 34. Cum ergo merita hominis, & consequutio gloriæ, vt coronæ, sint in potestate Dei magis etiam, quàm in potestate ipsius hominis, fieri non potest, vt detur à parte rei determinatio aliqua, aut circa gloriam, aut circa merita, nisi dependenter ab electione libera Diuina. Datur igitur in Deo electio efficax formaliter libera, tum omnium meritorum, tum gloriæ totius, quæ existunt de facto.

Art. 4. Electio autem coëxistens tempori antecedenti ad tempus, pro quo debet existere res electa ex vi eiusdem electionis, dicitur prælectio, præordinatio, & prædefinitio eius rei. Constat autem omnem electionem Diuinam coëxistere trmpori antecedenti ad tempus, pro quo existit quilibet effectus creatus : Quia est electio essentialiter æterna ; ideóque infinitè prior qualibet differentia temporis determinatè sumpta ; ideſt coëxistens actu, vel potentia prioribus aliis differentiis temporis syncategorematice infinitis. Dicitur rursus destinari aliquem ad finem, seu gradum aliquem dignitatis, dum ad illum eligitur, ac ordinatur ab alio ; maximè si finis, & gradus excedat proportionem suæ naturæ, nec ipsi ex se insit determinatio intrinseca, & dignitas ad illum sufficiens ; cuiusmodi finem, & gradum constat esse gloriam, respectu hominis, & Angeli considerati præcisè secundum naturam vtriusque, vti nuper suppositum est ex antea dictis. Si autè huiusmodi destinatio existat pro tempore antecedenti, eadem ratione erit, dicetur-que prædestinatio, qua electio antecedens nuncupatur

prædefinitio. Cùm igitur innotuerit dari in Deo præuias electiones meritorum, & gloriæ, dicendum est consequenter dari in Deo prædestinationem gloriæ prædefinitiuam efficaciter, & determinatè meritorum, respectu omnium, qui de facto consequuntur gloriam, vt coronam; respectu verò cæterorum, prædefinitiuam similiter aliorum mediorum inducentium gloriam per modum puræ hæreditatis.

Art. 5. Prædestinatio ista definitur ab Augustino c. 14. de bono perseuerantiæ: *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Quæ definitio admittitur ab omnibus in præsenti cum Magistro dist. 40. & apud D. Thom. quæst. 23. art. 1. Nomine præscientiæ intelligitur à nonnullis sola scientia simplicis intelligentiæ: ab aliis hæc, & scientia media solum, vtralibet, vt connotans voluntatem approbatiuam Dei. Verùm, ex mente Augustini, intelligenda proculdubio est scientia quoque visionis, vel hæc sola. Quia D. Augustinus contraponit in toto eo contextu istam præscientiam illi, ratione cuius reprobi appellantur præsciti, in qua præscientia certum est includi scientiam visionis, si & sola hæc non includitur. Nomine præparationis beneficiorum intelligitur voluntas efficax Dei de conferendis mediis perducentibus cum effectu ad vitam æternam. Quia verò inter hæc media, non vltimum, sed præcipuum locum obtinent, respectu adultorum, ipsorum merita; ea etiam, vel maximè comprehenduntur sub voce beneficiorum Dei. Qua de re audiendus est Prosper ad excerpta Genuensium circa 8. dubium, vbi defendendo istam ipsam definitionem Augustini concludit; *præsciuisse incommutabiliter Deum, quibus esset daturus, vt crederent, aut quot daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quemquam. Et si hæc præsciuit beneficia sua, illum, quibus nos dignatur liberare, præsciisse, & hanc esse prædestinationem sanctorum, præscientiam scilicet, & præparationem gratiæ Dei, &c.* Ergo in beneficiis, quæ præsciuntur, & præparantur per prædestinationem, includuntur opera credendi, & cætera, quibus fit, ne quis perdatur. Tò *certissimè* refertur à nonnullis ad certitudinem solùs præscientiæ secluſa certitudine peculiari Diuinæ præelectionis. Quod tamen D. Thomas de Verit. quæst. 6. art. 3. pronunciat, & quidem meritò, vt apparet ex dictis, esse contra auctoritatem scripturarum, & dicta sanctorum, quæ vniuersaliter adscribunt electioni liberæ Diuinæ, eiusque efficacitati, quidquid est boni in rebus creatis, & quoad substantiam, & quoad modum, atque specialiter quidquid est discriminis ex parte iusti obseruantis mandata, & perseuerantis in illis finaliter, respectu peccatorum obduratorum, & reproborum. Liberatio communi omnium consensu intelligitur relatè ad massam perditionis, in quam coniectum erat genus humanum ob peccatum Adæ, eiusque propagationem in posteros. Vnde patet Augustinum exponere voluisse prædestinationem, prout de facto contingit, & non cum totali præcisione à præsenti rerum statu, & complectendo etiam Angelos.

Art. 6. D. Thomas q. 23. art. 1. complectitur eadem omnia, quæ Augustinus, definitione breuiori communi etiam Angelis, necnon hominibus pro quouis statu; idque terminis minimè controuersis, aut controuertibilibus. Dicit enim, prædestinationem esse *Rationem transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Vbi ratio ponitur, non pro solo actu intellectus, sed pro causa adæquata, modo videlicet loquendi familiari; dicente rationem, ob quam est vnumquodque, causam à qua primitùs determinante ipsum prouenit. Dici etiam potest prædestinatio, *Ordo substantiæ rationalis ad finem vitæ æternæ intra Deum existens.* Inquam, *intra Deum existens*, quia prædestinatio formaliter ex suo conceptu *non ponit aliquid in prædestinato, sed in prædestinante tantùm*, vt docet D. Thomas ibidem art. 2. Vt autem exponatur quidditas metaphysica prædestinationis; certum est ex fide dari de facto in Deo ab æterno prædestinationem sumptam pro lege, seu determinatione infallibili æterna inducente in tempore beatitudinem supernaturalem, & medsa ad eam necessaria, respectu omnium qui consequuntur illam de facto, vt apparet inter inter alia, ex 8. ad Rom. 29. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Et vers. 30. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, &c.* Et ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Constat igitur ex his omnibus dari in Deo prouidentiâ prædestinatiuam ad gloriam, eamque esse, efficaciter, & determinatè, prædefinitiuam meritorum, respectu eorum omnium, qui sequuntur illam per merita.

Ad 1. Damascenus in illis verbis solam negat Deo præfinitionem, qua liberum nostrum arbitrium antecedenter prædeterminet physicè ad vnum, ita vt auferat indifferentiam ipsi connaturalem in opere suo. Quod patet cùm ex ratione, quam immediatè subiungit: *Nec enim vitium admitti vult* (Deus) *nec rursus virtuti vim affert*: tum quia paucis interpositis addit *Deum, iuxta suam præscientiam omnia iam in bonitate, ac iustitia sua priùs decreuisse.*

Ad 2. Dictum quidem est supra, prouidentiam Dei formaliter, & ex modo nostro concipiendi consistere in actu intellectus, sed simul notatum est, obiectiuè, & vt est in se, includere indiuisim, etiam virtualiter intrinsecè actum intellectus, & voluntatis. Intentio autem quæstionis præsentis est, explicare, qualis sit reipsa in se intrinsecè prædestinatio Diuina: quòd scilicet intereſt plurimùm, vt sciatur: non verò qualis sit noster modus concipiendi ipsam relatè ad connotata extrinseca; quod leuioris est operæ, & facilè ab vnoquoque conici potest ex dictis hac de re in genere quæst. 26.

Ad 3. Omnia etiam irrationalia præordinantur à Deo in suos fines, & eatenùs dicuntur non rarò ipsa etiam prædestinari, sub latiori quadam significatione huius vocis. Cæterùm quia irrationalia non sunt capacia, quæ ordinentur ad aliquem suum finem peculiarem indebitum sibi determinatè, & ad quem non sint ordinata intrinsecè ex sua ipsa natura, sicut sunt capaces substantiæ rationales; propterea non possunt dici prædestinari sub ea propria, & stricta eiusdem vocis significatione superiùs obseruata; & iam in scholis vnicè recepta, sub qua substantiæ rationales prædestinari dicuntur.

Art. 1. Ad 4. Obseruatum iam est ex D. Thoma, & constat ex locis superiùs indicatis, non posse dici absque absurditate repugnante Scripturis, & Sanctis PP. prædestinationem esse certam sola certitudine præscientiæ, & non etiam infallibilitate intrinsecè efficaci diuinæ præelectionis ordinandorum ad gloriam, & mediorum perducentium ad ipsam. Deinde ad specialem beneficentiam, & misericordiam quam procul dubio exercet Deus, vt indidem constat, erga perseuerantes finaliter in gratia, & erga, quoscumque benè operantes, atque vitantes peccata, non sufficit, quòd conferat auxilia, quorum eiusmodi euentum præsciuit; sed necesse insuper est, vt velit, ac intendat formaliter ipsam circumstantiam boni euentus, vt dicetur vniuersaliter in qq. de Actibus Humanis; dum tradetur ex Philosopho, D. Thoma, & aliis communiter differentia contrahendæ bonitatis, & malitiæ per vnumquemque actum.

Art. 2. Ostendendum nimirum ibi est, bonitatem peculiarem obiecti præcognitam per intellectum; sed contemptam, ac prætermissam per voluntatem, non communicare actui voluntatis vllam, aut bonitatem,

bonitatem, aut æstimabilitatem peculiarem; licet malitia obiectiua peculiaris, seu peculiaris oppositio cum lege præcognita per intellectum, & contempta, seu quasi prætermissa per voluntatem, reddat actum eius specialiter contemptibilem, & malum, atque pœna, & vindicta dignum. Necesse igitur est, vt ponatur in Deo præter præscientiam euentus boni, seu conditionatè, seu absolutè futuri, voluntas præuia efficax, tum intentiua gloriæ, tum electiua efficaciæ auxiliorum, & actuum bonorum. Ne quis videlicet præeminere possit alteri, quoad aliquod suum bonum speciale, quin æquè, eodemque modo proportionaliter præemineat eidem, quoad amorem, & beneficentiam Dei peculiarem erga se, iuxta dicta supra q. 25. de Voluntate, & Amore Dei regulante, ac mensurante iustè bonitatem cuiusque rei.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrum electio efficax ad gloriam, vt coronam, præsupponat præscientiam absolutam meritorum?

VIDETVR præsupponere. 1. Quia August. l. 1. ad Simp. q. 2. col. 4. *Nemo*, ait, *eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reiicitur. Vnde quod dictum est, Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia*, videlicet meritorum. Ergo hæc præscientia præsupponitur ad electionem. Sola namque præscientia, eiusque præsuppositio facere potest, vt iam distet, qui eligitur, ab eo, qui reiicitur; dum alter eligitur, & alter reiicitur; siue, vt distantia præsupponatur ad electionem.

2. Augustinus nomine prædestinationis non intelligit electionem ad gloriam, quæ est ex meritis, sed electionem ad gratiam, ex qua sunt omnia merita. Quod probat Vasquez inter alia ex c. 10. de Prædestinatione Sanctorum, vbi sic habet. *Inter gratiam, & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio.* Vnde concluditur, testimonia Augustini, in quibus multipliciter innuit, & apertè tradit prædestinationem ante præuisa merita, nihil facere pro electione ad gloriam, sed pro sola electione ad gratiam ante præuisionem meritorum. Ex alia verò parte idem Augustinus docet sæpè sæpius adultos non eligi ad gloriam, nisi habita ratione meritorum; & causam, cur alij eligantur, alij non eligantur ad gloriam, esse ipsorum merita, vt videre licet in toto c. 7. de correptione, & gratia l. 83. qq. q. 68. post medium, inque aliis pluribus locis, quæ accumulat, & expendit diligenter in præsenti P. Vasquez. Clarissimè verò id habetur in libro ad articulos sibi falsò impositos circa articulum 12. vbi Augustinus, seu potiùs Prosper eius libri concinnator, ex Augustino sic dicit. *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent versuri, & in sanctitate, ac virtute mansuri.* Dicendum igitur est, prædestinationem sumptam pro electione ad gloriam, subsequi ad præuisionem absolutam meritorum, præsertim cùm id ipsum, quod Augustinus, doceant frequenter alij etiam Sancti PP. apud eundem Vasquez.

3. Merita, vt existentia in se intrinsecè à parte rei sunt causa collationis gloriæ, quatenùs exequutioni mandatæ in tempore, respectu adultorum. Ergo præuisio absoluta meritorum est causa voluntatis prædestinantis ad gloriam, vt coronam. Patet antecedens primùm ex Matth. 25. cap. semel, atque iterum, & ex Epistola Iacobi 2. 5. Vbi, & alibi sæpè redditur ex meritis ratio collationis gloriæ cum propositione aliàs formaliter, aliàs virtualiter causali ex meritis ad gloriam. Deinde gloria confertur adultis, vt corona, vt merces, vt præmium, & brauium, vti docet luculenter Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. atque de ratione horum est, vt sint effectus certaminis, victoriæ, & meritorum, vt traditur ibidem. Probatur itaque consequentia. Primò, quia causalitas meriti est causalitas purè moralis, & intentionalis; Ideóque non potest meritum esse causa præmij; nisi quatenùs cognitio ipsius meriti est causa motiua voluntatis conferentis præmium. Deindè voluntas absoluta, & efficax conferendi aliquid, quin præcedat cognitio absoluta meriti, & iuris ad illud, eo ipso est purè gratiosa, & liberalis, nec potest esse præmiatiua. Eo namque ipso nihil habet voluntas taliter collatiua, per quod differat à pura donatione, & à liberalitate purè gratuita. Demum eodem modo, quo significatur in sacris literis, præmium pendere à merito, & subsequi ad meritum; significatur etiam voluntatem prædestinatiuam ad coronam gloriæ pendere à præscientia meritorum, & subsequi ad eandem, vt appareat inter alia clarè ex illo ad Rom. 8. 29. & 30. *Quos præscivit, & prædestinavit*, &c.

4. Non potest prædefiniri à Deo efficaciter pœnitentia ante præuisum absolutè peccatum, vti docent plerique Theologi. Ergo neque corona gloriæ potest prædefiniri ante merita absolutè præuisa. Probatur consequentia. Quia non minùs pendet à meritis corona gloriæ, quàm pœnitentia à peccatis. Imò pendet illa magis; quia pendet à meritis, tanquam à causa sua: cùm pœnitentia solùm pendeat à peccato, tanquam à materia circa quam.

Art. 1. Respondetur. Præsupponitur in præsenti præscientiam conditionatam meritorum, seu merita ipsa, vt conditionatè futura, præsupponi virtualiter intrinsecè ante electionem efficacem ad gloriam, vt coronam, necnon ante prædefinitionem efficacem bonorum operum. Meritò autem id præsupponitur ex communi consensu Theologorum, tam negantium, quàm admittentium scientiam mediam. Et quidem apud Auctores scientiæ mediæ id in dubium reuocari non debet. Quia fundamentum principale eius scientiæ asserendæ in Deo est potestas libera Dei ad conuertendum cor hominis, quocumque voluerit, atque miserendi, cuius, & quando voluerit; & impotentia ex alia parte hæc omnia præstandi, non præeunte ad electiones Diuinas præscientia euentuum futurorum sub conditione vniuscuiusque actus primi, & vniuscuiusque auxilij conferibilis à Deo, qua videlicet sola proponuntur Deo ea extrema, vt eligibilia ab ipso; quam in rem sufficit videre, quæ dicta sunt quæstione 18. sub initium, præter ea, quæ obiter dicta sunt in decursu, de differentia scientiæ mediæ ad electionem, & reprobationem, non purè physica, sed formaliter) libera, & electiua inter ea omnia, ad quorum existentiam absolutam est indifferens, deque aliis eiusmodi, præsertim de prædestinatione prædefinitiua bonorum operum, tradita in quæstione proximè præcedenti. Eandem liberam electionem auxiliorum, vt efficacium, & prædefinitionem nostrorum operum essentialiter infallibilem colligit Augustinus ex oratione, qua petimus à Deo perseuerantiam finalem in gratia, atque cumulum bonorum operum necessarium ad illam. Colligit autem, & vrget multipliciter argumentum cap. 7. de Bono Perseuerantiæ, vbi clarissimè docet peti in in oratione Dominica, iubente Deo, vt petatur, perse-

perseuerantiam ipsam finalem, eamque intuitu orationum à Deo tribui per efficacem ipsius liberam præelectionem, & prædestinationem, & antecedente præscientia euentus futuri sub auxilio, quo nos præmunit in eum finem. Est autem efficacissima in hanc rem interrogatio, & responsio, quam præmittit ibidem c. 7. post medium. *Dicat mihi, quisquis audet, vtrum Deus dare non possit, quod à se poscì imperauit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit; sed insanit. Imperauit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes: ne inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit, vel dignus sit perseuerantiam sanctitatis amittere*; cum iis, quæ latè sequuntur efficacia, & pulchra. Non posset autem Deus talibus orationibus certò satisfacere, nisi præsupponeretur præscius modorum, & auxiliorum, quibus vnumquemque potest stabilire perseueranter in obseruantia mandatorum, atque in vitam æternam perducere. Ob hæc igitur, & alia multa, quæ non necesse est longiùs prosequi, necesse est præsupponere, tanquam certum, præscientiam conditionatam meritorum, ipsaque merita conditionata, vt mouentia non meritoriè, sed præcisè in genere causæ finalis, prout dicebat D. Thomas in dicta q. 18. præcedere virtualiter intrinsecè antè electionem ad gloriam, vt coronam, quam diximus prædefinitiuam meritorum. Hoc igitur supposito, quæritur; an similiter præcedat scientia absoluta meritorum, quæ vi, & causalitate sua merita inducant eam electionem?

Art. 2. Dicendum autem est prædestinationem, electionem absolutam, & efficacem ad gloriam, coronam, non esse, aut priorem, aut posteriorem virtualiter, intrinsecè, quàm præscientiam absolutam meritorum; sed esse purè concomitantem respectu eiusdem, seu potiùs indistinctam, ab eadem virtualiter intrinsecè. Primò, quia nullæ duæ terminationes liberæ Deo, virtualiter intrinsecè distinctæ, possunt sibi inuicem coëxistere, vt superiùs positum est q. 22. & magis ex professo q. 27. Electio autem ad gloriam, vt coronam, prædefinitio bonorum operum, voluntas collatiua auxiliorum gratiæ ad illa requisitæ, & scientia visionis circa hæc omnia, sunt terminationes liberæ Deo, & sibi inuicem coëxistunt. Ergo non distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè. Deindè terminationes liberæ Diuinæ, quæ versantur circa obiecta essentialiter inseparabilia mutuò; sunt etiam ipsæ essentialiter inseparabiles mutuò, atque ideò sunt virtualiter intrinsecè indistinctæ speciali titulo, vt patet ex eadem quæst. 22. art. 8. Electio autem ad gloriam, vt coronam, & præscientia absoluta meritorum, propter quæ illa vnicuique confertur, versantur circa obiecta essentialiter inseparabilia mutuò. Quia corona gloriæ constituitur in ratione talis per visionem beatificam, per quam vnusquisque beatus, videt in Deo sua merita præterita, ratione quorum est beatus; atque hæc merita includunt in se fidem supernaturalem Dei remuneratoris, quæ est principium, & radix omnium deindè aliorum meritorum, & qua creditur Deum collaturum esse gloriam merenti ipsam, & perseueranti finaliter in gratia; collaturum verò esse iuxta mensuram eorundem meritorum. Vtraque autem hæc cognitio est essentialiter vera, vt alibi dictum est, nec indiget probatione. Ergo istæ duæ cognitiones sunt essentialiter inseparabiles mutuò, atque adeò, & obiecta ipsarum, inseparabilitate conueniente absolutè, visioni quidem seorsim, & secundum se præcisè: fidei verò, vt coniunctæ cum reliquis meritis, & cum perseuerantia finali meritorum, ob quæ finaliter perseuerantia consequitur vnusquisque gloriam de facto. Ergo eadem virtualiter intrinsecè indiuisibili, & scientia, & voluntate videt Deus, & vult efficaciter gloriam, vt coronam, & cumulum meritorum, ob quæ vnicuique illa confertur.

Art. 3. Præterea, qui simul, ac indiuisim cognoscit, & finem, quem potest liberè intendere, & media, quibus potest illum certissimè obtinere, sunt-que ab eodem eligenda, & exequutioni mandanda, nec possunt aliter existere, quàm ipso intendente, ac eligente; simul, atque indiuisim de vtrisque decernit, nec suppetit ratio, ob quam seiungat determinationem suam circa vnum extremum à determinatione circa alterum extremum; Imò adest in Deo ratio, ob quam seiungere non possit, vti ponderatum est quæst. illa 27. Præposterum sanè est, etiam independenter à rationibus ibi propositis, vt priùs determinet de mediis, & deinde de fine, qui simul habet vtraque in potestate, & præhabet perfectam circa vtraque cognitionem simultaneam: Deus autem ante omnem suam liberam determinationem præcognoscit perfectè per scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam, tum gloriam, quatenùs proximè intendibilem ab ipso, vt finem meritorum nostrorum, tùm merita, vt proximè eligibila, & exequibilia ab eodem. Quæ ex se satis patent. Ergo Deus simul, ac indiuisim determinat de gloria, & de meritis per eundem intentionis, & electionis actum virtualiter intrinsecè indiuisibilem. Certè fieri non potest, vt priùs eligat merita, & deinde intendat gloriam. Simul autem Deus cognoscit obiecta, de quibus simul decernit. Quia Diuina cuiusque obiecti cognitio est indistincta virtualiter intrinsecè à decreto de eodem, vt superiùs dictum est in vniuersum, doceturque specialiter pro re præsenti ab Augustino cap. 10. de Prædestinatione Sanctorum, sub initium: *Prædestinatione quippe Deus*, ait, *ea præscinit, quæ fuerat ipse facturus*, nempè suam gratiam, & merita nostra, de quibus est sermo in toto contextu. Eandem prædestinationis indistinctionem à præscientia, & indiuiduam vtriusque anteceſſionem causatiuam, respectu meritorum nostrorum, non minùs, aut aliter, quàm respectu gloriæ, & gratiæ, prosequitur fusè, & multipliciter suadet ibidem c. 19. & 20. expenditque eam in rem illud præsertim epist. ad Ephes. 1. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati.* Vnde immediatè argumentatur sic. *Non ergo quia futuri eramus, sed, vt essemus*: Expendit rursus illud Ioann. 15. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Vnde similiter arguit. *Non enim, quia credidimus, sed, vt credamus, elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur.*

Art. 4. Pro claritate, & maiori horum omnium confirmatione, obseruanda est cum D. Thoma qu. 23. art. 5. duplex differentia inter Deum, & hominem quatenùs præmiantes. Prima est, quòd homo homini conferens præmium habet cognitionem meritorum causatam ab iisdem meritis, tanquam à motiuo eius, & deinde concipit voluntatem præmiandi mouente eadem cognitione, & iisdem meritis per cognitionem. Neutrum autem horum accidere potest in Deo. Cuius videlicet nulla, aut cognitio, aut volitio potest habere pro motiuo suo, vel etiam partiali exercente veram causalitatem motiuam, aliquid creatum, ac temporale, præterquam secundariò, & impropriè, vt superiùs dictum est quæst. 19. Altera differentia, est, quòd homo homini conferens præmium, solùm est causa collationis præmij, non verò meritorum. Deus autem est causa, & præmij, & meritorum; atque hæc sunt dona ipsius non minùs, quàm illud, dicente Tridentino sess. 6. cap. 16. sub finem: *Cuius tanta est erga homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Qua de re videri multa possunt efficacissimè, & fusè ponderata apud

Augu

Augustinum locis præsertim nuper indicatis. Cùm ergo antecessio cognitionis meritorum respectu voluntatis præmiatiuæ solùm requiratur ratione motionis, quæ ineſt illi cognitioni respectu huius voluntatis; & præterea executurus successiuè plures effectus ordinatos inter se mutuò, ordine constituto per ipsum executorem, simul de illis omnibus decernat, si præbeat simultaneam circa omnes cognitionem, & potentiam proximam; Patet in Deo necessariam nequaquam esse antecessionem præuisionis absolutæ meritorum respectu prædestinationis, seu præelectionis ad gloriam, vt coronam; imò esse impossibilem in eodem prædefinitionem meritorum priorem, aut posteriorem prædefinitione gloriæ, sed vtramque esse simul; & consequenter esse etiam simul scientiam visionis circa merita, & gloriam, simultate non solùm reali, sed etiam virtuali intrinseca.

Art. 5. In voluntate creata secus se res habet ob prænotatas duas differentias. Quibus superaddo tertiam, quòd homini plerumque deest cognitio perfecta de mediis, dum concipit intentionem finis. Qua de causa procedit posteriùs non solùm natura, sed etiam tempore ad electionem mediorum, instituta interim deliberatione de natura mediorum. Hinc fit, vt diuina prædestinatio ad gloriam, consideratа præcisè secundum rationem intentionis gloriæ, vt finis, sit prior ratione nostra extrinsecè, seu relatè ad connotata creata; quàm electio meritorum, & auxiliorum gratiæ, eorumdemque præscientia absoluta. Si verò eadem Diuina prædestinatio consideretur præcisè secundum rationem voluntatis præmiatiuæ, & satisfacientis iuri hominis, est prior è conuerso eundem in modum præscientia absoluta meritorum, & voluntas executiua eorundem, quàm prædestinatio ad gloriam, quatenus intentiua eius, & quàm scientia visionis circa eandem. Ac demum vtralibet diuina voluntas est eodem modo prior quàm scientia visionis circa vtriuslibet obiectum. Quia videlicet talis est proportionaliter ordo realis prioritatis inter actus creatos circa obiecta similia, atque ordo rationis extrinsecus inter prædicata diuina fundatur adæquatè in ordine reali similium prædicatorum in creatis, vt liquet ex quæstione 5. & 6.

Art. 6. Ista profectò analogia actuum diuinorum ad actus creatos regulatiuos modi nostri concipiendi, circa Deum, fuit, ni fallor, causa præcipua æquiuocationis, totiusque dissidij apud plerosque auctores in præsenti, aliis affirmantibus cum Suarez, Bellarmino, Toleto, plerisque Thomistis, ac Scotistis antecessionem virtualem electionis ad gloriam respectu præuisionis absolutæ meritorum; aliis dicentibus cum Vasquez, Lessio, Moncæo, eandem electionem esse post istam præuisionem. Priores namque auctores considerauerunt prædestinationem ad gloriam, præcipuè, aut vnicè sub conceptu intentionis finis, relatè ad creatam intentionem finis; Posteriores verò auctores considerauerunt similiter eandem prædestinationem in ratione remunerantis, & voluntatis præmiatiuæ relatè ad voluntatem præmiatiuam creatam. Cæterùm neutra voluntas diuina præcedit alteram virtualiter intrinsecè, & cum fundamento in ipsis actibus diuinis secundum se, seu independenter à modo nostro cognoscendi referente voluntatem Dei ad connotata creata, eamque adumbrante, distinguente, ac ordinante, iuxta distinctionem, & ordinem realem illorum. Qui tamen ordo rationis extrinsecus non est dignus operosa disputatione, vtpotè nullius vtilitatis, ac momenti existens pro legitimo conceptu obiectiuo rei, de qua agitur, vt sæpè à me notatum est in simili, & oportet; vt notetur seriò ab omnibus nolentibus terere tempus in Theologia penitùs superficiali, ac inani, & pertinente præcisè ad directionem modi loquendi, præsertim apud populum.

Ad 1. Illud *iam*, Augustini non est accipiendum præsuppositiuè in genere quasi causæ efficientis, sed formaliter in genere causæ formalis; quatenùs ipsa electio est discretiua electi à reiecto, & inductiua meritorum in vno, quibus caret alius; eademque est coniuncta virtualiter intrinsecè cùm præscientia absoluta huius discriminis, vt apparet ex rationibus, & ex testimoniis eiusdem Augustini suprà indicatis. Quod autem eodem illo in loco præmittit Augustinus: *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio*; non est è re. Accipiendum namque est de electione passiua existenti in tempore, vt subsit idem proportionaliter sensus, qui subest iustificationi, quam patet intelligi factam in tempore. Nec enim dicitur absolutè iustificatio, vel ab Augustino, vel ab vllo alio, cognitio, aut volitio diuina iustificationis. Patet autem electionem, quam præcedit iustificatio, vt est in se, & vt facta in tempore; non posse esse electionem actiuam, quæ datur in Deo ab æterno.

Ad 2. Certum est Augustinum præsertim in libro de Prædestinatione Sanctorum agere præcipuo conatu de præelectione ad gratiam ante præuisa merita, & independenter à meritis; eamque solam præelectionem intelligere frequenter nomine prædestinationis. Quia hanc partem doctrinæ oportebat præcipuè stabilire aduersus hæresim Pelagianam, quam impugnat ibi, quatenùs inductiuam gratiæ ex meritis præexistentibus, & habitis absque auxilio gratiæ. Cæterùm tum ibi, tum alibi vsurpat etiam sæpissimè prædestinationem pro electione ad gloriam, & vniuersim ad omnia dona, & gratiæ, & gloriæ, quibus simpliciter, & absolutè prædestinati differunt à reprobis, vti ex c. 19. de prædest. Sanc. ex c. 7. de Correptione & Gratia, aliisque locis demonstrat clarè Montoya disp. 4. & 10. de Prædestinatione, sect. vtrobique 2. & apparet sufficienter ex Augustiniana prædestinationis definitione supra data. Cùm igitur doceat nihilominus ibidem, & vbique vniuersaliter prædestinationem æternam Dei non esse ex meritis, sed merita ex prædestinatione, quod nec ipsi negant aduersarij; constat, iuxta mentem Augustini non solam electionem ad gratiam, sed etiam electionem ad augmentum gratiæ, & ad gloriam esse causatiuam meritorum, & non causatam, seu inductam ex meritis, aut ex præuisione absoluta meritorum. Iam illa causalis Prosperi; *Quia præsciti sunt casuri*, vera est, vt iacet, respectu reprobationis sensu inferiùs explicando, at respectu prædestinationis propositio est purè conditionalis, ex qua non infertur legitimè causalis, vt est notum apud omnes ex summulis. Imò causalis opposita continetur in verbis, quæ immediatè annectit Prosper: *Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini labendi.*

Ad 3. Deus vult gloriam esse causam finalem bonorum operum, & bona opera esse causam meritoriam gloriæ. Quorum primum consequitur mouendo nos ad bona opera propositione, & promissione gloriæ sub conditione exhibitionis eorundem operum. Alterum verò consequitur conferendo reipsa gloriam post opera exhibita reipsa, simulque manifestando, quòd non fuisset conferenda gloria, nisi præcessissent merita. At neutrum consequitur, & ne quidem consequi potest, mouente voluntatem diuinam, vel beatitudine nostra ad prædefinitionem meritorum, vel præuisione absoluta meritorum ad prædestinationem, seu præelectionem gloriæ. Quia Deus vult hoc esse propter hoc; non tamen propter hoc vult hoc, vt dictum est suprà cum D. Thom.

Voluntas autem illa prior, qua Deus vult gloriam esse causam finalem bonorum operum, & vicissim bona opera esse causam meritoriam gloriæ, modo explicato, est intrinsecè præmiativa, & intrinsecè diuersa à voluntate purè gratiosa, conferente gloriam independenter à præexistentia meritorum: nec prædefiniente merita ipsa simul cum gloria. Quia voluntas purè gratiosa non vult dependentiam in eius, quod confert, à meritis: eo namque ipso definit esse purè gratiosa, quoad bonum à se distinctum, quod confert, tametsi effectiuè, & secundùm se præcisè sit purè gratiosa. Nec enim debetur meritis nostris voluntas ipsa diuina, qua confertur præmium, cùm sit bonum infinitum, sitque ipse Deus, cui secundum se, & secundum prædicata identificata secum realiter, repugnat ratio debiti, solùm igitur obiectum voluntatis Diuinæ, quod Deus vult, vt dependeat à meritis, est quod debetur eisdem meritis. Talis itaque voluntas, & non qualem intendit obiectio, est subintelligenda in testimoniis reddentibus rationem gloriæ ex meritis, inque aliis eiusmodi. Nec mouere quemquam debet, quòd in illis exprimantur actus Diuini iuxta modum nostrum concipiendi, & iuxta ordinem rationis extrinsecum expositum superiùs art. 5. alicubi quidem relatè ad intentionem, & electionem creatas, alibi verò relatè ad cognitionem meritorum, & ad voluntatem remuneratiuam, itidem creatas. Id enim fit, non ad explicandum ordinem obiectiuum intrinsecum actuum Diuinorum, sed ad ad commodiorem intelligentiam lectorum, vt obseruat optimè agens de hac eadem interpretandi ratione D. Augustinus c. 18. de Bono Perseuerantiæ, sub finem. Quapropter concesso antecedenti obiectionis, negatur consequentia cum probationibus eius, ad quas patet sufficienter ex dictis.

Ad 4. Qui negant possibilem prædefinitionem pœnitentiæ ante præuisum absolutè peccatum, non nituntur dependentia pœnitentiæ à præexistentia peccati veri, vel existimati, sed sequela volitionis efficacis Dei, circa peccatum, quatenùs qui vult aliquid efficaciter, & absolutè, necesse, est vt velit omnia, sine quibus illud existere nequit, & nondum existunt, aut videntur existentia. Cuius rationis nulla est paritas, respectu bonorum operum, vtpotè volibilium, atque prædefinibilium à Deo. Quare transmisso antecedenti, negari potest consequentia. Sed satius est negare antecedens, quod puto esse falsum cum Molina, Granados, Montoya, & aliis apud ipsos, contra Suarez, & alios; idque propter rationes vniuersales indicatas supra art. 2. & 3. quæ æquè, quoad hoc, conuincunt, vt patet consideranti. Ad sequelam propositam in obiectione respondetur, nullam esse necessitatem volendi, quod est necessarium ad effectum efficaciter præintentum, tametsi nondum illud videatur existens, dummodò certò præuideatur id esse ponendum à parte rei ab alio, tametsi nec velit illud positiuè, nec ad illud cooperetur, sed tantùm permissiuè se habeat, qui intendit talem effectum. Deus autem cognoscit peccatum ponendum esse ab homine, cuius pœnitentiam ipse intendit, tametsi Deus ipse non velit illud positiuè; nec homini eatenùs cooperetur, sed tantùm ei permittat, vt peccet. Nec enim ex necessitate obiecti ad obiectum sequitur necessaria coniunctio voluntatis cum voluntate circa vtrumque, si alterum obiectum tale sit, quod existere possit, sitque extiturum defacto, quin sit volitum à volente alterum obiectum. Sicut enim volito aliquo, non propterea necesse est velle obiectum minimè necessarium ad obiectum prius; ita concepta vna voluntate, non propterea necesse est concipere voluntatem aliam, qua non concepta, & non existente potest expleri, & cognoscitur explenda voluntas prior. Nulla igitur sequitur in Deo necessitas volendi, & sua cooperatione inducēdi peccatum propter pœnitentiam absolutè, & efficaciter præintentam ante peccatum absolutè præuisum, sed sufficit, quòd ea præintentio simul sit voluntas purè permissiua peccati.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrum detur aliqua causa prædestinationis ex parte prædestinati, & aliquis peculiaris effectus eiusdem ex parte Dei?

VIDETVR neutrum dari. Non quidem causa ex parte prædestinati. Quia Deus prædestinat ante merita absolutè præuisa, vt dictum est quæst. præcedenti. Prædestinatus autem, per solam anteriorem præuisionem absolutam suorum meritorum, posset esse causa suæ prædestinationis, si quo modo posset. Ergo nullo modo absolutè, potest esse causa suæ prædestinationis. Sed neque ex parte Dei datur vllus effectus peculiaris. Quia Deus, quantum est ex se, vult omnes homines saluos fieri, & omnibus promiscuè confert, quantum sufficit ad consequutionem vitæ æternæ, ac deindè relinquit vnumquemque in manu consilij sui. Ergo totum discrimen prædestinati à reprobo prouenit à solo vtriusque libero arbitrio eligente vitam, vel mortem pro libito, cum potestate absoluta, & antecedenti prædestinati ad suam, reprobationem, & reprobi ad prædestinationem suam.

Art. 1. Respondetur. Manifestum est ex qu. præcedenti, nullam ex parte prædestinati dari posse causam prædestinationis sumptæ actiuè pro actibus intellectus, & voluntatis, quibus prædestinat nos Deus. *Nullus namque fuit ita insanæ mentis*, vt dicit D. Thomas q. 23. artic. 5. *qui diceret merita esse causam Diuinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis.* Quæstio igitur est de causa prædestinationis sumptæ passiuè pro effectibus, quos inducit in tempore æterna Dei prædestinatio. Effectus porrò prædestinationis non sumitur ab omnibus eodem sensu, imò neque ab iisdem vbique. Vnde solet esse plurima quæstio de voce circa præsentem materiam. Cui incommodo vitando exponentur ordine, & determinabuntur variæ eius vocis vsurpationes. Primò itaque sumitur effectus prædestinationis latissimè pro omni eo, quod quomodolibet, siue intrinsecè, siue extrinsecè est ordinatum, & conferens ad finem vitæ æternæ, respectu eorum, qui illam consequuntur defacto. Quo pacto nihil prorsus est in rerum natura, quod non habeat rationem effectus prædestinationis, tum omnium prædestinatorum coniunctim, tum singulorum seorsim. Quia defacto omnia propter electos operatus est Dominus, atque omnia voluit illis cooperari in bonum, ex Rom. 8. 28.

Art. 2. Secundò sumitur pro omni eo, & solo, quod intrinsecè, & ex sua natura confert ad consequutionem vitæ æternæ, siue intrinsecum, siue extrinsecum id sit prædestinato. Atque hoc pacto omnia, & sola dona supernaturalia, actualia, & habitualia, tum intrinsecè inhærentia vnicuique prædestinato, tū eidē extrinseca, & conferentia ad infusionem donorū intrinsecè inhærentium, qualia sunt merita Christi Domini, & Sacramenta, ipseque Christus Dominus

minus, & institutio Sacramentnrum ; necnon orationes Ecclesiæ , & singulorum ad inuicem fidelium, numerantur inter effectus prædestinationis. Porrò circa effectum prædestinationis his duobus modis vsurpatum duo sunt certa. Certum namque primò est apud omnes , etiam hæreticos , nullam dari causam meritoriam , ex parte prædestinati respectu omnium effectuum prædestinationis collectiue sumptorum. Quia nemo habet ex meritis ipsa saltem sua prima merita, existentiam Christi Domini, & meritorum eius , & plura eiusmodi alia. Certum rursus est apud omnes Catholicos, aliquos saltem effectus prædestinationis cadere sub meritum prædestinati ; nempè ipsam saltem vitæ æternæ consequutionem.

Art. 3. Tertia effectus prædestinationis vsurpatio, eaque longè frequentior , & apud plerosque Theologos vnica , dum nihil aliud additur huic voci , est pro dono inhærente intrinsecè ipsi prædestinato , & intrinsecè conferenti ex sua natura ad consequutionem vitæ æternæ, necnon pro ipsa vita æterna, ideſt, pro omni , & solo dono supernaturali afficiente prædestinatum intrinsecè. Circa effectum prædestinationis hoc modo sumptum tria sunt certa ; Primum est, nullam dari causam meritoriam, ex parte prædestinati, respectu omnium effectuum prædestinationis collectiuè sumptorum. Quia primum saltem auxilium gratiæ, primumque opus meritorium confertur vnicuique à Deo purè gratiosè , quantum est ex parte cuiusque prædestinati. Ita definitur à Conc. Mileu. can. 3. 4. & 5. & à Conc. Carthag. in Epistola ad Innocentium Papam 90. inter Augustinianas , atque ab ipso Augustino docetur sæpè integris voluminibus , maximè verò in Libro de Prædestinatione Sanctorum , aduersus Pelagianos , & Semipelagianos, dupliciter circa hoc errantes. Nimirum , quatenus primam gratiam , asserebant , tribui propter merita præhabita ex sola sufficientia naturæ , secundum se; & quatenus in operibus purè conditionatis agnoscebant vim meritoriam donorum , quibus prædestinatus discernitur absolutè à reprobo. De quibus alius est dicendi locus ex professo , & plura habentur in qq. de Gratia; iuxta intentionem Apostoli dicentis 2. Timoth. 1. 9. *Et vocauit vocatione sua sancta , non secundum opera nostra , sed secundum propositum suum, & gratiam.* Cui consonat ex communi PP. intelligentia illud ad Rom. 9. 12. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei. Quia maior, &c.*

Art. 4. Certum rursus est , omnes eosdem effectus prædestinationis esse ex meritis Christi Domini , ac proinde merita Christi esse causam meritoriam totius prædestinationis passiuæ respectu omnium prædestinatorum, præter ipsum Christum , vt habetur q. 41. de Incarnatione , iuxta illud ad Ephes. 1. 3. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Iidem effectus possunt singulis prouenire ex merito congruo, & precibus aliorum pro ipsis , Deo ordinante preces vnius in salutem alterius, iuxta illud Augustini c. 22. de Bono Perseuerantiæ. *Si qui nondum sunt vocati , pro eis , vt vocentur, oremus. Fortasse enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur.* Et sermone 1. de Beato Stephano. *Paulum Ecclesia non haberet , si Stephanus non oraſſet.* Per dependentiam scilicet eorum bonorum à precibus , & orationibus, similem illi , quæ in quæstione præcedenti exposita est vniuersim in præmiis respectu meritorum. Causalitas eiusmodi meritoria tribuitur Beatæ Virgini vniuersaliter respectu omnium , quoad omnia, à Quirino c. 21. de Concept. & Prouerb. 8. 19. atque ab aliis nonnullis, & quidem valde probabiliter.

Art. 5. Certum denique est , vnumquemque prædestinatum præhabitis prioribus effectibus prædestinationis absque vllo suo merito , posse deinde per merita sua inducere alios , atque alios vlteriores effectus, ac proinde dari posse ex parte prædestinati causam meritoriam suæ prædestinationis passiuæ sumptæ inadæquatè. Quæ omnia exponentur luculentiùs , & confirmabuntur in qq. de Merito Humanorum actuum, quò ea directè pertinent.

Art. 6. Postrema acceptio effectus prædestinationis est pro dono, formaliter, & per se discretiuo prædestinati à reprobo , quale est , respectu vitæ præsennis, perseuerantia finalis in gratia, & respectu futuræ, gloria. Respectu vtriusque huius doni dari potest causa meritoria ex parte prædestinati , de congruo quidem respectu perseuerantiæ , respectu verò gloriæ, etiam de condigno , vti ostendetur in iisdem qq. de Merito. Ex iis omnibus patet satis ad rationem dubitandi. Quia quod attinet ad causam prædestinationis, ex parte prædestinati , procedit de sola prædestinatione actiuè sumpta , quæ iam exempta est ab omni causalitate creata. Quoad effectus verò prædestinationis nihil conuincit. Quia præter dona Dei communia prædestinato , & reprobo , dantur alia, quæ conferuntur solis prædestinatis, suntque incompossibilia cum peccatis, saltem cum impœnitentia finali, & cum damnatione , quin propterea tollant libertatem, & cooperationem nostram. De quo dicetur infrà ex professo.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrum detur in Deo reprobatio, sicut datur prædestinatio?

VIDETVR non dari. 1. Quia si in Deo daretur reprobatio, sicut datur prædestinatio, ex Deo esset perditio eorum , qui damnantur ; sicut est ex Deo salus eorum , qui saluantur. Quod est contra illud Oseæ 13. 9. *Perditio tua ex te Israel , tantummodò ex me auxilium tuum.*

2. Si daretur in Deo reprobatio , sicut prædestinatio , daretur etiam liber mortis , sicut datur liber vitæ, de quo est frequens sermo in scriptura, & apud Sanctos PP. Constat enim librum vitæ esse indistinctum realiter ab ipsa prædestinatione. Ergo reprobatio esset similiter indistincta à libro mortis. Sequela autem reiicitur ab omnibus , cum D. Thoma q. 24. art. 1.

Art. 1. Respondetur. Certum est ex fide, Deum excludere aliquos à regno Cœlorum , & punire pœna æterna, tum damni , cùm sensus. Ea autem exclusio, & punitio dicitur reprobatio , potestque definiri ad instar prædestinationis : *Præscientia , & permissio peccatorum , ob quæ certissimè damnantur , quicumque damnantur ; seu relinquuntur.* Vnde apparet reprobationem differre primò, ac principaliter à prædestinatione , quatenùs prædestinatio vi , & causalitate sua inducit omnia media perducentia ad vitam æternam (inter quæ sunt merita nostra) eaque intendit positiuè, atque efficaciter, & absoluè prædefinit : ac proinde prædestinatio continet in se præscientiam eorum tantùm, quæ facturus est Deus in nobis, partim sine nobis , partim nobiscum , vt supra dictum est ex Augustino. At reprobatio non inducit vi , & causalitate sua , nec intendit positiuè , aut prædefinit ea , quibus quis excluditur à vita æterna : ac proinde continet in se præscientiam eorum , quæ facturus est homo absque cooperatione Dei , quæque insunt homini ex se præcisè, quatenùs perducunt ad terminum reprobationis. Hac de causa prouidentia perducens ad vitam æternam nuncupatur communiter dilectio,

electio, & propositum Diuinæ voluntatis; loquutione deriuata ex sacris literis. Prouidentia verò excludens à vita æterna, ex communi modo loquendi, dicitur absolutè præscientia, & reprobatio; ideſt, cognitio iudicans de aliquo non esse idoneum, seu esse inidoneum ad suum finem. Quia videlicet in prædestinatione comparata cum reprobatione præeminet voluntas, & prædilectio; in reprobatione verò præeminet intellectus, & præcognitio, loquendo formaliter.

Art. 2. Cæterùm reipsa reprobatio etiam continet in se actum liberum Diuinæ voluntatis, quo & permittit peccata, & infligit pœnam æternam. Neutrum enim horum est necessarium respectu Dei; cùm impedire possit nostra peccata, vt infrà dicetur; & consequenter pœnam, quæ inducitur per illa. Verùm respectu peccatorum, se habet purè permissiuè; cùm ea non existant auctore Deo, sed solum hominem habeant auctorem suum, vt dicetur in qq. de peccatis. Pœnam verò peccatorum vult, ac intendit positiuè, ex suppositione eorundem peccatorum. Nempè peccare, aut cooperari peccato est intrinsecè inhonestum, ac vituperabile, quale nihil cadit in Deum; punitio verò peccatoris est honesta, & laudabilis respectu Iudicis, cui ille subest. Deus autem *est Iudex viuorum, & mortuorum*, ex Act. 10.42. & ad Hebræos 12. 13. Ratione permissionis peccatorum dicitur Deus derelinquere, obdurare, tradere in reprobum sensum, & similia. Ratione verò damnationis æternæ dicitur despicere, expellere, repellere, ac proiicere, facere vas iræ, & contumeliæ, & similia.

Art. 3. Diuiditur communiter reprobatio in negatiuam, qua negatur alicui electio ad gloriam, & relinquitur in massa perditionis ratione peccati originalis; & positiuam, qua insuper intimatur sententia de priuatione visionis beatæ, & infligitur pœna sensus, ratione peccati personalis. Verùm istæ duæ reprobationes solùm distinguuntur extrinsecè ratione nostra, respectu eiusdem subiecti, vt quiuis facilè colligere potest ex dictis quæst. 30. sicut etiam facilè potest proportionaliter colligi ex quæst. 31. & 32. effectus, seu effectus reprobationis latè sumptos esse, quæcumque sunt ex se inductiua peccatorum lethalium, vt mala indoles, mali habitus, & similia; strictè verò sumptos esse, tum permissiones peccatorum lethalium, reprobationis quidem secundum quid, & ad tempus, si ea peccata deleantur deindè per pœnitentiam; sin minùs, reprobationis simpliciter, & æternæ: tum pœnam, & damni, & sensus: effectus demum strictissimè tales, & discretiuos reprobi à quouis prædestinato esse, tum eam ipsam pœnam, tum permissionem impœnitentiæ finalis; quæ non indigent doctrina, aut expositione vlla peculiari vltra applicationem eorum, quæ dicta sunt proportionaliter circa prædestinationem, & eius effectus.

Art. 4. Colligitur indidem similiter nullam dari causam demeritoriam reprobationis actiuæ secundum se, seu reprobationis sumptæ pro actu Diuino reprobante, considerato secundùm se præcisè. Reprobationis verò passiuæ, seu obiectiuæ, & incipientis in tempore, quoad permissionem, & quoad omnia ex se inductiua peccati simpliciter primi, nulla similiter est causa demeritoria. Quia repugnat, vt ante primum peccatum præcedat vllum demeritum. At permissiones passiuæ peccatorum deinde subsequentium proueniunt ex vi demeritoria peccati præcedentis, tamquam ex causa subtractionis gratiæ, qua data vitarentur peccata, & inductionis in tentationes, quibus impellentibus committuntur vlteriora peccata. Multò verò magis peccata lethalia, cùm quibus quisque decedit; sunt causa demeritoria reprobationis passiuæ, tum negatiuæ, tum positiuæ; atque ipse homo, qui reprobatur, ita est causa eius demeriti, seu demeritorum, vt ipsi soli ea adscribantur, nihil eatenùs cooperante Deo. Quo, vel maximè differt prædestinatio à reprobatione, vt initio notabatur. Istam porrò solam differentiam intendunt Concilium Valentinum sub Lothario c. 9. Arausicanum 2. can. 23. Tridentinum sess. 6. can. 17. & Sancti PP. communiter, dum negant Deum prædestinasse aliquos ad malum, sicut prædestinauit ad bonum; & consequenter docet in electione saluandorum, misericordiam Dei præcedere ad merita eorum, qui saluantur, in damnatione verò periturorum, meritum malum præcedere ante iustum iudicium; scilicet per denominationem à termino, & obiecto. Quia Deus per prædestitionem inducit merita gloriæ, & ipsam gloriam, per reprobationem vero non inducit demerita gloriæ, sed solam gloriæ priuationem; inductione videlicet causatiua, & propriè tali. Vnde fit non dari fundamentum, vt ex nostro modo concipiendi sit prior reprobatio, quàm præuisio demeritorum, sed solum è conuerso, vt præuisio demeritorum sit prior, quàm voluntas reprobatiua, licet vteruis ordo rationis habeat sufficiens fundamentum in prædestinatione, atque electione ad gloriam, & præscientia meritorum, vti expositum est quæst. 31. art. 5. & 6.

Art. 5. Ex his igitur patet dari in Deo reprobationem, sicut & prædestinationem, existente similitudine, quoad connexionem æternæ dispositionis Diuinæ, cum damnatione, & infelicitate quorundam æterna, & cum æterna aliorum salute, ac beatitudine; sed existente simul dissimilitudine maxima, quoad modum inducendi istos effectus, & quoad causam adæquatam meritorum, ac demeritorum inducentium eosdem effectus. Ad quorum omnium intelligentiam oportet attente introspicere, quæ dicta sunt circa prædestinationem, ne morosè repetantur hîc iterum ea ferè omnia, quæ ibi exposita sunt.

Ad 1. Dictum iam est perditionem reprobi esse ex ipso tamquam ex causa positiua proxima adæquata; neque esse ex Deo, nisi negatiuè, & secundum quid, tamquam à non remouente prohibens, vt exponetur in quæst. sequenti, vbi dicitur ipsam etiam non remotionem prohibentis, attribui homini, & esse formaliter culpam eius, licet non sit semper culpa eius causaliter, & demeritoriè.

Ad 2. Prædestinatio dicitur metaphoricè liber vitæ, ad eum ferè modum, quo cognitio Diuina factibilium à Deo, vt quidam dicunt, seu fiendorum, vt dicunt alij, vocatur propriè idea Dei existens ab æterno in mente Diuina. Vtrumque enim dicitur ratione reflexionis, seu quasi reflexionis, qua Deus in æterna sua prædestinatione, tamquam in libro quodam inspicit, & quasi legit numerum, & nomina saluandorum; sicut in sua cognitione directa, tamquam in imagine, & archetypo, videt opera sua omnia imitantia, seu potentia imitari, aut iam determinata ad imitandam eandem illam imaginem. De quibus cisiunctionibus sola potest esse, solaque est apud nonnullos quæstio de voce propter vsurpationem ideæ non vniformem vbique apud omnes. Licet autem Deus cognoscat, & firmiter quasi memoretur numerum, & nomina reproborum in æterna sua reprobatione, non minùs, quàm prædestinatorum in prædestinatione: Nihilominus metaphora libri non accommodatur reprobationi. Quia in libris materialibus, ex quibus traducitur ad Deum ea metaphora, non scribuntur, qui reiiciuntur, sed illi soli, qui eliguntur ad militiam ex. gr. vel senatum; ideóque illi libri dicuntur electorum, non verò reiectorum; vt notat D. Thomas quæst. 24. art. 1. ad 3. Sicut etiam simili ratione negatur Deo, ab eodem quæst. 25. art. 3.

ad

ad 1. & ab aliis communiter idea specialis malorum; tum, vt exemplar, quia mala non sunt propriè effectibilia secundum se formaliter, præsertim respectu Dei; tum, vt ratio speculatiua, quia mala non cognoscuntur per propriam rationem, sed per rationem boni oppositi, vt dictum est supra quæst. 10. cum eodem D. Thoma.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrum prædestinatio sit libera Deo, atque ipsi prædestinato, & concordia inter vtramque libertatem nitatur scientiâ media?

VIDETVR prædestinationem, neque Deo esse liberam, neque prædestinato; neque vtriusque libertatem, aut per scientiam mediam componi inuicem posse, aut sine ipsa non posse. 1. Quia Deus, vt dicit Aug. tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. ad med. conqueritur sæpè in scripturis de duritie hominum resistentium gratiæ suæ, & obstruentium vias salutis propriæ, atque frustrantium intentionem, summosque conatus Diuinos circa innocentiam, & gloriam reproborum. Quam in rem, inter alia, videri multa possunt apud Isaiam toto c. 5. & apud eundem c. 48. 4. dicitur ex persona Christi Domini: *In vacuum laboraui; sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi*: idest, omnes vires meas impendi, & præstiti, quantum non solùm debui, sed & potui. Nemo autem conqueri de alio, ita potest euentu non sequuto, qui vt sequeretur, liberum sibi inimpedibiliter erat. Ergo nostra salus, atque prædestinatio non est omninò libera Deo.

2. Si esset perfectè liberum Deo prædestinare quemlibet pro libito ad gloriam, etiam vt coronam, & consequenter dare cuilibet indiscriminatim innocentiam, vel pœnitentiam finalem, & finalem perseuerantiam in gratia; posset vtique pro quolibet ista decernere decreto simpliciter antecedenti, atque omninò inimpedibili per libertatem humanam. Quia, quod est alicui secundum se præcisè considerato perfectè liberum, potest ab eodem secundum se præcisè considerato determinari pro libito in vtramlibet partem; inconsulta cuiusuis alterius libertate, & electione. Sequela autem est absurda. Quia decretum Dei de aliquo effectu simpliciter antecedens, est necessitas simpliciter antecedens eiusdem effectus, ac proinde aufert libertatem hominis ad eundem effectum. Quæ tamen libertas est de conceptu gloriæ, vt coronæ, necnon innocentiæ, pœnitentiæ, & perseuerantiæ merentis eam coronam. Ergo non est Deo liberum prædestinare quemlibet pro libito.

3. Solus Deus est, qui discernit iustum, & prædestinatum à peccatore, & reprobo. Nec dici potest, quod hæc discretio attribuatur etiam homini, & non soli Deo. Contradicit enim huic assertioni Apostolus ad Corinth. 47. increpans arrogantiam humanam, & erudiens Christianam humilitatem, dum sic vrget superbientem. *Quis te discernit, quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quò etiam pertinet ponderatio Augustini c. 32. Enchir. ad Laur. & l. 1. ad Simplic. q. 2. longè antè finem, obseruantis vtrobique non ita dici; *non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*: Vt dici similiter possit: *Non est Dei miserentis, sed hominis currentis, & volentis.* Eodem pertinet illud quoque celebre Cypriani vsque adeò decantatum ab Augustino in l. de prædest. sanct. *In nullo gloriandum, quando totum est Dei.* Contradicunt, inquam, hæc ei assertioni, quia vnicuique attribuitur, & est proprium vniuscuiusque quod sibi liberum est, & si id sit laudabile, ac gloriosum, est materia gloriæ, & laudis, respectu eiusdem. Ergo non est libera homini sua, vel iustificatio, vel prædestinatio, seu differentia aliqua sui à peccatore, & reprobo.

4. Non datur actio in præteritum; nec fieri potest, vt præteritum pendeat à futuro, ex. gr. victoria Alexandri, à robore exercitus nunc existentis, atque pugnantis heroicè. Prædestinatio autem hominis est æterna; sicut, & reprobatio: Homo verò, & eius operatio incipit in tempore. Vnde tam reprobatio, quàm prædestinatio, comparatione hominis, & operationis humanæ, est plusquam præterita; cùm antecedat pro omni anteriori differentia temporis in infinitum. Vnusquisque autem potest actione sua in id, quod est sibi liberum, atque hoc pendet ab eius electione. Ergo non est homini libera sua, vel prædestinatio, vel reprobatio.

5. Quòd est liberum alicui, est impedibile ab eodem, idemque est eatenùs inimpedibilis ab alio. Homo autem non potest impedire Deum, quominùs ipsum prædestinet, vel reprobet, aut quominùs prædestinatio, & reprobatio exequantur, quod intendunt. Nam, vt dicit Aug. c. 14. de correp. & gratia; *Volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium.* Ergo non est libera homini sua, vel prædestinatio, vel reprobatio. Certè, non potest esse libera Deo simul, & homini. Quia sequeretur vtrumuis eatenus esse impedibilem, simulque inimpedibilem ab altero.

6. Causa prima præexistente determinata ad vnam partem, & non exhibente concursum, & cooperationem, quantum est ex se, indifferentem ad vtramuis partem contradictionis, vel contrarietatis, repugnat, vt causa secunda operetur nihilominùs liberè, ac indifferenter. Deus autem, qui est causa omnium prima, ex vi decreti prædestinantis, præexistit determinatus ad operationes salutares, & ad vitationem peccatorum prædestinati. Vtrasque enim prædefinit efficaciter, & determinatè per decretum prædestinatiuum, vt supra dictum est. Ergò posita prædestinatione nulla superest indifferentia prædestinato; quia nulla superest indifferentia Deo ad concurrendum, vel non concurrendum, vtque concurrat ad hoc, vel illud indiscriminatim. Neque vero scientia media quidquam iuuat in oppositum: Quia causa secunda etiam pro statu conditionato, subest conditionatè eidem decreto prædefinitiuo Dei. Nempè dependentia, quæ est essentialis vni causæ respectu alteriùs, qualis est dependentia omnis causæ secundæ à causa prima, quoad omnem suam operationem, pro nullo statu deesse potest; nec fieri potest, vt præuideatur aliquo modo operatio aliqua, quin simul præuideatur eodem modo omnis causa, & omnis applicatio causæ, à qua essentialiter dependet, præsertim si præuisio sit comprehensiua, qualis est omnis præuisio Dei.

7. Neque prædestinatus potest damnari, neque reprobus saluari. Quia neque præscientia Dei potest reddi falsa, neque frustrari potest prædefinitio, ac præordinatio efficax eius, & vtraque est de conceptu prædestinationis, ac reprobationis. Ergo neque prædestinatus est liber, vt damnetur, neque reprobus, vt saluetur, sed vterque fatali necessitate deuoluitur ad finem sibi æterna, ac immutabili Dei lege præfixum.

Confirmatur,

Confirmatur, & explicatur vis argumenti. Quia sicut damnatio actualis prædestinati est actualis falsificatio præscientiæ Diuinæ, & actualis frustratio voluntatis Diuinæ prædestinatiuæ: Ita possibilitas illius est possibilitas vtriusque huius. Nempè vnumquodque constituitur possibile per possibilitatem, eius prædicati, per cuius actualitatem, & existentiam constituitur existens, & actuale, & quorum, existentia, atque actualitas est inseparabilis mutuò, aut realiter eadem; possibilitas quoque eorundem est inseparabilis mutuò, aut realiter eadem. Prædicata namque quidditatiua rei possibilis, & existentis, sunt omnia prorsus eadem; nec constitutiuum adæquatum cuiusque rei est diuersum pro diuersitate status; sed constitutiuum, & constitutum pro quouis statu sunt simul, eodemque modo. Ergo si quidem actualis damnatio prædestinati foret falsificatio, & frustratio scientiæ, & voluntatis Diuinæ prædestinatiuæ, possibilitas quoque damnationis, contenta formaliter in potestate libera ad damnationem, foret possibilitas eiusdem falsificationis, & frustrationis. Quam tamen possibilitatem patet esse chymæricam.

8. Fieri non potest, vt quod heri erat verum, hodie sit falsum, aut, vt aliquid secùs accidat, quàm futurum priùs erat, vt accideret. Impossibile igitur est, vt hodie fiat oppositum eius, quod heri erat, & verum, & futurum pro hodie. Scientia autem Dei, quæ est de conceptu prædestinationis eius, & est essentialiter vera, complectitur omnia, quæ sunt pro qualibet differentia temporis, & quatenùs coëxistens tempori antecedenti denominat futurum, quidquid existit pro tempore sequenti. Quapropter heri erat verum, & infallibiliter futurum, quidquid euenit hodie. Ergo hodie, & sic de cæteris differentiis temporis, nulla est potentia ad oppositum eius, quod hodie fit, ideſt, nulla datur hodie potentia libera.

9. De reprobo specialiter dicitur Ecclesiastæ 7 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit*, ideſt, reprobauerit. Ergo reprobatus à Deo non est liber, vt corrigatur, ac emendetur.

10. Deus potest determinate, & exequi, independenter à scientia media, quidquid absolutè determinabile, & exequibile est ab ipso. Quia per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscuntur omnia, & singula possibilia, & quidem comprehensiuè, eademque omnia continentur adæquatè in omnipotentia, & actiuitate Dei secundum se, Deo autem eadem determinante, ac exequente eadem, necesse est, vt nobis adsit, vel desit indifferentia libertatis. Quia additamentum scientiæ mediæ non immutat naturas rerum, nec facere potest, vt quæ collata, ac posita à parte rei, independenter ab ipsa, non sufficerent ad constituendam adæquatè potentiam proximam electiuam, at indifferentem, sufficiant ad hoc ipsum propter dependentiam ab eadem: sicut fieri non potest, vt sit proximè combustiuum propter dependentiam ab aliqua cognitione, quod non est tale ex se, & independenter à tali cognitione; si quidem independenter ab eadem poni possit à parte rei. Ergo scientia media nihil facit pro indemnitate nostræ libertatis, atque pro eiusdem concordia cum scientia visionis, prædestinatione, & reprobatione Diuina.

Art. 1. Respondetur. Manifestum est conuenire Deo libertatem perfectam prædestinandi, ac perducendi quemlibet, siue hominem, siue Angelum ad gloriam, vt puram hæreditatem, independenter à meritis prædestinati, seu sublata prædestinato libertate merendi, ac demerendi. Nec est minus manifestum, liberum eidem esse neminem, aut prædestinare, aut reprobare; cùm habeat in potestate neminem creare. Sed certum insuper est, inesse etiam Deo plenam potestatem, & libertatem perfectam, vt prædestinet, vel non prædestinet; deducat, vel non deducat quemlibet ad gloriam, vt coronam; retenta nostra libertate, ac indifferentia non solùm ad actus bonos inæquales, ac proinde meritorios gloriæ, saltem quoad augmentum; verùm etiam ad peccendum lethaliter, & ad omittendam omninò pœnitentiam, ideſt, retenta libertate, qualis de facto fuit in Angelis, & qualis & est, & fuit in hominibus subsistantibus prouidentiæ ordinariæ Dei. Apparet clarè hæc veritas ex testimoniis supra indicatis quæst. 18. art. 7. circa scientiam mediam: *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. An non habet potestatem figulus luti, &c. Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Adde illud ex Epist. ad Rom. 14. 4. *Potens est enim Deus statuere illum.* 2. ad Corinth. 9. 8. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis*; ac proinde, & vitam æternam, quæ etiam est gratia Dei. Matthæi 3. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare Filios Abrahæ*, ideſt, flectere, ac trahere ad iustitiam obduratissimos quosque, & pessimè dispositos ex se. Eodem pertinet, quòd dicitur Prouerb. 21. 1. *Cor Regis*, ideſt, hominis plurimum sibi indulgentis, & difficillimi, qui ad nutum alterius operetur. *Cor*, inquit, *Regis in manu Domini. Quocumque voluerit, vertet illud.* Ac demum in fine Epistolæ Canonicæ Iudæ dicitur. *Potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos.* Quæ, & similia complura nulla indigent expensione pro scopo proposito.

Art. 2. Ratio fundamentalis proxima est, quam indicat D. Thomas de verit. quæst. 6. art. 3. c. fine. Quia videlicet, ex vna parte, inest Deo potestas permouendi voluntatem creatam ad actus meritorios vitæ æternæ, atque ad actum perseuerentiæ finalis in gratia, modis syncategorematicè infinitis, atque augendi, & accumulandi sine fine auxilia gratiæ, & adminicula varia allicentia, ac pertrahentia ad eundem finem. Ex alia verò parte, potentia creata resistendi gratiæ, & motionibus Diuinis est intrinsecè finita, ac limitata. Repugnat autem Methaphysicè, vt potentia intrinsecè finita, ac limitata, vniformi resistendi pertinacia superet totam collectionem motionum innumerabiliter multiplicium, & capacium intensionis maioris, & maioris sine fine. Necesse nimirum est, vt finitum tandem aliquando succumbat infinito; vtque exhauriatur potentia finita resistendi, qualis est omnis creata, nondum exhausta potentia infinita permouendi, qualis est potentia Diuina, etiam, intra limites potentiæ mouentis per auxilia, quorum nullum, & quorum nulla collectio tollat indifferentiam arbitrij. Repugnat igitur metaphysice, vt in toto cumulo auxiliorum gratiæ Dei non appareat aliquod, respectu cuiusuis sustantiæ rationalis creatæ, cui secundum se, vel adiunctis aliis adminiculis futurum sit, vt ipsa consentiat de facto, & consentiat libere. *Sic enim velle, & nolle, in volentis, & nolentis, est potestate* inquit Augustinus capite 14. de correptio. & gratia, *vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*, & libere 1. ad Simplicianum quæst. 2. ad medium: *Cum deserit non sic vocando, quomodo ad fidem moueri potest, quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur, Omnipotenti defuisse*; ideſt, potenti persuadere infinitis modis, & in infinitum. Quo etiam pertinet illud ex cap. 14. de Corrept. & Gratia: *Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Cuius rationem reddit ad medium capitis, *Habens humanorum cordium*

quò

quò placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Et c. 95. Enchir. ad Laurentium, propè medium: *Cui prouldubio quàm facile est, quod vult facere, tam facilè est, quod non vult, esse non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium,* nempè: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem.* Demum ibidem c. 98. initio, meritò exclamat. *Quis porrò tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominem voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non posse conuertere?* Est igitur liberum Deo, tot cuilibet, & quãdolibet adminicula præparare, vt vel non cadat, vel si ceciderit, resurgat, & sic perducatur in vitam æternam, quibus ferè verbis concludit D. Thomas art. illum tertium: Ea autem præparatio, est prædestinatio, vt patet ex eius definitione. Ergo prædestinatio est libera Deo, respectu cuiusvis.

Art. 3. Certum nihilominus rursus est, vnicuique esse aliquatenus liberam suam, & prædestinationem, & reprobationem, vt apparet ex 15. Ecclesiastici 17. *Appositit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eodem pertinet, quod dicitur 2. Petri 10. *Quapropter, fratres, magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Quod ferè idem exprimit vulgare proloquium Theologis omnibus familiare, & attributum communiter Augustino cum sufficienti fundamento ex hypognosticon l. 6. fine: *Si non es prædestinatus, fac, vt prædestineris.*

Art. 4. Ratio est. Quia, cui est liberum aliquid, non potest non esse aliquatenus liberum, quod est mutuò connexum intrinsecè cum illo. Cui enim est liberum antecedens, est liberum & consequens: sicut è conuerso, cui est liberum consequens, est liberum & antecedens. Quod sanè principium nulla indiget probatione apud hominem sani cerebri, nec est capax tergiuersationis apud sincerum veritatis amatorem. Prædestinato autem, & Reprobo est liberum peccare, & non peccare, facere, & omittere opera meritoria vitæ æternæ, implere, & non implere legem: esse, & non esse impœnitentem finaliter. Quod est certum ex fide. Dictum autem est supra q. 31. art. 2. Peccata, & opera meritoria vitæ æternæ, esse mutuò connexa intrinsecè cum consequutione, & amissione vitæ æternæ, ideò, prædestinatione, & reprobatione. Est igitur aliquatenùs liberum prædestinato, & reprobo, vt prædestinetur, & non prædestinetur, reprobetur & non reprobetur. Accedit, reprobo imputari suam reprobationem, vt patet ex illo Oseæ paulò priùs memorato, *Perditio tua ex te.* Nemini autem imputatur, quod non est sibi liberum. Et rursus nequit esse homini libera sua reprobatio, quin aliquatenus sit eidem libera sua etiam prædestinatio. Quia nequit alicui esse liberum alterum ex duobus extremis, inter quæ non est dare medium, ideò, quorum neutrum vitari potest, nisi per positionem alterius; quin, & alterum sit aliquatenùs liberum, eidem. Eiusmodi autem extrema sunt prædestinatio, & reprobatio, amissio, & consequutio vitæ æternæ, vt patet. Patet igitur prædestinationem, & reprobationem esse liberam, cùm Deo, tum etiam aliquatenus prædestinato ipsi, & reprobo.

Art. 5. Concordia inter vtramque istam libertatem pendet à concordia vtriusque libertatis quoad operationes nostras meritorias, & demeritorias vitæ æternæ. Quia nulla nobis inest libertas immediata ad positionem, & impeditionem gloriæ, quæ, videlicet, sunt actiones pertinentes immediatè ad solam electionem, & actionem liberam Diuinam. Tota igitur libertas nostra circa positionem, & impeditionem gloriæ, & circa æternam existentem in Deo prædestinationem, & reprobationem, reducitur ad libertatem immediatam circa opera bona, & mala; solaque proinde exponenda est concordia huius libertatis, cum Diuina libertate circa eadem opera bona, & mala. Concordia ista est valdè difficilis explicatu, vt apparet ex rationibus dubitandi, & ex eo præcipuè, Quòd, ex vna parte, voluntas Dei in eo, quod est sibi liberum, præcedit omnem aliam voluntatem. Quia Deus est causa vniuersaliter, & in omni genere prima, & subordinans sibi omnes alias causas secundum omnem rationem, ac proinde est etiam primum liberum, & primum eligens subordinans sibi omne aliud principium electiuum, & liberum, quoad omnem rationem electionis, & libertatis. Ex alia verò parte hoc est essentiale Diuinæ voluntati, vt eius decretis resisti nullatenùs possit, vt habetur 9. ad Rom. 19. *Voluntati eius quis resistit?* Esther. 13. 9. *In ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati.* Isaiæ 14. 27. *Dominus exercituum decreuit: & quis poterit infirmare?*

Art. 6. Antecedentia autem Diuinæ voluntatis, quatenùs præeligentis nostram electionem, coniuncta cum eiusdem infallibilitate, & irresistibilitate, videtur omnem intercludere aditum indifferentiæ nostræ, quoad electionem nostram deindè subsequentem. Quia quatenus electio Diuina antecedit omnem nostram electionem, omnemque nostrum conatum, est ineuitabilis prorsus, ac inimpedibilis à nobis. Quatenùs verò efficacia eiusdem diuinæ præelectionis est insuperabilis, ac irresistibilis, nullam ex suppositione sui, seu in sensu composito sui, relinquit indifferentiam vlteriorem, respectu effectus præintenti, qui est operatio nostra, & nostra electio. Quapropter hæc in primis propositio conditionalis: *Si Deus efficaciter vult voluntate beneplaciti, vt nos operemur, operabimur*: est sempiternæ, & necessariæ veritatis, propter dictam irresistibilitatem, ac infallibilitatem Diuinæ voluntatis. Deindè, propter antecessionem eiusdem diuinæ voluntatis, & præelectionis, conditio, *quòd Deus velit*, est necessaria, & ineuitabilis respectu nostri, nec est impedibilis vlla nostra electione, & conatu. Quia prius per posterius impediri non potest. Itaque neque conditionatum, ex suppositione conditionis, nec suppositio ipsius conditionis, siue quòd supponatur, & detur à parte rei conditio, subest nostræ libertati, ac electioni indifferenti ad vtramque partem. Nulla igitur absolutè indifferentia nobis relinquitur.

Art. 7. Nonnulli putant ex efficacia infallibili, ac insuperabili diuinæ voluntatis inferri potiùs incolumitatem nostræ libertatis, & perfectam indifferentiam nostræ electionis in tempore faciendæ. Quia Deus efficaciter vult nostram operationem, non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum congruentem naturæ; ideò, quoad libertatem, ac indifferentiam, quæ est homini connaturalis. Deus enim non vult inuertere naturas rerum, sed fouere, ac perficere, nec aliud velle potest, vt apparet ex quæst. 28. Quia igitur Deus simul vult efficaciter, vt operemur, & eliciamus talem determinatè actum, vtque operemur, & eliciamus indifferenter, & liberè: sequitur non solùm nos operaturos, ac elicituros esse infallibiliter talem determinatè actum; sed etiam operaturos, ac elicituros esse cum perfecta libertate, ac indifferentia, quantum fert natura nostra, atque experientia, & ratio persuadet. Ista propositæ difficultatis solutio assumit quidem verissimum principium; sed quod, nisi vlteriùs promoueatur, satisfacere intellectui nequaquam potest. Verissimum namque est, Deo volente aliquem effectum, cum modo aliquo determinato, subsequi deinde, cum æquali infallibilitate,

bilitate, substantiam talis effectus, & modum illum determinatum ipsi à Deo præfixum. Sed non minùs verum, ac manifestum est, volente Deo simul substantiam, & modum determinatum alicuius effectus, debere adhibere causas ad vtrumque simul idoneas. Nec enim in consortio cuiuslibet indiscriminatim causæ, potest inducere quemlibet indiscriminatim effectum, & quemlibet illius modum.

Art. 8. Quapropter, vt Deus velit inducere, cum causa secunda, calorem, eumque intensum, non potest ad id adhibere glaciem, vel etiam aquam tepidam; aut ignem, ad producendum frigus; nec ad visionem potest vti potentia auditiua, vel etiam visiua cæcutienti, ad visionem claram; & sic de aliis causis intrinsecè necessariis. Sed neque voluntas nostra, quæ ex se præcisè est indifferens, vt liberè, vel necessariò operetur, potest adhiberi, vel ad amorem Dei absolutè liberum, quatenùs prædita visione beata, vel ad amorem necessarium, quatenus prædita cognitione Dei abstractiua, & intrinsecè indifferenti. Vnde esset manifesta implicatio, quod Deo volente substantiam eius amoris simul cum modo libertatis humanæ, adiungeretur voluntati visio beata; aut quod adiungeretur eidem cognitio indifferens, Deo præintendente eandem substantiam cum modo necessitatis. Non igitur sufficit, pro re præsenti, dicere, quòd Deus velit substantiam nostri actus simul cum modo libertatis; sed necesse insuper est explicare, quænam adhibeat ex parte causæ secundæ, vt hæc retineat in suo actu modum illum, eumque coniungat cum modo alio infallibilitatis, qui conuenit eidem actui, prout subest voluntati diuinæ ipsum intendenti efficaciter, & determinatè. Dum enim hoc non manifestatur, manifestum esse minimè poterit, non implicare voluntatem diuinam intentiuam nostri actus, quoad substantiam, cum modo contingentiæ, & cum modo infallibilitatis simul, vt apparet considerenti exempla proposita.

Art. 9. Hac de causa D. Thomas q. 19. art. 8. vt reducat contingentiam, & defectibilitatem nostrorum actuum, ad infallibilitatem, seu infrustrabilitatem diuinæ voluntatis volentis simul substantiam eorum, & modum libertatis, distinguit, & subiungit in hunc modum: *Et ideò quibusdam effectibus aptauit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proueniunt. Quibusdam autem aptauit causas contingentes, & defectibiles, ex quibus effectus contingenter eueniunt.* Et rursus: *Quia Deus voluit eos* (effectus causæ proximæ contingentis) *contingenter euenire, contingentes causas ad eos præparauit.* Idem repetit qu. 22. art. 4. Quæstione verò 23. art. 6. pro concordia prædestinationis diuinæ cum libertate prædestinati, remittit lectorem ad doctrinam datam in iisdem illis duobus locis. Cui nihilominus doctrinæ superaddit in eadem quæst. 23. art. 2. prædestinationem non esse aliquid in prædestinato, sed in prædestinante tantùm, quod est valdè obseruandum. Quia si prædestinatio diuina poneret in prædestinato aliquid ipsi intrinsecè inhærens, simulque connexum essentialiter, ac determinate cum actibus prædestinati, non minùs, quàm cum iisdem connectitur ipsa prædestinatio, tolleret procul dubio contingentiam, & defectibilitatem causarum proximarum; & perperam ad istam contingentiam, & defectibilitatem vnicè recurrisset vbique D. Thomas pro tuenda libertate, ac indifferentia electionum humanarum. Posito enim aliquo intrinseco præuio essentialiter determinato, ac determinante indefectibiliter ad vnam partem, non subsisteret ampliùs ea contingentia, & defectibilitas causarum proximarum, sed eo ipso redderetur infallibilis, & indefectibilis, sicut est infallibilis, & indefectibilis ipsa prædestinatio intra Deum existens, & nobis extrinseca, à qua contradistinguitur per D. Thomam contingentia, & defectilitas ex parte nostra. Id quod expressè obseruat idem D. Thomas de Verit. q. 22. art. 8. dicens. *Deus immutat voluntatem dupliciter: vno modo, quando voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc, quod formam aliquam imprimat voluntati, &c.* atque hunc solum modum approbat pro explicatione, & indemnitate nostræ libertatis. Idem discrimen eorum, quæ sunt intrinseca, & eorum, quæ sunt extrinseca nobis, colligitur apertè ex testimoniis paulò priùs indicatis, quòd voluntati æternæ Dei prædestinantis resisti non possit; & ex Tridentino, ac Senonensi definientibus; quòd auxiliis gratiæ Dei datis in tempore dissentire, & resistere possimus. Quod discrimen subsistere non posset, nisi discrimen ponderatum ex D. Thoma, quoad extrinseca, & intrinseca nobis, illa indefectibilia, ista defectibilia, verissimum esset. Dicendum igitur est cum D. Thoma, ideò infallibilitatem præscientiæ, prouidentiæ, prædestinationis, & prædefinitionis Diuinæ non tollere indifferentiam arbitrij creati; quia omnia nihilominùs, quæ in tempore prouidentur eidem arbitrio, atque immittuntur à Deo, sunt ex se indifferentia ad vtrumlibet, & defectibilia secundum se; atque ea, quæ sunt extrinseca alicui causæ, non possunt per se præcisè, eam immutare, & tollere modum operandi conuenientem eidem secundum se, & ex sua natura.

Art. 10. Ex ista doctrina D. Thomæ; quæ est procul dubio verissima, & solida, ac summè necessaria pro concordia præsenti, clarè apparet indifferentia arbitrij creati, & contingentia electionum eius, non obstante infallibilitate actuum diuinæ prouidentiæ. Quia vltima species, & determinatio effectus sequitur conditionem, naturam, & dispositionem intrinsecam causæ proximæ, & particularis. A qua videlicet modificatur, & determinatur causa remota, siue vniuersalis quoad speciem, & modum particularem effectuum. Nondum tamen apparet infallibilitas effectus specie, & numero vltimò determinati sub causa proximè indifferenti, & quidem indifferentia vltimò completa ad vtrumlibet oppositorum, atque adeò ad dandum, & impediendum esse talis effectus. Imò videtur hanc indifferentiam ad vtrumlibet oppositorum omninò repugnare illi infallibilitati alterius ex oppositis determinatè. Infallibile enim est, cuius oppositum esse non potest; liberum verò, & contingens, cuius oppositum esse potest. Augetur difficultas ex D. Thoma dicente quæst. 25. art. 5. ad 1. *Fieri non posse, quæ non præscierit Deus, & præordinauerit se facturum. Quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi eius.* Ergo oppositum eius, quod Deus præsciuit, & præordinauit de facto; idest, oppositum eius, quod fit de facto, nequaquam fieri potest. Ergo nulla nobis inest indifferentia, nullaque potentia, vt fiat vtrumlibet oppositorum; vel certè non datur in Deo prouidentia infallibilis infallibilitate practica, & causatiua alterius partis determinatè sumptæ.

Art. 11. D. Thomas, vt soluat istam difficultatem, dicit in omnibus locis paulò priùs indicatis, quod est scitum, volitum, & præordinatum à Deo, ex hoc præcisè esse necessarium tantùm conditionatè, & ex suppositione, quatenùs necesse est, aliquid esse ex suppositione; seu sub hac conditione, quod sit scitum, aut volitum, ac præordinatum à Deo; sicut necesse est vnum quodlibet esse ex suppositione, quòd iam est, seu sub hac conditione, quòd iam sit. Cæterum non propterea esse necessarium absolutè. Quia videlicet non est absolutè necessarium, quòd Deus sciuerit,

nerit, aut voluerit, ac præordinauerit eam determinatè partem, quæ de facto præscita, aut volita, ac præordinata est. Sed fieri absolutè potuit, vt daretur in Deo oppositа, circa actum nostrum, & scientia, & volitio, atque præordinatio. Quod quidem ita accipiendum est, vt non soli Deo sit liberum, solaque eius potentia, & libera electione fieri potuerit, vt daretur oppositа ipsius scientia, & præordinatio: sed etiam sit hoc ipsum liberum nobis, atque in nostra potestate, & electione aliquatenùs positum.

Art. 12. Sicut enim propositio conditionalis necessaria reddit materiam sibi subiectam absolutè necessariam, seu est conuertibilis cum absoluta necessitate eius, si conditio sit similiter necessaria, siue alioquin proxima, siue remota ea sit, vt obseruat optimè D. Thomas quæst. 14. art. 13. ad 2. ita etiam propositio conditionalis necessaria reddit materiam sibi subiectam omninò necessariam, & minimè liberam; seu est conuertibilis cum necessitate eius, & non libertate, respectu eius, cui non est libera, sed omninò necessaria conditio apposita. Quia enim hæc conditionalis est necessaria, *Si Petrus currit, mouetur: Si Petrus existit, est alicubi, & aliquando:* cui non est liber cursus Petri, eo ipso non est eidem liber motus Petri, & cui non est libera existentia Petri, eo ipso non est libertum, quòd Petrus sit alicubi, & aliquando. Cùm ergo hæc conditionalis: *Si Deus scit, aut vult, ac præordinat Petrum bene operari hic, & nunc, Petrus benè operatur hic, & nunc:* sit non minùs necessaria. Necessarium vtique omninò, ac minimè liberum foret, respectu Petri, ipsum benè operari hic, & nunc; nisi esset aliquatenus liberum, ac minimè necessarium, respectu eiusdem, quod detur in Deo hæc determinatè scientia, aut hæc voluntas, ac præordinatio potiùs, quàm oppositа. Ne igitur perperàm tradita sit à D. Thoma doctrina illa de necessitate conditionata, & ex suppositione, accipienda procul dubio est de necessitate sub conditione, & ex suppositione, quæ conditio, & suppositio sit aliquo modo impedibilis ab homine, eidemque aliquatenùs libera.

Art. 13. Quod quidem, quoad scientiam Dei attinet, non obscurè agnoscit, ac docet D. Thomas in eadem illa responsione ad 2. Quia necessariam veritatem huius principij, *Si Deus scit aliquid, illud erit,* reuocat in veritatem notissimi illius principij, *omne quod est, dum est, necesse est esse*, & vtrumque principium, necnon necessariam vtriusque veritatem vsurpat tanquam conuertibilia, eiusdemque prorsus rationis. Cùm ergo actus humani sint liberi homini, atque impedibiles ab eodem absolutè; patet scientiam quoque Dei circa eosdem, esse aliquatenus impedibilem ab eodem quominùs detur à parte rei absolutè. Quia verò scientia visionis Dei, circa aliquod obiectum, non aliter impediri potest, quàm impedita voluntate efficaci eiusdem circa idem; patet voluntatem quoque efficacem Dei, circa actus humanos, esse aliquatenùs impedibilem absolutè ab homine. Rursus, quia voluntas, & electio Dei efficax, circa aliquod obiectum, non aliter impediri potest, quàm inducta ineligibilitate proxima talis obiecti secundum se, quatenùs Deus inimpedibiliter decernit, ac eligit, vt sibi placet, circa omnia proximè ex se eligibilia honestè, necesse similiter est fateri, humana libertate induci posse ineligibilitatem aliquam proximam, respectu Dei, circa actus humanos. Quæ proindè ineligibilitas antecedat prioritate virtuali intrinseca omnem liberam determinationem Dei circa eosdem actus.

Art. 14. Inducitur autem à nobis eiusmodi ineligibilitas, respectu Dei, inducta scientia media, per quam videlicet habitam independenter ab omni sua libera electione, quatenùs sibi libera, cognoscit Deus, de singulis auxiliis gratiæ suæ contentis in tota collectione auxiliorum absolutè possibilium, quem determinatè exitum sit habiturum vnumquodque eorum, si ponatur à parte rei, iuxta dicta suprà qu. 18. Quia verò impossibile est, vt in tota collectione auxiliorum gratiæ Dei non appareat aliquod futurum efficax, & aliquod aliud futurum inefficax, respectu cuiusuis, & hominis, & operis, vti notatum est suprà circa libertatem Dei ad prædestinandum, & reprobandum; impossibile vtique est, vt non suppetat Deo auxilium, quo dato subsequatur infallibiliter, in quolibet indiuiduo rationali, quælibet species operis pro qualibet temporis differentia. Rursus, quia tota collectio auxiliorum gratiæ Dei sumpta collectiuè nulli vnquam conferri potest, sed quòd vnumquoduis seorsim conferatur, necesse est; atque quodlibet auxilium proprium hominis viatoris est secundum se, & ex sua præcisè natura frustrabile, completiuumque causæ contingentis, ac defectibilis, vt innotuit paulò priùs ex D. Thoma: apparet clarè, infallibilitatem metaphysicam euentus determinati, prout à Deo præsciti, & præintenti, aut permissi, nihil nocere indifferentiæ arbitrij creati simpliciter antecedenti ad vtrumlibet oppositorum. Quia ea infallibilitas constituitur adæquatè per aliquod extrinsecum homini, & absolutè impedibile ab eodem, impedita ea scientia media determinatè, quæ datur de facto, & à qua dependet electio Dei efficax, & scientia visionis existens de facto. Libertas autem, & indifferentia arbitrij creati tolli non potest formaliter per aliquid eidem extrinsecum, qualecumque illud sit, dummodò sit impedibile ab eodem. Patet igitur beneficio scientiæ mediæ optimè cohærere inter se infallibilitatem scientiæ visionis, prouidentiæ, prædestinationis, ac reprobationis diuinæ; & indifferentiam proximam, atque defectibilitatem arbitrij creati pro vnaqualibet opportunitate operandi; neque impediri diuina, respectu nostræ prædestinationis, & reprobationis, libertate, nostram, respectu earundem, libertatem, ac indifferentiam aliqualem, aut è contra. Ista ratione concordiæ, ex prænotione congruitatis, vel incongruitatis conuenientis vnicuique auxilio, vsus est Augustinus, tum alibi, tum maximè lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. paulò ante medium, dum dicit. *Illud autem nescio, quo modo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim misereatur, etiam volumus. Ad eam quippè misericordiam pertinet, vt velimus.* Et rursus paulò inferiùs; *Nullius Deus frustra miseretur.* In quibus apparet clarè infallibilis, ac insuperabilis efficacia diuinæ voluntatis, circa actus nostros. Ratio enimverò eius efficaciæ hæc immediatè subiungitur. *Cuius autem misereatur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Vbi cum æquali claritate adstruitur illa infallibilitas vocationis dependens à præscientia congruitatis, vt ponatur congruens indifferentiæ arbitrij creati.

Art. 15. Ex his vlteriùs deprehenditur, quanta, & qualis libertas, atque indifferentia conueniat, tum Deo, tum nobis, in negotio prædestinationis, quoad finem, & media ipsius. Apparet nāque Deo esse liberam absolutè, & simpliciter prædestinationem cuiusuis substantiæ rationalis, quoad finem, & quoad omnia, & singula media ipsius; & tantùm secundum quid esse non liberam eidem: homini verò esse liberam tantùm secundum quid, & ex suppositione, immediatè quidem quoad actus salutares, mediatè verò quoad ea, quæ cum iisdem actibus connectuntur determinatè. Ratio prioris partis deducitur facilè. Quia Deo conuenit in primis potestas omninò

libera negatiuè, non solùm, quatenùs potest neminem creare, atque ita neminem prædestinare; sed etiam quia posita creatione, adhuc sunt indebita, ex natura rei, tum singulis, tum toti hominum collectioni, auxilia gratiæ, omniaque media conducentia positiuè ad visionem beatam, ideóque illis omnibus hæc omnia sunt negabilia ex natura rei, vt liquet ex quæst. 10. Deinde facta suppositione eleuationis generis humani in eum finem; non solùm eadem libertate, qua Deus eam suppositionem inducit, confert omnibus auxilia sufficientia ad consequutionem vitæ æternæ, data illis vniuersaliter potestate filios Dei fieri; sed insuper est liber libertate speciali, vt quibuscumque voluerit, conferat, & quibuscumque voluerit, neget auxilia efficacia ad omne genus operum salutarium, & ad perseuerantiam finalem; idest, vt conferat, vel neget vnicuilibet liberè actum primum, vt coniunctum cum actu secundo, & media remota, vt coniuncta cum mediis proximis inductiuis vitæ æternæ, cumque ipsa vita æterna. Neque per vllam libertatem creatam impediri potest, quominùs hæc omnia vnicuilibet conferat, vel non conferat pro libito, propter obseruatam suprà impossibilitatem metaphysicam vniformis, aut frustrationis, aut efficaciæ totius collectionis auxiliorum gratiæ in præuisione diuina directrice Diuinæ prouidentiæ circa vnamquamque substantiam rationalem; ideóque relinquentem liberam absolutè, & proximè expeditam diuinam auxilij efficacis, vel inefficacis electionem, respectu cuiuslibet pro qualibet differentia temporis, & ad quodlibet operum genus.

Art. 16. Altera pars, de eadem prædestinatione libera homini, & non libera Deo, tantùm secundum quid, & ex suppositione, ex eo facilè concluditur. Quia non est liberum homini, vt habeat talem determinatè actum primum proximum libertatis, vtque constituatur in talibus determinatè circumstantiis, ex parte obiecti, & ex parte subiecti, antecedentibus suam liberam electionem, & non connexis cum eadem determinatè sumpta. In summa non est liberum homini, vt sibi conferatur auxilium præuisum fore efficax potiùs, quàm præuisum fore inefficax, si conferretur: Solùm itaque est homini liberum, ex suppositione, quòd iam est constitutus in his determinatis circumstantiis, & donatus hoc determinato actu primo proximo libertatis inhærente sibi intrinsecè. Solùm, inquam, est homini liberum ex hac suppositione, vt benè, vel malè operetur, dissentiat, vel non dissentiat huic Dei gratiæ determinatè sumptæ; & consequenter, vt eandem gratiam determinatè sumptam, vel in vacuum, vel vtiliter receperit, vtque vtrumuis horum præsciuerit Deus, atque præordinauerit sub eodem actu primo proximo determinatè sumpto. Nempè reliqua eueniunt absque hominis libertate, vt patet ex nuper dictis. Idem euentus, atque in alterutram partem determinatio, ex eadem suppositione, non est formaliter, & seorsim libera Deo libertate eatenus speciali, sicut non est eidem libera noua seorsim libertate, vt posita tali determinatè causa secunda necessaria vltimò completa, sequatur effectus huius potiùs speciei, quàm alterius determinatè. Nempè causa secunda intrinsecè libera, ex suppositione, quod iam sit, in ratione talis, vltimò completa, inducit actum talis determinatè speciei ex propria electione, vt sibi libet, sicut causa secunda necessaria similiter vltimò completa inducit, ex sua natura effectum talis determinatè speciei. Quapropter vtrobique vniformiter deest Deo specialis seorsim libertas, quoad speciem determinatam actus secundi, ex suppositione actus primi proximi adæquatè sumpti, solumque habet libertatem perfectam quidem, & absolutè immediatam, sed indiuiduam, ad vtrumque simul ponendum, vel non ponendum à parte rei. Patet igitur ex his omnibus, quæ dicta sunt, prædestinationem, & reprobationem esse liberam, tum aliquatenus, & secundum quid nobis, tum maximè, & absolutè Deo; & quanta, & qualis sit, seu quatenus se extendat, & quo modo libertas vtriusque.

Ad 1. Vt Deus iustè conqueratur de iis, qui peccant, & pereunt, sufficit liberum ipsis esse benè operari, obseruare legem, & saluari per ea determinatè auxilia gratiæ, quæ conferuntur ipsis de facto; eosdemque peccatis suis impediuisse Deum, quominùs eadem auxilia, quæ contulit de facto decreto permissiuo peccatorum, & reprobatiuo, conferret per decretum prædefinitiuum bonorum operum, & prædestinatiuum ad gloriam, ad quæ opera, & operum finem vocabant, ac impellebant eadem auxilia, quantum est ex se, & ex voluntate Dei antecedenti. Quia verò huiusmodi auxilia sic frustrata per obstinationem accipientium, proueniunt ex meritis, & sanguine Christi, quibus nihil maius ordinari potuit in salutem hominum; propterea dicitur fortitudo Christi Domini sine causa, & vanè consumpta esse, quoad tales homines; tametsi Deus absolutè potuerit eos perducere ad vitam æternam adhibitis aliis auxiliis, & circumstantiis, quæ occulto, sed iusto suo iudicio subtraxit.

Art. 1. Ad 2. Repugnat Deo omne decretum liberum antecedens, aut non subsequens scientiam mediam. Quia directio huius scientiæ pertinet ad perfectionem prouidentiæ Dei, & nulli determinationi liberæ diuinæ deesse potest vlla directionis perfectio absolutè possibilis; nec fieri potest, vt Deus determinet, seu eligat aliquid, nisi præhabens cognitionem adæquatam omnium, & singulorum proximè eligibilium, & comparabilium mutuò per suam electionem decretoriam, vti semel, atque iterum notatum est suprà, & apparet specialiter ex dictis q. 27. Deindè scientia media, cùm habeatur à Deo absque vlla sua libertate, & electione, est intrinsecè indifferens ad quodlibet decretum diuinum compossibile cum ipsa, & ad eius oppositum. Hæc autem indifferentia, si quidem est realiter identificata cum diuinitate, ideóque est summè, ac infinitè perfecta in omni genere, nequit esse indifferentia purè physica, sed necessariò est electiua, & propria agentis liberi, vti etiam notatum est suprà. Nequit igitur dari in Deo vlla electio libera, non præsupponens virtualiter intrinsecè scientiam mediam cum indifferentia electiua, respectu sui, ad eum modum, quo relationes Dei ad intra, propter eandem solam realem identitatem cum diuinitate, sunt electiuæ, & causatiuæ omnium absolutè eligibilium, & causabilium. Denique Deus cognoscit, per scientiam mediam, quid actura sit causa secunda, ex se, libera; si non impediatur ab ipso, nec restringatur ad alteram partem determinate, restrictione simpliciter antecedenti. Corrumpitur autem istud obiectum per decretum simpliciter antecedens prædefinitiuum actus boni, & repugnans permissioni actus mali. Quia eo ipso præsupponitur omnipotentia Dei restricta ad vnam partem, & iam impotens proximè, vt cooperetur ad partem oppositam, idque præscindendo adhuc ab electione, & determinatione causæ secundæ, & auferendo eidem totaliter potestatem ad impediendam talem suppositionem. Vnde nullus relinquitur locus scientiæ mediæ, præexistente, vel etiam purè concomitante eiusmodi decreto.

Art. 2. Negandum igitur est, posse Deum, ex vi solius scientiæ simplicis intelligentiæ, concipere decretum vagum simpliciter antecedens, & omninò

inim

inimpedibile à libero arbitrio creato, de conferendo aliquo auxilio efficaci, nulloque conferendo inefficaci. Solùm namque potest, præsuppositа simul scientia media, velle conferre, vel tale determinatè auxilium efficax, vel tale determinatè inefficax. Quia verò tam efficacia, quàm inefficacia cuiusvis auxilij ordinarij gratiæ Dei, determinatè sumpti potest impediri per liberum arbitrium creatum, iuxta dicta suprà, patet impediri ab eodem absolute posse quodvis eiusmodi decretum Dei, seu prædefinitiuum, seu permissiuum existens de facto; licet tota collectio, seu prædefinitionum, seu permissionum Dei à nemine impediri possit, nec fieri, vt electio Dei non cadat in alterutram collectionem pro libito ipsius, vt patet ex dictis suprà.

Ad 3. Duplici ratione dicitur Deus solus discernere iustum ab iniusto, & prædestinatum à reprobo, atque istam discretionem esse Dei miserentis, potiùs quàm hominis currentis, vel etiam non esse hominis currentis. Primò, quia ea discretio prouenit à Deo, & à misericordia Diuina, tamquam à præeligente misericorditer antè omnem electionem, voluntatem, & concursum creatum; atque hæc omnis electio, voluntas, & concursus ab illa præelectione, & misericordia præuia descendit; eademque est ratio, suo modo, de permissione peccatorum, & de peccatis; quamquam istud, *suo modo*; multum discriminis contineat absolutè, quoad alia. Secundò; quia Deus discernit, tamquam conferens, & actum primum, & actum secundum discretionis, ideóque tamquam conferens totum, nempè, & possibilitatem, & actualitatem discretionis. *Deus enim, & præparat voluntatem, & adiuuat præparatam*, vt dicit Augustinus, de cuius mente, & doctrina circa hoc punctum videri possunt plura in quæst. 18. de Gratia, præsertim ad 3. Neutrum autem ex his duobus cadit in voluntatem creatam, vel formaliter, vel æquiualenter. Vnde de nulla sua prærogatiua, & excessu conducenti in vitam æternam gloriari potest homo, tanquam de re non accepta, nisi gloriari velit de malitia peccatorum, quæ conducit ad mortem æternam: neque quidquam tribuere potest conatibus suis comparatione misericordiæ Dei, tanquam hæc ab illis prouenerit, & non magis è conuerso. Atque hæc est intentio illorum tium textuũ. Cæterum gloriari in Domino potest, qui benè operatur, & saluatur; quia liberè cooperatus est Deo, & quia non impediuit, cùm posset, prædefinitionem, sui boni operis, & diuinam sui præelectionem ad gloriam; idest, quia non est transgressus, cùm transgredi potuisset, sub ea determinata auxiliorum, & circumstantiarum serie, cui de facto subest. De hoc enim laudatur iustus in Euangelio; & qui præcepit, *qui gloriatur, in Domino glorietur*, non omninò prohibuit gloriationem, sed modum eius præscripsit; atque præscriptio modi non tollit substantiam, sed asserit. Qui autem nullam habet omninò libertatem in aliquo opere, aut euentu; nullo modo gloriari de illo potest, neque in Domino, neque independenter à Domino.

Ad 4. Scientia, & voluntas Dei non transeunt vnquam in præteritum. Quia mensurantur æternitate, ideóque semper, & quandolibet sunt in actuali egressu, seu quasi egressu, vt dicit D. Thomas vbi suprà. Quapropter sicut corporalis visio cursus Petri, pro instanti determinato, potest impediri, impedito pro tunc, cursu Petri: Ita scientia Dei æterna de nostris actibus potest impediri, impeditis iisdem actibus pro quauis temporis differentia respectiuè. Quia videlicet scientia Dei pro heri, & hodie, & sic de aliis differentiis, est eadem, & entitate, & duratione. Qua in re non omnibus est facile sicut, est necessarium omnibus, eleuare intellectum à consideratione temporis, & temporalium, vsque adeò agnata humanæ naturæ, ad considerationem æternitatis, & visionis essentialiter æternæ, iuxta dicta suprà qu. 17. Idem dicitur, suo modo, de diuina voluntate, quatenus prædefinitiua nostrorum actuum, & prædestinatiua hominis; vtpote præsupponente essentialiter scientiam mediam, quæ est impedibilis à libero arbitrio. Cuiusmodi connexio, & dependentia dari non potest inter victoriam Alexandri, & robur exercitus nunc existentis. Quæ videlicet sunt vtrimque temporalia, & physica, ideóque affixa tempori omnibus modis.

Ad 5. Verum est, quod est alicui liberum, quatenus est ipsi liberum, esse impedibile ab eodem. Verum rursus est, non posse Deum impediri absolutè ab homine, quominus eum prædestinet, vel reprobet pro libito, atque hoc solùm intendit eo in loco Augustinus. Impedire nihilominus potest quilibet homo, quominùs prædestinetur, aut reprobetur à Deo per ea determinatè auxilia gratiæ, quæ ipsi conferuntur de facto. Quia liberum ei est, vt illis cooperetur, vel non cooperetur; atque ita saluetur, vel reprobetur. Hoc autem sufficit ad saluandam libertatem creatam. Quæ, videlicet, impediri à Deo minimè potest, quominùs erumpat in vtrumlibet ex illis extremis, facta suppositione talis determinatè actus primi adæquatè sumpti. Patet igitur nullam sequi contradictionem ex libertate diuina coniuncta cum libertate creata, quoad easdem operationes, eandemve operationem. Quia libertas, & inimpedibilitas Dei ad prædestinationem, & reprobationem, & ad effectus vtriusque, est absoluta, & non post factam eam suppositionem: libertas verò, & inimpedibilitas creata, est è conuerso, ex suppositione tantùm: vel aliter, libertas Dei, & inimpedibilitas est respectu actus primi, & actus secundi simul, ac indiuisim: libertas verò, & inimpedibilitas creata est respectu actus secundi seorsim, & directè, vt expositum est supra. Vnde patet prædicata illa opposita, respectu libertatis diuinæ, & creatæ, non esse secundum idem, & ex eadem suppositione.

Art. 1. Ad 6. Determinatio præuia causæ primæ ad vnam partem contradictionis, & contrarietatis, extrinseca homini, & impedibilis ab ipso homine, non tollit, quominùs homo operetur liberè. Determinatio autem Dei ad vnam partem, ex vi prædefinitionis bonorum operum, & prædestinationis ad gloriam, est extrinseca homini, vt patet, & non ponit in homine aliquid similiter determinatum intrinsecè ad vnam partem, tenens se ex parte actus primi, vt notatum est supra ex D. Thoma. Et præterea eadem determinatio Dei ad vnam partem sub talibus determinatè auxiliis, iis scilicet, quæ conferuntur de facto, est impedibilis ab homine; quia est impedibilis ab ipso scientia media, efficaciæ eorum determinatè auxiliorum, quæ sibi conferuntur de facto, atque ab hac scientia media dependent prædefinitio boni operis, & prædestinatio ad gloriam per ea determinatè auxilia, per quæ de facto mandantur exequutioni bona opera, & consequutio gloriæ, quæ omnia patent ex dictis suprà.

Art. 2. Neque obstat, bona opera nostra, & consequutionem gloriæ, vt coronæ, etiam pro statu conditionato, essentialiter subesse prædefinitioni, & prædestinationi diuinæ; atque per scientiam mediam cognosci, quatenus dependentia ab auxiliis gratiæ, & concursu vniuersali immediato Dei, vt exhibendis per eandem prædefinitionem, & prædestinationẽ. Non obstat, inquam; quia prædefinitio, & prædestinatio Dei non cognoscuntur per scientiã mediã cum futuri

futuritione conditionata, quatenus libera Deo, sed quatenus proueniente ab electione libera creata. Deus enim cognoscit per scientiam mediam hunc actum primum creatum libertatis, ex. gr. qui de facto collatus est D. Petro, vel esse ponendum à se parte rei per decretum prædefinitiuum boni operis, vel nullatenus ponendum esse à parte rei; neque oppositum esse sibi proximè liberum. Idem dicitur proportionaliter de permissione peccati, respectu actus primi ex. gr. inhærentis Iudæ, cùm concepit propositum proditorium; deque prædestinatione, & reprobatione comparata cum actu primo creato ad perseuerantiam finalem, & ad finalem impœnitentiam.

Art. 3. Itaque determinatio Dei ad prædefinitionem, vel permissionem; ad suum concursum immediatum respectu, vel boni operis, vel materialis peccati; ad prædestinationem, vel reprobationem, pro nullo statu ponit intrinsecè in nobis aliquid præuium insuperabiliter determinans nos ex sua natura ad vnam partem contradictionis, aut contrarietatis determinatè sumptam; nec eadem Dei determinatio est, aut independens à nostra libera electione, aut formaliter libera Deo ex suppositione actus primi proximi creati. Pro nullo igitur statu, siue absoluto, siue conditionato, quidquam obest nostræ libertati, & indifferentiæ eadem præuia determinatio Dei ad alteram partem determinatè sumptam. Oportet relegere circa hoc, quæ dicta sunt quæst. 18. præsertim ab art. 16.

Art. 1. Ad 7. Prædestinatus non potest damnari, nec saluari reprobus, in sensu composito prædestinationis, & reprobationis; potest tamen in sensu diuiso. Ad eum vtique modum, quo potest, & non potest peccare iustus; amans, odio habere; stare, qui sedet. Sicut enim componi non potest statio cum sessione; odium cum amore; peccatum cum gratia, ita non potest componi damnatio cum prædestinatione, neque saluatio cum reprobatione. Cæterùm, sicut, qui est iustus, potest peccando excludere à se iustitiam, & gratiam habitualem, & qui amat, potest excludere à se amorem per odium; & similiter sessionem per stationem, qui sedet: ita qui est prædestinatus, potest peccando impedire prædestinationem, & qui est reprobus, potest vitando peccata impedire reprobationem. Atque hoc est, quod significatur, dum dicitur, prædestinatum posse peccare, & damnari in sensu diuiso, & è contra, de reprobo.

Art. 2. Hinc patet ad confirmationem. Si enim prædestinatus damnaretur in sensu composito prædestinationis, redderetur vtique falsa scientia Dei, & frustraretur voluntas diuina efficax. Et similiter, si prædestinatus posset damnari in sensu composito prædestinationis, posset vtique falsificari scientia Dei, & frustrari voluntas eius efficax. Neutrum tamen sequitur ex damnatione, aut possibilitate damnationis prædestinati in sensu diuiso prædestinationis. Solùm enim sequitur, quòd non daretur in Deo, aut quòd potuerit non dari in Deo prædestinatio, seu ea præscientia, eaque voluntas efficax Dei, quæ datur de facto, respectu eius qui saluatur de facto, sed daretur opposita, & scientia, & voluntas. Quapropter potentia prædestinati ad peccandum, & moriendum in peccato, non est potentia ad frustrandam prædestinationem diuinam, quæ detur de facto, neque ad impediendam absolutè omnem diuinam prædestinationem sui per quamlibet indiscriminatim seriem auxiliorum intrinsecè indifferentium ad peccatum, & ad impœnitentiam finalem: sed solùm est potentia ad impediendam prædestinationem sui per ea determinatè auxilia, & media, per quæ de facto perducitur in vitam æternam, & ad faciendum, vt eadem auxilia vel omninò non conferrentur sibi, vel conferrentur per decretum permissiuum peccati, & reprobatiuum peccantis.

Art. 3. Ista disiunctio non conferendi omninò, vel conferendi per tale determinatè decretum, debet diligenter aduerti. Quia decretum diuinum collatiuum auxiliorum gratiæ, & scientia media, qua dirigitur istud decretum, pertinent ad actum primum remotum, ac mediatum nostræ operationis; & nostra operatio simul cum actu primo nobis intrinseco dependet ab illis, tanquam effectus à causa. Absurdum autem est, causam aliquam esse impedibilem, aut impediri de facto per existentiam, & actionem sui effectus, atque huiusmodi potestatem conuenire determinatè alicui effectui, respectu suæ causæ. Absurdum tamen non est, quòd causa secunda, & proxima inducat necessitatem vagam, ac indeterminatam, vt causa prima, vniuersalis, ac mediata, vel non ponat à parte rei talem causam secundam, vel ponat simul cum tali determinato effectu, seu per decretum efficaciter intentiuum indiuisim talis determinati effectus, vt processuri ab eadem causa secunda, & non per decretum efficaciter intentiuum, aut permissiuum effectus oppositi. Imò est hoc ab omnibus necessariò admittendum. Quia quælibet causa secunda necessaria coniicit Deum in huiusmodi necessitatem disiunctiuam, & vagam, vt semel atque iterum notatum est suprà. Vnde scientia simplicis intelligentiæ, quatenus est perfectè comprehensiua quidditatis, & virium causæ secundæ necessariæ, per se ipsam formaliter est talis necessitas desiunctiua; ideò, est constitutiua perfectissimæ libertatis diuinæ non inuertentis naturas rerum, sed prouidentis singulis, prout congruit vniuscuiusque naturæ, iuxta dicta quæst. 28. Quidni igitur simile quid præstet causa secunda libera, mediante scientia media? quandoquidem causa libera determinat se, & sua comprincipia per suam electionem, sicut causa necessaria determinat se, & sua comprincipia per naturam suam, atque ideò illa per scientiam mediam, sicut ista per scientiam simplicis intelligentiæ.

Art. 4. Itaque scientia media, qua Deus cognoscit euentum vniuscuiusque auxilij, & actus primi proximi libertatis creatæ, inducit in Deum, vel potius se ipsa formaliter constituit necessitatem disiunctiuam, & vagam, vt tale auxilium, & talis actus primus proximus libertatis creatæ, vel omninò non ponatur à parte rei, vel ponatur per decretum, seu intentiuum, seu permissiuum talis determinatè actus secundi, & non oppositi. Quæ necessitas est indistincta à perfectissima libertate diuinæ prouidentiæ, qualis congruit causæ secundæ liberæ, & retinet exactam proportionem cum prouidentia, quæ congruit, & ex confessione omnium, datur in Deo, respectu causæ secundæ necessariæ. Quia verò scientia media procedit à libero arbitrio creato, prout existente, & operante intentionaliter priùs, quàm existat in se intrinsecè, & operetur physicè, vti expositum est in dicta quæst. 18. art. 14. Et quia præterea eadem scientia media est essentialiter vera, & conformis operationi exercendæ à libero arbitrio creato, casu, quo ipsum ponatur à parte rei, atque eidem libero arbitrio est eatenùs essentialiter attemperata, vt ibidem dictum est. Quia, inquam, hæc ita se habent, nullum est inconueniens, quòd scientia media, & decretum diuinum per eam directum, à quibus dependet, in genere causæ efficientis, liberum arbitrium creatū simul cum cæteris prærequisitis ad operandum, dependeant nihilominus, in genere determinantis, ac præligentis modo dicto, ab ipso libero arbitrio creato simul cum cæteris prærequisitis complentibus illud intrinsecè

in

in actu primo proximo. Concluditur ergo Deum esse perfectè liberum absolutè ad conferendum, vel non conferendum quemlibet actum primum, & secundum libertatis; non verò, vt prædestinet per quemlibet actum primum, seu per quodlibet auxilium, & quaslibet eius circumstantias; sed hoc pendere à libertate etiam creata.

Ad 8. Iam iterum obseruatum est ex dictis qu. 8. ad 4. & tota quæst. 17. nulli rei creatæ conuenire rationem futuri, respectu scientiæ diuinæ secundum se, neque huic secundum se, & secundum aliquam suam durationem conuenire rationem præteriti, respectu vllius rei creatæ. Quapropter scientia Dei, de nostra operatione hodierna existens heri, perindè est impedibilis hodie per omissionem operationis nostræ hodiernæ, modo nuper explicato, atque si existeret tantum hodie, & inciperet esse, cùm incipit esse nostra operatio libera; & sicut est impedibilis visio creata cursus Petri, impedito cursu Petri. Idem dicitur de veritate hesterna, & de futuritione nostri operis, vtpotè indistincta à scientia Dei; nec non de reuelationibus tempore prioribus, vtpotè pendentibus essentialiter à scientia Dei, ideoque impediendis indirectè, impedita directè scientia Dei.

Ad 9. Dicendum est, sicut ad præcedentia, despectum, seu reprobatum à Deo, à nemine corrigi posse in sensu composito despectus, & reprobationis; posse verò absolutè, & in sensu diuiso: atque illi testimonio Ecclesiast. subesse priorem sensum, sicut subest primâ Ioann. 3. 9. dum dicitur. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Et rursus: *& non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Art. 1. Ad 10. Si Deus non haberet scientiam mediam; non posset eadem velle exequi, quæ vult, & exequitur de facto. Quia non posset velle efficaciter, & determinatè operationes nostras liberas, nec ad eas influere ex vi suæ voluntatis applicantis efficaciter suam omnipotentiam ad eas determinatè operationes liberas, quibus nos exercemur de facto. Sed, vel induceret necessitatem simpliciter antecedentem in omnes vniuersaliter causas secundas, omnesque ipsarum operationes; vel operationes liberæ substantiarum rationalium, hæ potiùs, quàm illæ, prouenirent comparatione Dei, fortuitò, & à casu, nec Deus posset ad eas immediatè cooperari.

Art. 2. In primis enim, quod euenit præter intentionem, aut permissionem determinatam alicuius, & sine præcognitione eius, quod determinatè eueniet ipso volente, aut permittente; eo ipso euenit fortuitò, & à casu, comparatione eius, quoad talem determinationem effectus. Deinde duo agentia libera non possunt conuenire in eandem actionem, eam determinatè, aut præintendendo per alium actum, aut aliquando per se ipsam formaliter, absque periculo frustrationis, nisi alterum eorum, vel vtrumque sit præscium electionis faciendæ ab altero, si ipsum illi adsit, & cooperetur, quantum est ex se. Quia cùm agens liberum sit indifferens ad vtrumlibet oppositorum, & ita determinetur de facto ad vnam partem, vt potuerit determinari ad oppositam; fieri poterit, vt altero agente determinante se ad vnam partem, aut eam præintendente determinatè, alterum nihilominus agens non se determinet ad eandem partem, sed ad oppositam; si neutrum est præscium electionis ab altero faciendæ, casu, quo illi non desit sua cooperatio. Separabuntur ergo in actione, cùm tamen supponantur esse inseparabilia essentialiter, vti re ipsa est inseparabile agens creatum à cooperatione Dei.

Art. 3. Hæc igitur absurda cùm sint; atque substantiæ rationales creatæ, cum suis complementis itidem creatis, & sibi intrinsecis, ita sint indifferentes ad hanc, vel illam actionem suam, vt simul sint essentialiter determinatæ ad cooperandum Deo, vt præeligenti illam vel positiuè, vel permissiuè; patet necessariam esse scientiam mediam ex parte Dei, eiusque præsuppositionem esse essentialem causis secundis liberis ex suo conceptu. Vnde rursus patet, quod præcipuè intenditur, nempè esse chymæricam suppositionem obiectionis, quòd eadem omnia creata existant non præexistente in Deo scientia media. Quapropter falsum est, cognosci à Deo per solam scientiam simplicis intelligentiæ omnia possibilia, quoad possibilitatem proximam determinatam ipsorum. Falsum rursus consequenter est, omnia eadem possibilia cognosci, per scientiam simplicis intelligentiæ, determinatè, quoad possibilitatem proximam, independenter ab eo, quod per eandem scientiam cognoscatur, cum simili determinatione, scientia media, à qua in ratione proximè eligibilium, & inuicem coordinabilium, cætera essentialiter dependent.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrum prouidentia Dei sit vniuersaliter benefica erga omnes, etiam peccatores, & reprobos?

VIDETVR Prouidentiam Dei erga neminem esse beneficam, ac præsertim erga peccatores, & reprobos minimè censeri posse beneficam absolutè, & simpliciter.

1. Quia, qui exponit maiori periculo, quàm spei, beneficus esse non potest. Deus autem exponit maiori periculo, quàm spei, substantias omnes rationales purè creatas. Quòd probatur primò à posteriori. Quia illud est maius periculum, quàm spes, quod plerolque pertrahit in malum, & ratione cuius longè plures incidunt in ruinam. Sunt autem longè, & incomparabiliter plures, qui de facto incidunt in ruinam, & damnationem, quàm qui consequuntur vitam æternam, vt pluribus, & manifestis sacræ paginæ testimoniis, necnon communi Sanct. PP. consensu demonstrat Montoya disput. 54. de Prædestinatione sect. 1. 2. & 4. Deindè à priori. Quia bona temporalia, quæ pertrahunt ad malum sunt notiora, quàm bona æterna, quæ retrahunt à malo, & perditione. Motiuum autem, quod est notius, ideóque apprehenditur efficaciùs, mouet magis voluntatem, ideóque probabilius est electionem casuram esse in eam partem, ad quam illud pertrahit. Ergo est maius periculum, quod imminet ex allicientia bonorum temporalium in malum, quàm spes, quæ affulget ex allicientia æternorum bonorum ad summum bonum.

2. Plus malitiæ inest peccato lethali, quàm insit bonitatis toti collectioni bonorum: quorum est capax substantia rationalis creata, Quia malitia peccati lethalis, ex sententia plurium Theologorum, est simpliciter, & propriè infinita, & ex reliquorum consensu, est propè, seu quodammodo infinita; cùm cumulus omnium bonorum, quorum sunt capaces substantiæ rationales creatæ, sit finitus, & infinitè distans à bono simpliciter infinito, & reputetur quasi nihil comparatione eiusdem boni simpliciter infiniti. Ergo licet spes obtinendi bona, quorum sunt capaces substantiæ rationales creatæ, esset æqualis periculo incidendi in mala, quorum eædem sunt capaces. Imò etiam si spes esset maior, quàm periculum; adhuc Deus non esset beneficus erga substantias

rationales creatas. Quia non est beneficus, qui inducit in periculum malorum incomparabiliter maiorum, quàm sint omnia bona, quæ sperari possunt; tametsi spes sit æqualis periculo, aut etiam sit aliquanto maior, quam periculum. Quia excessu infinito simpliciter, aut propè infinito malorum corrumpitur ratio beneficij. De cuius, videlicet, conceptu est præponderantia boni in eo, quod confertur, omnibus vndequaque consideratis.

3. Maior est miseria reproborum, quàm felicitas prædestinatorum. Quia reprobi patiuntur priuationem omnium eorum bonorum, quibus potiuntur prædestinati; atque priuatio cuiusque boni est tantum iustè malum, quantum est bonum, quo priuat. Omnes enim censent tantum malum iacturam centum aureorum, quantum bonum est lucrum, & possessio eorundem. Patiuntur autem præterea reprobi malum sensus ex igne æternùm eos depascente, exque aliis innumeris tormentorum speciebus, ac modis, absque vlla eatenus compensatione in Beatis. Ergo exitus, inter quos, constituuntur ancipites substantiæ rationales creatæ, ita comparantur inter se, vt sit deterior, qui est malus, quàm sit bonus, qui bonus est. Vltimus autem exitus rerum est lydius lapis æstimationis cæterorum omnium, quæ præcedunt. Nulla igitur inest ratio beneficij iis omnibus, quæ Deus confert creaturis suis, quia ipse voluit, vt plus esset mali in exitu, qui foret malus, quàm boni in eo, qui foret bonus.

4. Cui melius fuisset non nasci, quàm nasci, nullum accepit beneficium nascendo. Quia de ratione beneficij est, vt sit melius ipsum, quàm eius priuatio. Iis autem, qui peccant, & damnantur, melius fuisset, si nati non fuissent, vti pronunciat de Iuda Christus Dominus Matthæi 26.24. & Marci 14. 21. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ergo saltem erga peccatores, & reprobos non est beneficus Deus.

5. De ratione beneficij est, vt non conferatur rationabiliter inuito; idest, non electuro, nec acceptaturo, si daretur ipsi optio, sed rationabiliter reiecturo. Nemo autem ex iis, qui peccant, & qui damnantur, eligeret eum actum primum libertatis, cum quo peccat, eamque seriem totius vitæ, quæ ipsum deducit ad inferos, si esset possibile, vt daretur sibi optio, dareturque de facto. Quia nemo prudens eligit, aut rationabiliter eligere potest, aut inimicitiam Dei, quæ est deuincta cuiuis peccato lethali, aut infelicitatem æternam, quæ est deuincta impœnitentiæ finali. Ergo Deus non est beneficus, saltem quatenus conferens eum actum primum libertatis, ex quo de facto subsequitur peccatum lethale; multò verò minùs, quatenus conferens eam vitæ seriem, quæ de facto deducit ad inferos.

6. Paruuli, qui moriuntur absque baptismo, & absque possibilitate proxima baptismi, eo ipso moriuntur infelices, & absque possibilitate proxima consequendi felicitatem. Nullum autem est beneficium, quod non est felicitas, neque pars felicitatis, neque possibilitas vlla consequendi felicitatem. Omne namque bonum est felicitas, aut medium ad felicitatem, seu possibilitas felicitatis. Ergo tales saltem paruuli nullum à Deo beneficium accipiunt.

7. Non est beneficus erga alium, de quo hic alius conqueri iure potest: Impossibile namque est, vt conqueri iure possit, qui tenetur ad gratiarum actionem, ad quam vtique tenetur omnis beneficiarius. Omnes autem, qui damnantur, aut peccant vtcumque, possunt iure conqueri de Deo; tum quia, cùm sint æquales in natura præseruatis à peccato, & prædestinatis, accipiunt tamen minùs, quam illi, quod est contra rationem iustitiæ distributiuæ, seu legalis: tum quia, cùm Deus posset illos liberare à summo malo, summaque miseria, absque vlla propria, vel iactura, vel molestia; noluit tamen illis subuenire; quæ est sæuitia, & species quædam tyrannidis longe detestabilior, quam ipsa auara diuitum durities, quæ non subuenit pauperibus extremè indigentibus; quæ tamen præbet magnam iustis querelis materiam. Ergo Deus non est beneficus erga reprobos, aut erga aliquem alium peccatorem.

8. Non est eligibile peccatum comparatione omnium bonorum absolutè possibilium; quia nihil prosunt cætera omnia, si quis animæ suæ detrimentum patiatur, vti patitur omnis peccans. Ergo non est eligibilis spes omnium bonorum cum periculo peccandi. Patet consequentia: quia spes comparatur cum periculo, sicut comparatur bonum speratum cum malo imminenti. Deus autem confert spem summi boni coniunctam cum periculo peccandi. Nihil ergo confert æstimabile, & eligibile ab eo, cui confertur; ac proindè non est beneficus.

9. Tantundem valet ad euacuandam rationem beneficij præcognitio mali euentus, quantum valet ad statuendam, augendamque rationem beneficij præcognitio boni euentus. Deus autem quidquid confert, confert cum præcognitione euentus reipsa futuri, seu prosperi, seu improsperi, vt sæpè dictum est supra. Ergo sicut confert magnum beneficium, dum confert actum primum libertatis iis, qui de facto benè operantur, & saluantur, ita nullum confert beneficium iis, qui de facto peccant, & damnantur. Ergo non est beneficus erga istos, sed solùm erga illos.

10. Sicut affirmatio est causa affirmationis; ita negatio est causa negationis. Ergo sicut Deum dedisse auxilium efficax est causa, vt benè operetur is, qui illud accepit: ita Deum dedisse auxilium inefficax, seu subtraxisse auxilium efficax, est causa, vt malè operetur, qui illud accipit, aut istud non accipit. Nequit autem esse beneficus Deus erga eum, cui est causa totius sui mali. Ergo non est beneficus erga peccatores, & reprobos. Qui videlicet conqueri de Deo possunt, tanquam de causa omnium suorum malorum, quique exprobrare eidem possunt, quòd tantumdem boni, & egissent, & obtinuissent, quantum optimi quique, si ipse non obstitisset, & non fuisset operatus, tanquam acceptor personarum, mittendo aliquos in decipulam, alios verò statuendo in iustitia, & sanctitate.

11. Propter delectationem momentaneam infligit Deus pœnam æternam, eamque acerbissimam, & quidem infligit odio similiter æterno. Quod non cadit in voluntatem vniuersaliter beneficam, aut vniuersalitate complectente omnes personas, aut vniuersalitate complectente omne opus. Quia in tali opere, & erga talem personam nullum apparet, vel minimum vestigium beneficentiæ. Vnde dicitur Iac. v. 13. *Iudicium sine misericordia fiat ei, qui non fecerit misericordiam.* Ergo Deus non est vniuersaliter beneficus erga omnes. Certè non est vniuersaliter beneficus in omni suo opere. Augetur difficultas quoad hanc secundam partem. Quia Deus plura facit ex iustitia, & aliqua iniusta. Ex iustitia enim retribuit præmia merentibus; & Apostolus ad Rom. 15. v. 8. Conuersionem Iudæorum attribuit iustitiæ, & veritati; sicut conuersionem gentium attribuit misericordiæ. Deinde iustos affligit frequenter multis modis. Quod est iniustum. Non autem pertinet ad beneficentiam opus iustitiæ. Quia beneficio debentur gratiæ; non autem iusto. Multò verò minùs potest esse opus beneficentiæ, quod est opus iniustitiæ, vt per se patet.

Art. 1. Resp. Beneficentia Dei significatur communiter

muniter in sacris litteris nomine misericordiæ, quatenùs quidquid Deus erogat creaturis, erogat tanquam abundans indigentibus; & vt à miseria, in quam decidunt ex se, erigat ad felicitatem, quam solus ipse dare potest. Quia solus se ipsum dare potest. Tribuitur autem in iisdem sacris litteris, misericordiæ diuinæ, non solùm quòd liberet res creatas à defectibus, & physicis, & moralibus, quibus Deo non subueniente, subesſent, aut iam suberant, & quibus infra dignitatem sibi connaturalem deprimuntur, aut deprimerentur; sed etiam, quòd sint, & conseruentur in esse, & quòd eleuentur per dona supernaturalia vltra dignitatem, & proportionem ipsis intrinsecam; idque non solùm, respectu substantiarum rationalium, sed etiam irrationalium, atque inanimatarum. Ista diuinæ misericordiæ amplitudo patebit ex testimoniis mox producendis. Vnde consequenter apparebit attribui Deo misericordiam non solùm expertem compassionis; cui videlicet, nec apud homines passionum, atque inde compassionis propriè dictæ capaces, locus est vllus, respectu non existentium, aut sola carentium eleuatione, per dona supernaturalia; sed etiam tribui misericordiam latiùs patentem, quàm pateat virtus specialis, quæ à Philosopho, & aliis communiter designatur per hanc vocem, & subuenit naturæ indigna patienti; siquidem, quæ nondum sunt, aut iam sunt, & solùm carent donis excedentibus naturalem eorum dignitatem, nihil indignum patiuntur, & tamen dicuntur subesse misericordiæ diuinæ, quatenus donanti existentiam, & supernaturaliter eleuanti. Patet itaque tribui Deo misericordiam non solùm propriè, & strictè sumptam, sed etiam latiùs patentem, prout coincidit cum beneficentia, cuius opus est *Beneuola actio gaudium tribuens accipienti*, iuxta communem beneficij definitionem ex Seneca l. 1. de Benef. c. 6. ex Aug. l. de definit. receptam in iure ciuili, & ab omnibus aliis.

Art. 2. Dico itaque conuenire Deo misericordiam in hoc postremo sensu, atque adeò beneficentiam erga omnes, & singulos, vniuersaliter, eamque exerceri in omni opere diuino absque vlla exceptione. Apparet hoc clare ex Ps. 144. 9. *Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.* Vbi prior pars exprimit vniuersalitatem suauis beneficentiæ erga omnia, quæ existunt; & posterior pars adiungit exercitium eiusdem beneficentiæ in omni operatione diuina circa eadem omnia. Hoc ipsum manifestatur Ps. 24. 5. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas.* Eodem pertinet, quod dicitur Exod. 34. 6. *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* Et Ps. 85. 15. *Et tu Domine Deus, miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ.* Hæc duo testimonia id præterea monent, quod est per se manifestum, beneficam istam misericordiam Dei versari directè, & ratione sui circa substantias intellectuales. Quia diuina clementia, patientia, veracitas, ablatio iniquitatum, scelerum, & peccatorum ad solas pertinent intellectuales substantias, nec possunt pertinere, nisi indirectè, & mediatè ad irrationalia.

Art. 3. Tria autem sunt, quibus continetur beneficentia Dei, circa substantias intellectuales. Primum est existentia, & conseruatio. Secundum est finis, quem illis præfigit. Tertium sunt media, quibus instruit ad consecutionem finis. Rursùs hæc media considerari possunt pro triplici statu naturæ, innocentis, lapsæ, & reparatæ, iuxta expositionem, quæ habetur quæst. 1. de Gratia. Quod ad primum attinet, manifestum est, creationem, & conseruationem esse beneficas, quantum est de se. Quia omnia tam rationalia, quam irrationalia appetunt naturaliter esse, & conseruari, & fugiunt ipsum non esse, quantum possunt. Appetitus autem vniuersaliter inditus omnibus à natura, nequit esse irrationalis, & nequit non esse beneficium, quod confertur rationabiliter volenti. Cùm posset negari absque iniuria. Accedit, res creatas produci, & conseruari à Deo per actionem beneuolam. Quia producit, & conseruat ex vi dilectionis erga ipsas, iuxta illud Sap. 11. 25. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Vnde confirmari vlteriùs potest absolute beneficentia vniuersalis Dei. Quia diligens, necesse est, vt benefaciat, si potest, vti potest Deus; Cùm amor sit actiuus, quantum potest, vt dictum est supra, ex Philosopho. Cui rationi suffragatur D. Dionys. c. 4. de Diu. Nom. p. 1. dicens: *Audebimus, & id loqui, quod ipse quoque omnium auctor pro amatoriæ bonitatis magnitudine, extra se sit, ad omnia, quæ sunt multiplicis prouidentiæ ratione pertingendo,* vbi consequenter obseruat, quod Deus dicitur Zelotes, Exod. 20. *vt vehemens ad ea, quæ sunt, clementer amanda.* Zelotes autem, & vehemens amator cum clementia est, qui vehementer appetit remouere, quæ nocent rei amatæ, eidemque abundè benefacere.

Art. 4. Quod ad finem attinet; nullum potuere substantiæ intellectuales creatæ desiderare, vel etiam cogitare, aut fingere præstantiorem, quam qui de facto propositus ipsis est. Propositus enim est, vt vltimus finis, Deus ipse, qui est summum, ac infinitum bonum. Propositus verò est, vt possidendus per visionem immediatam ipsius, qui est nobilissimus, ac summè perfectus possidendi modus inter omnes possibiles respectu substantiæ finitæ, vt dicetur in qq. de Beatit. Verùm quia hoc tantum bonum propositum est, cum periculo ipsum amittendi, & incidendi in contrariam miseriam: Comparanda est bonitas, & felicitas obtinendi, ac possidendi prædictum finem, cum malitia, & miseria amittendi eundem, vt videatur, vtra alteri præponderet. Dicendum autem est, felicitatem Beatorum, præponderare incomparabiliter miseriæ reproborum, atque bonum possidendi summum bonum, esse quasi infinitè maius, quam malum amittendi illud. Probatur. Quia vberiorem gaudendi materiam suppeditat beatis sua sors, quàm quæ infert tristitiam ex damnatione. Bonorum autem, & malorum contingentium substantiis rationalibus, iusta mensura est penes gaudium, & tristitiam, quæ ex vtrisque proficiscuntur per se. Nullus namque æstimat grãde malũ, de quo nouit, se non debere valdè tristari, vileque dãnũ est, de quo leuiter iure dolemus. E conuerso, sicut nullum bonum est, quod non gaudenter excipimus, ita exiguum bonum est, de quo tepidè gaudemus, id verò excellens, quod largo gaudiorum imbre recreat animum, id summum, quod summo eundem perfundit gaudio. Confert plurimum in hunc scopum tota qu. 20. de Passion. Validum præterea eandem in rem argumentum desumitur ex SS. Litteris, ferè semper explicantibus Beatudinis præstantiam, sola vbertate gaudij inde resultantis, aut eam constituentis formaliter, vt Ps. 33. 11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,* Ps. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Quæ cum alijs eiusmodi pluribus congerit Salas tr. 2. in 1. 2. disp. 5. sect. 3. & Communiter interpretes cum D. Th. ibid. q. 4. a. 2. Familiaris itidem est explicatio miseriæ reproborum per tristitiam, vt constat ex illo Matth. 8. 12. & c. 22. 13. & Luc. 23. 28. *ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Art. 5. Vt appareat gaudium Beatorum maius esse, quam tristitiam reproborum, duo quædam præmittenda sunt apud omnes indubitata. Primum est, pœ-

nam damni, seu priuationem visionis beatæ, & Deum quatenus nunquam videndum, esse longè maius reproborum malum, quam pœnam sensus, seu cumulum cæterorum cruciatuum. Alterum est, gaudium de bono possesso, & tristitiam de eodem amisso crescere, ac minui, iuxta augmentum, & diminutionem cognitionis repræsentantis bonum possessum, & amissum. Nam si quis amisit gemmam, ratus esse vitrum, leuiter dolet, ac tristatur. Si verò possedit vitrum, ratus esse gemmam, plurimùm gaudet. Eadem procul dubio ratio est de cognitionibus perfectissimè, & non vsque adeò perfectè penetrantibus bonum amissum, & possessum: Rectè itaque metiemur tristitiam, & gaudium perfectione cognitionis repræsentantis bonum amissum, & possessum; quando cætera sunt paria. Manifestum autem est Beatos duplo, imò quasi infinitè perfectiùs cognoscere bonum infinitum, quod possident; quam reprobos, qui eius iacturam patiuntur. Quia Beati immediatè, ac intuitiuè feruntur in Deum, cuius possessione lætantur. At reprobi adumbrant eundem, cuius absentiâ tristantur, cognitione abstractiua, per species rerum creatarum, & consequenter ad instar ipsarum. Nemo autem ignorare potest, cognitionem intuitiuam, ac immediatam, saltem Dei, duplò, imò quasi infinitè esse præstantiorem cognitione abstractiua eiusdem. Huiusmodi namque est distantia Dei, vt est in se, à modo, quo est, & apparet in creaturis, & ex creaturis. Quapropter repugnat, tantam esse cuiusquam reprobi tristitiam, quantum est gaudium cuiusvis Beati. Imò necesse est, istud esse duplo, imò incomparabiliter maius, quàm illam. Quia talis est excessus visionis Dei, ipsiusque Dei, vt est in se, respectu cognitionis abstractiuæ de eodem, atque eiusdem, quatenùs participati à rebus creatis, & cognoscibilis mediantibus creaturis. Ergo visio Dei est duplo, imo incomparabiliter maius bonum, quàm sit mala eiusdem priuatio. Cùm autem hæc priuatio sit longè maius reproborum malum, quam reliquæ eorundem pœnæ, & cruciatus: patet, bonitatem, & excellentiam beatitudinis præeminere incomparabiliter malitiæ, & vilitati damnationis; maiora esse incomparabiliter Beatorum commoda, quam incommoda reproborum, maioremque similiter esse felicitatem illorum, quàm totam istorum miseriam.

Art. 6. Vt hæc probatio reddatur dilucidior, obseruandum est, quod vulgò circumfertur, vnamquamque priuationem tantum iustè malum esse, quantum est bonum, cui aduersatur: Non esse vniuersaliter verum, licet in plerisque bonis debitis non fallat. Ratio, ob quam plerumque non fallat ea regula, est, quia pleraque bona eius sunt conditionis, vt possessa, & amissa æquè bene cognosci possint, aptaque proinde sint parere tristitiam æqualem gaudio. Ita contingit in exemplo centum aureorum, qui à Domino, & non Domino videri, & æquè bene cognosci possunt, pariuntque propterea tristitiam gaudio parem, cùm amittuntur, & cùm possidentur, idemque ferè, aut omninò euenit in rebus aliis creatis. Quia cognitio intuitiua obiecti purè creati non multum differt à cognitione abstractiua perfectissima eiusdem. Gignitur enim cognitio abstractiua per species alienas, non multùm distantes à propriis, nimirùm per species proprias alterius creaturæ valdè similis, & sæpè æqualis illi, quæ cognoscitur abstractiuè. Præterea res creatæ, saltem pleræque, non possidentur perfectè per solam visionem ipsarum, cùm plura contingat videre, quàm possidere. Ideóque eiusmodi bona possessa, & non possessa possunt tantundem, aut ferè, cognosci, ac videri. At Deus possessus, & non possessus nequit esse æqualiter cognitus. Quia per solam sui visionem possidetur perfectè, & amittitur per defectum eiusdem, vt dicetur in quæst. de Beat. atque cognitio intuitiua Dei distat propè infinitè ab omni cognitione abstractiua eiusdem, vtpotè parta per species proprias obiecti creati infinitè distantis ab increato. Hac de causa, rectè pronuntiat Less. l. 2. de Summ. Bon. c. 27. num. 147. Deum, non ita esse posse summum reproborum malum, sicut est summum bonum Beatorum: potestque confirmari ex doctrina generali D. Th. aientis in 4. dist. 49. q. 3. a. 3. ad 3. quæst. *Causam delectationis perfectiùs se habere ad delectandum, quàm causam tristitiæ ad contristandum.* Qua de comparatione dictum est à me ex professo quæst. 23. de Passion. Ergò causa summæ delectationis plus, perfectiusque delectat, quàm contristet summæ tristitiæ causa. Quia verò multiplex circumfertur bonitatis acceptio, eiusdemque conferentia cum malitia, prætermissis aliis, circa huiusmodi comparationem, hoc vnum obseruandum est; sub conceptu beneficij, illud procul dubio esse maius bonum, ex quo maius resultat gaudium, illudque esse maius malum in ratione pœnæ, quod maiorem infert tristitiam. Quia beneficium definitur per beneuolam actionem tribuentem gaudium accipienti, vt dictum est. Eodem modo ex sententia Ansel. lib. de Concept. Virg. c. 4. aliorumque communi, de ratione pœnæ est, vt sit contra voluntatem, & inducat tristitiam. Rectè itaque instituta est comparatio boni, & mali, quod ad præsens attinet, & rectè proindè concluditur, Deum esse absolutè beneficum erga omnes substantias rationales, quoad finem ipsis præfixum, vtpotè superantem excessu propè infinito, malum, quod est eidem fini contrarium.

Art. 7. Hinc facilè deducitur proportionalis excessus, & ratio beneficij ex parte mediorum conducentium ad vltimum finem. Et quidem ex parte mediorum conducentium immediatè vltimo cuiusque fini, quæ sunt actus boni, & mali, perseuerantia finalis, & finalis impœnitentia, clarè apparet, præeminere bonum, quod inest actibus bonis, & perseuerantiæ finali in gratia, respectum mali, quod reperitur in peccatis, & in finali impœnitentia, considerando, atque inuicem conferendo vtrumque hoc extremum in ratione beneficij. Quia actus boni, & perseuerantia finalis inducunt beatitudinem, id est, iuxta dicta, bonum incomparabiliter maius, quàm sit totum malum reproborum, quod inducunt actus mali, & impœnitentia finalis. Bonum autem inductiuum boni maioris contraria malitia, maius vtique bonum est, quàm sit malum repertum in extremo opposito, inductiuo minoris mali. Nempe momentum, & æstimatio mediorum pendet ex comparatione, & æstimatione finium, in quos illa perducunt. Patet itaque, prouidentiam Dei, esse beneficam, respectu omnium quoad hanc partem mediorum.

Art. 8. Pro maiori claritate huius probationis, distinguenda est duplex ratio malitiæ, in peccato. Altera malitia consistit in ratione inhonesti, & vilificantis peccatorem, & consideratur relatè ad dignitatem Dei, qui offenditur per peccatum, & relatè ad voluntatem diuinam, quæ est prima regula humanorum actuum, quæque contemnitur à peccatore per quemlibet actum peccaminosum. Malitia peccati sub hac consideratione præeminet bonitati actuum bonorum puræ creaturæ, siue sumatur distributiuè, siue collectiuè secundum quamlibet multitudinem, ac intensionem, vt apparet ex q. 9. de Incarn. Altera malitia peccati consistit in ratione nocentis peccatori, & gignentis incommodum cruciatiuum, & contristatiuum eiusdem: & consideratur relatè ad subiectum, cui inest, quatenus capax bonorum, quibus priua-

tur

tur per peccatum. Malitia peccati, sub hac consideratione, est minor, quàm sit bonitas actuum bonorum. Quia actus boni inducunt in auctorem suum vberiorem gaudendi materiam, maioremque delectationem, quàm sit materia tristitiæ, & dolor inducibilis per peccata, vt patet ex dictis paulò priùs. Istiusmodi comparationi, & considerationi præfulsit Damascenus Dial. contra Manichæos, inter med. & fin. circa illud, *melius illi erat, si natus non fuisset homo ille.* Subiunxit enim sic: *Non dixit Dominus: vtile fuerat, si non natus fuisset homo ille; sed vtile fuerat homini illi. Bonum quidem est, & quantum ad naturam, & quantum ad ius attinet, vt bonus benefaciat, ac bona largiatur. At, qui accepit, nec conseruauit, turpe, ac probrosum sibi hoc ipsum efficit, quod acceperit.* Itaque peccatum prævalet in ratione turpis, ac probrosi, iuxta priorem peccati considerationem. At in ratione commodi, prævalent bona, quæ accipimus à Deo. Iam verò ad rationem beneficij stabiliendam, vel diruendam, ex parte Dei, sola consideranda veniunt bona, quæ recipimus ab ipso ratione operationum honestarum, & mala, ac cruciatus, quæ infliguntur ab eodem, ratione peccatorum. Patet ergo prouidentiam Dei esse beneficam, quatenùs causatiuam actuum nostrorum bonorum. Quia quatenus talis, inducit bonum maius, quàm sit malum, quod subsequitur ex eadem prouidentia, quatenùs permissiua peccatorum, & inflictiua pœnarum, vtcumque ineligibilitas, atque inhonestas peccatorum sit maior, quàm eligibilitas, & honestas operum bonorum, atque peccator sit magis vituperabilis ex peccatis, quàm sit laudabilis ex operibus bonis. Hoc enim solùm conuincit, hominem plus posse exequi ex se, in ordine ad malum, quàm in ordine ad bonum; cùm ex parte Dei oppositio modo se res habeat, quandoquidem plus boni inducit ex se in iustos, quàm mali in peccatores.

Art. 9. Supereſt consideranda sola contingentia exitus boni, & mali, seu actus primus libertatis, in quo constituuntur homines à Deo, antequam quidquam boni, aut mali egerint. An videlicet eos constituerit in maiori, vel minori spe conseruandæ innocentiæ, & obtinendi vitam æternam, quàm fuerit periculum incidendi in peccatum, & in æternam miseriam. Quam in rem hoc imprimis statuendum est; quamuis supponatur, Deum homines constituisse in maiori periculo peccatorum, & miseriæ indè consequentis, quàm fuerit spes conseruationis innocentiæ, & beatitudinis; saluari nihilominùs rationem beneficentiæ in prouidentia diuina inducenti eiusmodi inæqualitatem, vt sic dicam, in deterius. Ratio est; quia bonum beatitudinis non est vtcumque, seu aliquatenus tantùm, aut vt duplo, aut triplo, sed incomparabiliter, atque incommensurabiliter maius, quàm sit totum malum reproborum, vt dictum est. Actus verò primus libertatis collatus à Deo ad seruandam innocentiam, non fuit tanto excessu inclinatus magis ad peccatum, quàm ad perseuerandum in accepta iustitia. Quia Deus quantum est ex se, confert sufficientiam non solum physicam, sed etiam moralem ad obseruantiam mandatorum, id est, sufficientiam, si non magis, aut saltem æqualiter dispositam ad perseuerandum in iustitia, certè talem, de qua non multò minùs sperari possit eadem obseruantia, quàm possit timeri peccatum, vt liquet ex tota q. 3. de Grat. Spes autem non admodum minor periculo inter beneficia reputatur, dummodò bonum speratum sit incomparabiliter maius, quàm malum, & iactura, quæ timentur, vt appareat ex sortibus, & sponsionibus mutuis, quibus plures libenter exponuntur, cum spe minori, quàm periculo, quando lucrum est longè maius, quam iactura. Deus igitur fuisset beneficus erga genus humanum, tametsi illud constituisset in maiori periculo amittendæ beatitudinis, quam esset spes eiusdem obtinendæ.

Art. 10. Deinde spes de facto inducta à Deo de obtinenda beatitudine, fuit longè maior, quàm periculum incidendi in peccatum, & perditionem. Quia Deus de facto contulit Adamo perfectissimam cognitionem, tùm bonitatis suæ infinitæ, & præstantiæ æternorum bonorum impellentium ad perseuerantiam in accepta iustitia, nec non æternorum malorum auocantium à peccato, tùm vilitatis, & caducitatis rerum temporalium, quæ solæ inducere possunt ad peccandum. Subiecit præterea appetitum sensitiuum rationis imperio, ita vt facile, ac promptè illum regere, atque intra limites continere posset. Patet autem maxima bona, & mala æternùm duratura perfectè cognita, quoad vim retinendi voluntatem in accepta iustitia, longè plus valere per se ad inducendam perseuerantiam in illa, quàm valent motiua temporalia perfectè itidem cognita quoad vtilitatem ipsorum, ad inducendam prævaricationem, adiuncta præsertim subiectione partis inferioris ad superiorem. Ergò actui primo libertatis, qui de facto collatus est primo parenti, atque in ipso, toti reliquo generi humano, maior inerat, per se, spes retinendæ innocentiæ, & obtinendæ per illam beatitudinis, quàm periculum eiusdem amittendæ; ita vt fuerit valdè mirabile, quod nihilominùs inciderit in peccatum, atque totam posteritatem in illud induxerit, nullius verò admirationis materia futura esset, si homo tam perfectè dispositus ad pugnam, & animo, & corpore, triumphasset, atque constanter perstitisset in accepta iustitia.

Art. 11. Confirmatur, excessus iste spei, præ periculo, in homine, ex comparatione Angelorum. Angeli enim longè plures steterunt in accepta iustitia, suntque proindè longè plures, qui potiuntur beatitudine, quàm qui inciderunt in peccatum, & reprobationem, vt docent Granad. tr. 11. de prædest. d. 3. & plerique alij Theologi cum Cyril. Alex. & D. Thom. qui exitus argumento est non debili, maiorem fuisse spem, quam periculum, ex parte actus primi, & gratiæ; atque ex propria imperfectione. Credendum autem nequaquam est, non æque prouidisse Deum hominibus, atque Angelis. Igitur de facto in statu innocentiæ maior fuit spes, quàm periculum ex parte actus primi à Deo collati. Quòd autem homo inciderit nihilominùs in peccatum, feceritque labruscas, Deo sperante vuas, & quòd deindè inciderimus cæteri homines in periculum spe maius, non potest adscribi Deo. Quia nequit adscribi ipsi peccatum, cuius non Deus, sed solus homo est causa. Cui autem adscribi nequit origo malorum, nec etiam adscribi possunt mala inde scaturientia. Nihil igitur officit beneficentiæ Dei inferioritas spei, præ magnitudine periculi, cui subest humanum genus, post primum peccatum. Quia nequit beneficiarius auferre rationem beneficij, & laudem benefactoris, per abusum bonorum, quæ accepit magis procliuia de se in exitum felicem, quàm infelicem. Qua de causa Deus, vt tueatur beneficentiam suam erga omnes, etiam reprobos, meritò per Oseam exclamat: *Perditio tua ex te, tantummodò ex me auxilium tuum.* Quò etiam pertinet illud Matth. 5. 45. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos*; necnon illud Luc. 6. 35. *Eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos.* Quia videlicet splendor gratiæ, & pluuia donorum supernaturalium, atque abundantia benignitatis, ita sunt penes Deum, vt sint penes nos solos tenebræ, siccitas spiritus, & maligna

maligna procliuitas in malum ; ac proinde ingratitudo noſtra quæ elucet in omnibus huiuſmodi malis, nequaquam obtenebrare poſſit ſplendorem benignitatis, & beneficentiæ diuinæ, quæ elucet, iuxta dicta, in iis quæ accepimus à ſolo Deo, atque in deterius commutata ſunt per ſolam humanam malitiam.

Art. 12. Non eſt porrò operæ pretium fuſiùs hic aliquid ſuperaddere, circa ſtatum puræ naturæ ; tùm quia de facto non extitit, aut exiſtet, vnquam talis ſtatus : atque præcipuus in præſenti conatus noſter dirigitur ad tuendam beneficentiam Dei vniuerſalem in iis omnibus quæ executus eſt de facto ; Tùm quia ordo ſupernaturalis imitatur ordinem naturalem, vt fert commune, & fundatiſſimum Theologorum axioma ; ac proinde præmiſſo exceſſu ſpei ſupra periculum pro ſtatu ſupernaturali innocentiæ, qui extitit defacto, facile colligitur eundem proportionaliter futurum fuiſſe exceſſum ſpei, pro ſtatu puræ naturæ, qui de facto non datur. Id quod confirmari vlterius poteſt, ex documento nuper indicato, de potentia morali ad conſeruandam, vel certè reparandam acceptam à Deo iuſtitiam. Documentum namque illud ita traditur in cit. q. 3. de Gratia, vt non obſcurè appareat, neceſſe eſſe ex natura rei, vt Deus pro quouis ſtatu conferat, quantum eſt ex ſe, actum primum libertatis magis, vel certè nulla ex parte minùs procliuem abſolutè, & ſimpliciter in exitum felicem, quam infelicem, & quòd oppoſitum contingat, ſolùm per accidens, prouenire poſſe ex malitia, & peccato hominum. Patet itaque Deum pro quolibet ſtatu eſſe beneficum erga omnes, & ſingulos ; non ſolùm bonos, & prædeſtinatos, ſed etiam peccatores, & reprobos, tum quatenùs creatorem, & conſeruatorem ; tum denique, quoad media, quæ ſuperaddit iiſdem.

Ad 1. Neutra ex illis rationibus probat, maius eſſe periculum, in quod Deus coniecit genus humanum, ſeu quod illi permiſit, quàm ſpem, ad quam erexit. In ratione namque a poſteriori omittitur peccatum originale, cuius Deus non eſt cauſa, & quod eſt cauſa, vt plures damnentur, quàm ſaluentur : nam ſi Adamus retinuiſſet innocentiam, quam ſimul cum facilitate eandem retinendi à Deo acceperat, & conſequenter eius poſteri nati fuiſſent in ſtatu innocentiæ, accidiſſet è conuerſo, vt plures ſaluarentur, quàm reprobarentur. Certè eſt probabilius ita futurum fuiſſe, ſicut de facto euenit in Angelis, non magis proportionaliter diſpoſitis ad perſeuerandum in gratia. In ratione verò à priori, non attenditur exceſſus motiuorum pertrahentium ad iuſtitiam propè infinitus ſupra motiua, ob quæ peccatur. Eo enim exceſſu coniuncto cum perfectione cognitionis à Deo inditæ circa qualitatem vtriuſque eius extremi, & cum ſubordinatione appetitus ad rationem (quem ſtatum perturbauit, & in deterius commutauit idem peccatum originale) ſatis apparet, ſpem fuiſſe longe maiorem periculo, propter duas illas cõpenſationes præpõderantes ex parte motiuorum allicientium ad iuſtitiam, aduerſus ſenſibilitatem oppoſitorum bonorum.

Ad 2. Concedítur, iuxta dicta ſupra, exceſſus malitiæ peccati, reſpectu bonitatis operum laudabilium, ſi comparentur in ratione decentis, ac dedecentis, obſequij, & iniuriæ, reſpectu Dei, laudabilis, & vituperabilis. Negatur verò, comparatione facta in ratione vtilis, & nocentis, inductiuæ triſtitiæ, & lætitiæ, voluptatis, & cruciatus. Poſterior autem comparatio, ſola pertinet ad rationem beneficentiæ diuinæ erga nos, cùm prior comparatio ſolum pertineat ad examen benemerentiæ noſtræ erga Deum, ſeu noſtræ poteſtatis ad obſequendum Deo, & ad offendendum eundem.

Ad 3. Imò miſeria reproborum eſt incomparabiliter minor, quàm felicitas prædeſtinatorum, quia licet reprobi ſubſint priuationi omnium bonorum, quæ poſſident prædeſtinati ; prædeſtinati tamen poſſident cognitionem incomparabiliter meliorem boni per ipſos poſſeſſi, quam ſit cognitio reproborum de bono, quo carent, & conſequenter de malo, quod patiuntur. Vnde gaudium illorum eſt incomparabiliter maius, quam poſſit eſſe iſtorum triſtitia. Quæ duo ſunt iuſta, & vltima bonorum, malorumque omnium menſura. Quapropter priuatio cuiuſque boni, in eo tantùm rerum genere, eſt tam mala, quàm eſt bona poſſeſſio, quæ poſſunt æquè benè cognoſci, amiſſæ, & poſſeſſæ, dum abſunt, & adſunt, atque ideò non poſſidentur ſola cognitione perfecta ſui, nec amittuntur amiſſa eadem cognitione. Deus autem, qui eſt ſummum Beatorum bonum, & receſſus à quo eſt maximum malum reproborum, eſt extra tale rerum genus, vt oſtendetur in qq. de Beatit. Quod additur de malo ſenſus, quo videntur excedere damnati, duplici ex capite eſt inſufficiens. Primùm quia beati, ex quo animæ exiſtunt vnitæ corporibus, fruuntur delectationibus ſenſuum haud quaquam minoribus, & interim animæ beatæ potiuntur multipliciter gloria accidentali ex creaturis ſimiliter non minori, quam ſit dolor damnatorum ex malo ſenſus. Deinde, cum beatitudo ſubſtantialis ſit pluſquam duplo, atque incomparabiliter maius bonum, quam ſit mala infelicitas ſubſtantialis reproborum ; atque hæc ſit maius malum, quam malum ſenſus, ſola bonitate beatitudinis ſubſtantialis ſuperatur omne genus malorum, quæ patiuntur reprobi.

Ad 4. Si quidem melius fuiſſet homini non naſci, quam naſci, conſideratis iis, quæ accipit à principio, & cauſa ſuæ natiuitatis, & quibus ab eodem priuatur, nullum profecto accipit beneficium naſcendo. Quod efficaciter probat ratio obiectionis. Cæterum, ſi natum non fuiſſe ſit melius, ex ſolo abuſu bonorum, quæ contulit natiuitas, nihil id oberit beneficentiæ principij natiuitatis. Aliàs enim ratio beneficij non conſiſteret in qualitate rei collatæ, & in affectu, ac voluntate conferentis ; ſed eſſet expectandus vſus, & libera electio accipientis, poſtea ſubſequens ; atque huic eſſet liberum, vt accipiſſet, vel non accepiſſet beneficium, poſtquàm accepiſſet omne bonum ſibi conferibile ab alio ; & vel ipſa ingratitudinis malitia, maiori, quàm eſſet bonitas rei collatæ, & affectus, quo collata eſt, poſſet efficere, ne accepiſſet beneficium. Quæ cum abſurdiſſima ſint, patet rationem beneficij cenſendam eſſe penes ea, quæ pendent à voluntate, & actione benefactoris, & non penes ea, quæ deinde prouenium à beneficiario. Quod autem melius fuiſſet Iudæ, ſi natus non fuiſſet, non verificatur ratione eorum, quæ accepit à Deo, ſed ratione peccati, cuius ipſe ſolus fuit cauſa. Ergò Deus fuit beneficus erga Iudam, & eſt beneficus erga cæteros omnes illi ſimiles, propter bona, & ſpem vlteriorum bonorum ; licet ipſi ſua ſibi voluntate adiunxerint mala maiora, quàm ſit bonum creationis, & quàm fuiſſet malum ſimpliciter non exiſtendi.

Ad 5. Deus nemini confert exiſtentiam, & actum primum libertatis, ſimul cum peccato, & cum æterna damnatione, ſed per ſolam humanam voluntatem inducitur peccatum, quod inducit damnationem, atque coniũgitur vtrumque cum exiſtentia ſimpliciter, & cum actu primo libertatis. Quare, quod confertur à Deo peccatoribus, & reprobis, quatenus ab eo prouenit, eſt eligibile, & deſiderabile ab accipiente, nec poteſt ab eo rationabiliter reiici, Saluatur ergo eatenùs ratio beneficij, tametſi poſtea noceat

ſibi

sibi homo taliter, vt non posset rationabiliter velle, ac eligere antecedenter tale, ac tantum suum nocumentum. Quia hoc malum prouenit ab homine, & non à Deo, præterquam permissiuè.

Ad 6, In paruulis decedentibus absque baptismo, & absque possibilitate proxima baptismi, tria sunt, quæ tuentur beneficentiam Dei erga ipsos. Primum est possibilitas ipsis collata in Adamo, vt possent mori in statu innocentiæ, & adipisci vitam æternam; idque cum spe maiori ex parte actus primi, vt id eueniret, quàm esset periculum, vt eueniret malum, cui subsunt de facto. Secundum est vniuersalitas meritorum Christi, & institutio Sacramentorum, & præsertim ipsius baptismi habentis vim, quantum est ex se, vniuersalem ad deletionem peccati originalis; & ad impeditionem reliquorum peccatorum, si aliunde non interueniat obex aliquis. Tertium est felicitas naturalis, qua potiuntur æternùm iidem paruuli, tametsi potiantur cum aliqua diminutione propter peccatum originale. Vtrumlibet ex his tribus sufficit ad rationem beneficentiæ ex parte Dei, erga eos paruulos. Quia, quod ad tertium, & postremum attinet, status ille felicitatis naturalis est absolutè eligibilis, & gaudiosus. Quia, cùm contineat in se maximam delectationis, & gaudij materiam, ex contemplatione vniuersi, & Dei, quatenus operantis in vniuerso, exiguum admodùm, & vix vllum admiscet sensum doloris ex amissa beatitudine supernaturali, & maiori aliquatenus perfectione beatitudinis naturalis, vtpotè indebitis, & imperfectissimè cognitis. Duo autem priora non possunt non computari inter beneficia; quia possibilitas obtinendi summum bonum, est bonum minimè contemnendum secundùm se, ideoque retinet rationem eximij beneficij, dummodò impedimentum obtinendi de facto summum bonum, aliundè proueniat, quàm ab eo, qui confert eam possibilitatem, vt euenit in impeditione vtriusque eius potestatis à Deo nobis factæ, vt simus eius filij, & hæredes; nempè omne eiusmodi impedimentum prouenit ex defectu physico, vel morali causarum secundarum inimpedibili à Deo, retenta natura earum.

Ad 7. Inobseruantia mandatorum Dei nullam nobis exhibet querelarum materiam, sed soli Deo aduersùs peccatores, quia Deus semper præstat, quidquid ad ipsum spectat in ordine ad obseruantiam, quam exigit à nobis, iuxta illud Isa. 5. 4. *Quid debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* & plura eiusmodi similia. Neque vero est iniustus distributor, aut acceptor personarum, quia quibusdam vltra omnia necessaria, & sufficientia, vt obseruent totam legem, tribuit etiam efficaciam, & obseruantiam ipsam, tametsi sint æquales in dignitate naturæ secundum se, qui accipiunt tale speciale beneficium, quique eodem carent. Quia non est vitium acceptionis personarum, nec continet in se vllum vitium iniustitiæ, quod quis ex bonis suis vni conferat quantùm placet, & alij secundum se æquali, non conferat tantundem, si neutri quidquid debeat, vel etiam debeat, sed tantum disiunctiuè alicui ex æqualibus. Deus autem nemini quidquam debet absolutè, & simpliciter, nullaque facta suppositione liberæ suæ voluntatis; facta verò suppositione liberæ suæ voluntatis de constituendis hominibus in actu primo libertatis, ipsis connaturali quoad modum, vel quoad substantiam, contrahit necessitatem vagam conferendi quibusdam auxilia congrua, & efficacia, aliis verò, quæ incongrua, & inefficacia sunt: nec fieri potest ex ea suppositione, vt vel omnibus conferat auxilia efficacia, vel omnibus eadem subtrahat, vt ostenditur fusè q. 5. de Grat. Ex quo diluitur altera pars probationis, qua vtitur obiectio, & retorquetur exemplum, quod inibi opponitur de diuite non subueniente pauperibus. Si enim diues possit subuenire vni, vel pluribus ex tota pauperum collectione, & tamen non possit omnibus subuenire, ita est specialiter beneficus erga eos, quibus pro libito subuenit de facto, vt conqueri iure nullatenus possint, quibus non subuenit. Idem igitur dicendum est Deo distribuente inæqualiter æqualibus dona sua. Dicendum verò idem est à fortiori de Deo, cum peccatoribus comparato. Quia ipsi sua libera voluntate impediunt Deum, quominùs eis conferat, quantum confert iis, qui non peccant: cùm pauperes, quibus non subuenit diues, nequaquam impediant subuentionem, sed potiùs enixè eam sollicitent.

Ad 8. Quoduis peccatum, non solùm mortale, sed etiam veniale, est essentialiter ineligibile iuxta rectam rationem, ita vt pro nullo malo vitando, & pro nullo obtinendo bono eligi prudenter vnquam possit. Quia quoduis peccatum contrariatur diuinæ voluntati, cui nihil præponderare, aut æquiponderare potest. Sed quia nihilominùs vberiorem gaudendi materiam, maiusque gaudium inducere potest omissio libera peccatorum, quàm sit tristitia, & materia doloris inducibilis per peccatum, iuxta dicta suprà, propterea est eligibilis prudenter, atque desiderabilis spes vitandi liberè peccata, quamuis sit coniuncta, vti coniungitur ex suo conceptu, periculo peccandi. Quapropter eligibilitas, & ineligibilitas, seu prudens, seu imprudens inter spem, & periculum, est vniformiter proportionalis eligibilitati, & ineligibilitati, seu prudenti, seu imprudenti, inter bona sperata, & mala imminentia, quando in his sola datur, aut sola consideratur bonitas, & malitia physica; & vis delectatiua, & contristatiua, seu cruciatiua; non verò si conferantur bonitas, & malitia moralis relatè ad Deum, & in ratione laudabilis, ac vituperabilis. Cuius rei ratio patet ex dictis art. 8. Adde ineligibilitatem peccati, & eligibilitatem vitationis peccati, solum conferri posse cum bonis temporalibus, quæ sola possunt esse incompossibilia cum vitatione peccati; siquidem bona æterna tam repugnat, vt sint incompossibilia cum illa, vt potiùs eam exigant ex natura rei, atque ad eandem consequantur. De quo dicenda sunt plura in qq. de Pœnit. Patet interim, spem, & periculum; quæ inter se conferuntur in præsenti, non versari circa bona, & mala temporalia; sed circa æterna; ac proinde comparationem, quam instituit obiectio, esse abs re, quia comparat peccatum cum omnibus bonis absolutè possibilibus, perinde atque si bona spiritualia, atque æterna, quæ sunt maxima, & summa bona, possent haberi eligendo peccatum, aut amitti propter vitationem peccati. Quorum vtrumlibet est chymæricum, vti clariùs apparebit in loco indicato.

Ad 9. Quando Deus præuidet, si conferat tale determinatum auxilium, subsecuturum esse bonum opus, eo ipso præuidet se non posse conferre primum suum donum indistinctum ab auxilio gratiæ: quin simul conferat aliud suum donum indistinctum ab operatione bona. Cuius videlicet Deus est auctor sua operatione, atque determinata intentione, non minùs quàm causa secunda, nec minùs, quàm ipse sit causa ipsius auxilij gratiæ. At quando præuidet subsecuturum esse peccatum, si ipse conferat tale determinatum auxilium; solùm præuidet, quid futurum sit, vt superaddat homo dono Dei, absque vlla eatenùs cooperatione diuina, & absque vllà præintentione talis euentus ex parte Dei. Mirum igitur non est, si scientia media efficaciæ auxilij augeat rationem

tionem beneficij in eius collatione, scientia verò media inefficaciæ non minuat rationem beneficij conuenientem auxilio gratiæ, & actui primo libertatis secundum se, quandoquidem scientia media efficaciæ, se ipsa est necessitas, vt Deus non conferat donum suum dependens à sola sua libera electione, quin superaddat donum aliud suum dependens à sua, & ab humana libertate; id est, quin superaddat donum æstimabilius, ac maius, quàm sit donum, cui superadditur; scientia verò media inefficaciæ nullam similem in se continet necessitatem, vt non possit Deus conferre donum suum dependens à sola sua libera electione, quin illi superaddat aliquod malum, aut detrahat aliquam partem bonitatis per suam liberam electionem, & cooperationem, vt coniunctam cum operatione, & electione libera causæ secundæ, ad cuius causæ impeditionem, id est, ad vitandam permissionem peccati, nulla lege, nullaque honestatis ratione tenetur Deus, sed magis ad oppositum ex suppositione creationis Angelorum, & hominum. Ergo Deus, ita est specialiter beneficus erga omnes, & singulos, qui operantur benè, & quoties benè operantur, vt non desinat esse beneficus, beneficentia saltem vniuersali, ac generali erga eos, qui malè operantur etiam tunc, cùm malè operantur. Quia etiam tunc, quidquid habent boni, est ex Deo, & quidquid contrahunt mali, est ex ipsis solis.

Ad 10. Causa, quæ est inadæquata, respectu affirmationis, potest esse causa nihilominus adæquata negationis. Quia quando causa adæquata necessaria ad existentiam alicuius effectus, conflatur ex duabus causis partialibus, vtralibet suspendente suum concursum, inducitur negatio talis effectus, tametsi altera causa, quantum est ex se, sit ita disposita ad operandum, vt operaretur de facto, nisi impediretur à concausa nolente operari. Hoc autem modo comparantur causa prima, & secunda in ordine ad actum bonum, & malum. Quia ad actum bonum requiritur concursus vtriusque: cùm ad actum malum sufficiat concursus causæ secundæ, vtpotè sufficientis se sola ad inducendam priuationem rectitudinis debitæ, nolendo concurrere ad actum bonum, quem deberet ponere à parte rei; & à quo consequenter est indistincta rectitudo illa debita. Itaque Deus simul cum causa secunda est causa affirmationis, seu actus boni; at negationis, seu malitiæ peccati, solus homo est causa adæquata; & quod vniuersaliter dicitur, quod sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis, est distinguendum, iuxta dicta, de causa adæquata, & inadæquata.

Art. 1. Ad 11. Nec in iudicio humano, nec in diuino consideratur duratio delicti pro duratione pœnæ infligendæ, vt tantundem duret pœna, quantum durauit peccatum actuale. Quia in iudicio humano eadem pœna infligitur pro furto, aut homicidio, seu lentè, seu festinanter patrato; & qui illud patrauit, priuatur vita in perpetuum, tametsi punitus non exercuerit, nec exercere potuerit perpetuam similiter occisionem, & furtum: & Deus infligit pœnas proportionaliter diuturnas propter peccata non ita diuturna in ratione actualium peccatorum. Itaque pro iusta punitione, consideratur sola grauitas peccati, & diuturnitas solùm consideratur, quatenùs pertinet ad eandem grauitatem. Sub hac autem consideratione patet non solùm iustas, sed etiam mitissimas esse omnes pœnas, quas Deus infligit peccatoribus, omnesque absolutè infligibiles ab eodem, etiam de potentia absoluta. Quia, dum peccat homo, contemnit Deum, operando contra eius voluntatem, & transferendo, quantum est ex se, rationem vltimi finis à bonitate diuina in bonitatem creatam. Quod etsi nihil noceat Deo, continet tamen deordinationem, & dedecentiam, atque reprehensibilitatem, ac dignitatem punitionis propè infinitam, propter vilitatem offendentis, & dignitatem offensi distantes inter se infinitè, adeóque exaggerantes, prope infinitè, malitiam dedecentiæ offensæ, & iniuriæ repertæ in peccato; cùm pœna inflicta peccatori, & malum in ea contentum, non possit vsque adeò distare à bonitate, & dignitate propria naturæ creatæ. Ex quo patet esse verissimum commune Theologorum axioma: Deum punire citra condignum, sicut præmiat vltra condignum; imò non posse punire, nisi citra condignum.

Art. 2. Quare, quod assumitur in obiectione, Deum punire pœna æterna propter delectationem momentaneam, non est verum, vt sonat; Quia Deus neminem punit propter delectationem formaliter, vt talem, seu breuis ea sit, seu diuturna, seu magna, seu parua. Quia Deus est causa omnis nostri boni, atque adeo omnis nostræ delectationis, quatenùs delectatio formaliter est, tametsi coniuncta ea sit à parte rei cum peccato, & offensa Dei, quod communiter significari solet à Theologis, dicendo, materiale peccati, totamque eius entitatem positiuam esse à Deo, quem patet punire ob id non posse, quod ab ipso est, quatenùs ab ipso est: Punit itaque Deus, quia delectationibus paruis, & temporalibus, ac breuissimis impedimus maximas, & stabiles, ac æternas delectationes, & quia contemnimus Deum, fontem inexhaustum posteriorum istarum delectationum, propter res creatas, ex quibus solæ priores delectationes haberi possunt. Et quidem si homo esset dignus æterna inimicitia, & punitione Dei, casu, quo ipsum, ipsiusque legem derelinqueret, atque contemneret, propter adhæsionem ad bonum aliquid creatum, & propter delectationem deriuabilem ex illo, cum duratione horum trium æterna à parte post, non potest profecto, non agnosci homo dignus eadem inimicitia, & punitionis diuinæ æternitate, cùm eandem iniuriam irrogat Deo propter delectationem momento transeuntem, & propter adhæsionem ad bonum creatum, quod citò euanescit, cum illa ipsa adhæsione. Eò nimirum maior est indignitas, ac indecentia, atque ideò dignitas pœnæ, quoad intensionem, & durationem, quò minus est, & citiùs transit id propter quod deseritur, atque contemnitur Deus. Quare quod dicitur in Ep. Iacobi de Iudicio Dei sine misericordia, solum ponitur ad significandam magnitudinem pœnæ, cui suberunt immisericordes, & ad excludendam circa eosdem misericordiam illam specialem, qua punientur peccatores, qui fuere nihilominus misericordes. Constat enim ex testimoniis indicatis suprà Art. 2. & ex ratione nuper expensa, nullam Dei punitionem esse absolutè immisericordem; Siquidem inde constat, omnem Dei operationem esse misericordem, & specialiter omnem punitionem diuinam essentialiter esse citra condignum.

Art. 3. Quod additur in obiectione de Iustitia Dei in aliquibus Dei operationibus, deque incompossibilitate eius cum misericordia, verissimum est, quoad assertionem iustitiæ diuinæ, non solùm in aliquibus, sed vniuersaliter in omnibus operationibus diuinis absque vlla exceptione; sed est falsum, quoad incompossibilitatem eius cum misericordia. Vtrumque patet ex testimonio supra indicato. *Omnes viæ Domini misericordia, & veritas*; id est, misericordia, & iustitia, iuxta vnanimem, & certum Interpretum consensum. Ratio vniuersalitatis misericordiæ Dei patet ex nuper dictis. Quia qui necessariò est misericors

etiam

etiam dum punit, ideſt, etiam erga inimicos ſuos, dum agit cum ipſis, quatenus inimici ſunt, nunquam poteſt non eſſe miſericors in aliqua ſua operatione. Ratio verò vniuerſalitatis iuſtitiæ diuinæ apparet ex quæſt. 28. Innotuit enim ibi Deum ſemper, ac neceſſariò operari iuxta legem æternam ſapientiæ ſuæ, tribuendo vnicuique, quod congruit naturæ eius, quoad ſubſtantiam, & modum ſimul, vel ſaltem quoad modum; ita vt conferat vnicuique, vel quod eidem iam præexiſtenti debetur, vel certè conferat, quod non debetur, aut nondum debetur, eo modo, quo debet conferri, iuxta eius naturam, & exigentiam, vel vniuerſalem ſimul, & particularem, vel ſaltem, vniuerſalem ſolam. Quæ profectò omnia pertinent ad iuſtitiam legalem Dei, ſeù quaſi legalem, iuxta expoſitionem, quæ habetur quæſt. 19. de Iuſt. in qua præoccupatum eſt opportunè, quidquid pertinet ad examen iuſtitiæ diuinæ.

Art. 4. Ratio denique concordiæ inter iuſtitiam, & miſericordiam Dei, quatenus vniuerſales, & ſibi inuicem eſſentialiter connexas in omni operatione diuina, fundatur in eo, quod Deus nihil cuiquam debeat abſolutè, & ſimpliciter, ſed tantùm ex ſuppoſitione ſibi omninò libera, ideóque propriiſſime benefica. Quod autem debetur ſolùm ex ſuppoſitione beneficij, ſuperadditur deinde retenta denominatione beneficij, ex beneficio priori; ſimulque ſortitur rationem iuſti, & debiti, quatenus eadem ſuppoſitio, & quidquid ad ipſam ſubſequitur, fit iuxtam naturam, & exigentiam rei, circa quam vtraque operatio verſatur, ſeu potiùs, vtrumque genus operationis, nempe prioris ex ſua natura, & poſterioris. Huiuſmodi combinatio iuſtitiæ, & beneficentiæ liberalis, propterea non neceſſariò interuenit in operationibus creatis, procedentibus ex virtute iuſtitiæ. Quia creaturæ ſæpè incipiunt debere ex ſuppoſitione ſibi non libera, aut non continente vllam earum beneficentiam, erga eos, quibus incipiunt debere. Imò etiamſi ſuppoſitio, ex qua incipiunt debere, ſit ipſis libera, & inducta per liberalitatem, non tamen obligantur ad vlteriorem erogationem ſola ſua voluntate benefica, tanquam lege, & regula aſtringente operationem deinde ſubſecuturam; ſed obligantur voluntate diuina, ipſis non libera. Oppoſita omnia verificantur de Deo, vt patet ex dictis. Nulla igitur eſt paritas obiectionis. Vnde præmia meritis creatis retributa, & conuerſio Iudæorum, & quæcumque alia, quomodolibet attributa iuſtitiæ Dei, non propterea deſinunt eſſe vera eiuſdem beneficia, quia merita ipſa, & quæcumque alia inducentia rationem debiti, reſpectu Dei, ſunt eiuſdem vera beneficia.

Art. 5. Iam quod poſtremo ſuperadditur in obiectione, de afflictione iuſtorum, nihil conuincit aduerſus iuſtitiam, vel beneficentiam Dei; quia ordinatur in maius bonum afflictorum, nempè ad maiorem cumulum, & meritorum, & præmiorum, & ad augmentum maioris puritatis, & perfectionis in vita ſpirituali. Quod eſt lucrum incomparabiliter maius, quàm ſit natura bonorum temporalium, quorum ſola priuatione affliguntur iuſti, vt dictum eſt ſuperiùs quæſtion. 26.

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrum Deus ſit omnipotens abſolutè ex ſe præcisè?

VIDETVR nec Deum eſſe omnipotentem, nec denominationem omnipotentis eſſe ipſi adæquatè intrinſecam, ſed prouenientè inadæquatè ex poſſibilitate creaturarum eidem extrinſeca. 1. Quia Deus eſt purus actus. Ergo nulla eſt potentia in Deo. Patet conſequentia. Quia quælibet potentia opponitur actui ſui generis, eſtque incompoſſibilis cum eodem in eodem. Qua de cauſa, materia prima, quæ eſt pura potentia, eſt ſecundum ſe abſque omni actu. Ergo eadem ratione purus actus, eſt ſecundum ſe abſque omnipotentia.

2. Qualibet potentia eſt melior eius actus, vt dicit Philoſophus 9. Metaph. text. 19. Nihil autem eſt melius, quàm prædicatum aliquod diuinum. Ergo nulla potentia eſt prædicatum proprium Dei.

3. Quidquid Deus operatur, operatur per intellectum & voluntatem, qui videlicet eſt perfectiſſimus operandi modus, atque adeò vnicè proprius Dei. Ergo in Deo non datur potentia actiua, diſtincta ab intellectu, & voluntate.

4. Non datur in Deo infinita potentia. Ergo nulla in eo potentia datur. Certè non datur omnipotentia. Patet Conſequentia. Quia omne diuinum eſt infinitum; cùm infinitas ſit prædicatum tranſcendens omnia diuina, vt dictum eſt ſuprà. Deinde, poſſibilium nullus eſt finis. Ergo repugnat Deo potentia, quæ non ſit infinita, nec poteſt eſſe omnipotentia, id eſt potentia complectens omnia poſſibilia, ſi infinita non ſit. Probatur Antecedens. Primùm ex Philoſopho dicente 3. Phyſ. t. 63. Omne infinitum eſſe imperfectum, quale nihil poteſt eſſe in Deo. Deinde quia repugnat effectus infinitus, vti ſupponitur in præſenti ex dictis in Phyſica: fruſtra autem eſt potentia, quæ non reducitur ad actum, multò verò manifeſtiùs, cui repugnat, vt reducatur in actum. Denique, ſicut eſt de conceptu hominis, & ignis, vt poſſit producere alium hominem, & alium ignem, ita eſt de conceptu potentiæ infinitæ, vt poſſit producere effectum infinitum. Confirmatur ex Philoſ. inferente 8. Phyſ. t. 79. Quòd ſi potentia alicuius corporis eſſet infinita, moueret in non tempore, ſeu in inſtanti, id eſt, velocitate infinita. Ergo ſi daretur alia cuiuſuis generis potentia infinita, poſſet in eodem genere efficere effectum infinitum.

5. Ideò dicitur Deum poſſe facere hominem, & non poſſe facere hircoceruum, quia homo eſt poſſibilis ex ſuo conceptu, hircocervus verò impoſſibilis. Non autem dicitur ſimiliter è conuerſo, ideò hominem eſſe poſſibilem, & hircocervum impoſſibilem, quia illum Deus facere poteſt, hunc non poteſt. Ergo poſſe, & non poſſe, non conueniunt Deo ex ſe præcisè, ſed per denominationem ſaltem inadæquatè extrinſecam à poſſibilitate, & impoſſibilitate eorum, quæ poteſt, & non poteſt efficere. Confirmatur, quia in qq. de Potentia Dei abſoluta, quibus quæritur an Deus tale, vel tale quid efficere poſſit, omne Philoſophorum, & Theologorum ſtudium in hoc incumbit, vt appareat, quales ſint rerum prædicata, de quibus id quæritur, & an rectè ea inter ſe cohæreant, non verò qualis ſit potentia Dei. Ergo ratio, ob quã Deus poſſit aliquid, vel nõ poſſit, non ſe tenet, ſaltem

saltem adæquatè ex parte potentiæ eius, sed ex parte eorum, quibus ex se conuenit posse fieri, vel non posse fieri.

6. Non repugnaret Deus, repugnantibus creaturis, quæ sunt possibiles de facto. Ergo potentia Dei ad faciendum ea, quæ de facto facere potest, non est adæquatè intrinseca Deo. Patet consequentia. Quia in euentu posito, non daretur potentia in Deo, ad faciendum ea, quæ de facto facere potest; cùm nulla possit esse potentia ad impossibile. Quod autem non datur pro aliquo euentu, non potest identificari adæquatè cum eo, quod datur pro eodem euentu. Probatur antecedens. Quia Deus non repugnat propter repugnantiã hircocerui, hominis leonis, & similium, quæ datur de facto. Si autem repugnarent, quæ de facto sunt possibilia, repugnantia eorum esset eiusdem rationis cum repugnantia eorum, quæ repugnant de facto. Ergo eadem ratione, non repugnaret Deus in casu posito, quà non repugnat de facto. Deinde, effectus producibilis à pluribus causis, non repugnaret, repugnante aliqua tantum ex illis. Ergo neque causa, quæ potest producere plures effectus, repugnaret repugnante aliquo, vel aliquibus tantùm ex illis.

Tertiò, non cognoscit de facto Deus se repugnaturum, si repugnarent aliqua ex iis, quæ sunt possibilia de facto. Ergo non est verum, quòd Deus repugnaret in eodem euentu. Patet consequentia; quia Deus cognoscit omne verum, ac proinde non est verum, quod ab ipso non cognoscitur. Probatur antecedens, quia si Deus cognosceret se repugnaturum sub ea conditione, affirmaret de facto de se ipso conditionatè prædicata contradictoria, v. g. se fore Deum, & se non fore Deum; se fore omnipotentem, & non fore omnipotentem, sub ea conditione. Cognitio autem affirmans contradictoria de eodem, secundùm idem, siue absolutè, siue conditionatè, est essentialiter falsa, & falsificans se ipsam. Nempè veritas vnius partis contradictionis, se ipsa formaliter reddit falsam oppositam partem contradictionis. Eo namque ipso, quod sit verum dari lucem, est falsum dari tenebras, & è conuerso, & sic de similibus. Ergo propositio affirmans contradictoria, si dicatur esse vera, quoad vtramque partem, eo ipso deprehenditur esse falsa, quoad vtramque partem. Quod si dicatur, quoad neutram partem esse veram, eo ipso deprehenditur esse fallam, quoad vtramque partem. Quia omnis propositio, præsertim in materia necessaria, est vera, vel falsa. Repugnat autem Deo cognitio falsa, siue conditionata ea sit, siue absoluta. Quia omnis falsitas ex suo conceptu est imperfectio, atque omnis imperfectio repugnat Deo.

Denique si ea, quæ de facto sunt impossibilia, forent possibilia, non propterea repugnaret Deus; sed eodem modo ea posset producere, quo producere potest, quæ sunt possibilia de facto. Ergo neque repugnantibus iis, quæ de facto sunt possibilia, repugnaret Deus, sed eodem modo, non posset ea producere, sicut nequit producere, quæ sunt impossibilia de facto. Patet Consequentia. Quia nequit Deus esse indifferens, quantum est ex se, ad possibilitatem impossibilium, quin sit similiter indifferens ad impossibilitatem possibilium; quandoquidem possibilitas impossibilium, constituitur formaliter, & adæquatè ex impossibilitate possibilium, vt paulò post patebit. Probatur Antecedens à paritate, ex D. Th. in præsenti quæst. 14. art. 12. ad 5. *Dato autem*, ait, *quod essent aliqua infinita actu secundùm numerum, puta infiniti homines, vel secundum quantitatem continuam, vt si esset infinitus aër (vt quidam antiqui dixerunt.)* (ipse verò vtrumque putat esse chimæricum) *tamen manifestum est, quod haberent esse determinatum, & finitum, quia esse eorum esset limitatum ad aliquas determinatas naturas. Vnde mensurabilia essent, secundùm scientiam Dei*: Ergo eadem essent similiter producibilia per potentiam Dei, si, vti sunt impossibilia, essent possibilia. Quod tamen esset falsum, si eo ipso repugnaret Deus, & potentia Dei. Non ergò repugnaret.

Art. 1. Resp. Symbolum fidei incipit à confessione omnipotentiæ Dei: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.* Et Deus dicit de se ipso Gen. 17. 1. *Ego sum Deus omnipotens.* Idem habetur Sap. 11. 18. & 24. Marc. 14. 36. & Luc. 1. 37. Hanc veritatem esse demonstrabilem, & omnibus facile peruiam ratione naturali, docet August. ser. 119. de tempore c. 2. *Non dico*, ait, *da mihi Christianum, da mihi Iudæum, sed da mihi Paganum idolorum cultorem, dæmonum seruum, qui non dicat Deum esse Omnipotentem: negare Christum potest: negare Deum omnipotentem, non potest.* Et quidem conuenire Deo potentiam actiuam, apparet clarè ex qu. 2. Vbi demonstratum est, omnia contingentia, & quibus inest perfectio coniuncta cum imperfectione, pendere essentialiter, in genere causæ efficientis, ab ente necessario, & continente in se omnem perfectionem, absque vlla imperfectione; atque hoc ens esse Deum. Præterea vnicuique conuenit potentia ad alia efficienda, ratione actualitatis, & perfectionis ipsi inexistentis, vt patet inducenti per omnes causas, & effectus. Deo autem conuenit summa actualitas, cum plenitudine omnis perfectionis, vt dictum est suprà. Hinc sequitur, potentiam actiuam Dei esse simpliciter infinitam, iuxta illud Eccles. 18. 4. *Virtutem autem magnitudinis eius, quis enunciabit?* quò etiam pertinet re ipsa illud ps. 144. 3. *Magnitudinis eius non est finis.* Sequitur, inquam; quia potentia cuiusque causæ est maior, vel minor, iuxta maiorem, vel minorem actualitatem, & perfectionem eiusdem. Perfectio autem, & actualitas Dei est summa, & simpliciter infinita. Subsequitur hinc rursùs, Deum esse simpliciter omnipotentem, & potentiam eius actiuam esse omnipotentiam. Quia potentia actiua, quà actiua est, est perfectio. Fieri autem non potest, vt aliqua alicuius generis perfectio non sit inclusa in infinita eiusdem generis perfectione. Qua vtique ratione includitur, sublatis solis imperfectionibus, omnis, & quælibet duratio, & vbicatio, & omnis sapientiæ gradus, in æternitate, immensitate, & sapientia infinita; Et sic de aliis. Ne, scilicet, dici possit de infinito simpliciter, *huc vsque pertingit, & non amplius*, assignato eo gradu perfectionis, quem non includit in se. Quod perindè profectò esset, atque dicere: Hic est finis, & terminus, infra quem, aut intra quem est, seu includitur infinitum: id est, infinitum est finitum.

Art. 2. Dicitur autem Deus omnipotens formaliter, quia potest facere omnia absolutè possibilia: Inquam, absolutè possibilia. Quia possibile vsurpatur dupliciter, vt docet Philos. 5. Met. tex. 17. & obseruat ex ipso D. Th. q. 25. ar. 3. Primò physicè, & relatè ad aliquam potentiam actiuam, quæ existens in se intrinsecè, aliquid aliud extrinsecè denominat possibile fieri, vt expositum est q. 16. Secundò intentionaliter, seu intellectualiter, & absolutè per solam habitudinem subiecti ad prædicatum, quæ, videlicet, ita sibi inuicem congruant, vt possit intellectus assentiri mutuæ ipsorum identitati, aut distinctioni, quatenùs non includunt in se, aut idem simul esse, & non esse; aut idem simul nec esse, nec non esse. Cui extremorum dissonantiæ nequit assentiri intellectus. Prior ille possibilitatis, & possibilium conceptus non est idoneus ad manifestandum conceptum

omni

omnipotentiæ, vt docet D. Th. loco indicato. Quia cum dicitur Deum posse facere, quidquid continetur in aliqua potentia actiua, vel est sermo de potentia creata, vel de increata, eaque vel seorsim sumpta, vel simul cum potentia creata. Primum manifestè est insufficiens ad conceptum omnipotentiæ diuinæ: Quia Deus potest infinita alia, vltra ea, quæ continentur in tota collectione potentiarum creatarum. Si dicatur secundum, explicabitur idem per idem; sumque dicetur Deum posse facere quidquid ipse facere potest vel solus, vel simul cum aliis causis à se factis. Quo nihil promouetur, vt patet, notitia præexistens potentiæ Dei, & amplitudinis eius. Posterior verò possibilitatis, & possibilium conceptus est vtilis, & omninò accommodatus, respectu nostri, ad intelligentiam omnipotentiæ. Quia intellectus ex sua natura, est quodammodò omnia, seu est, quo omnia fieri, vt dicitur in 3. de anim. tex. 18. Amplectitur enim per assensum totam latitudinem entis, & reiicit per dissensum, quidquid est extra eam latitudinem. Vnde assensus, & dissensus intellectus fundatus in apprehensione, & habitudine mutua terminorum secundum se, & quidditatiuè est conuertibilis cum possibili, & impossibili. Prætereà notius est intellectui, quod conuenit rebus relatè ad ipsum, & ad ipsius actus, quàm quod conuenit relatè ad alias potentias, & earum actiones. Quia intellectus, simul cum suis actibus, innotescit sibi per suos ipsos actus, eosque, & se experitur, dum intelligit, atque eorundem perceptio, est ratio percipiendi cætera. Optima igitur expositio Dei, quatenùs omnipotentis est, quod possit facere quicquid ex habitudine, & apprehensione terminorum non apparet, repugnare, vt fiat. Quod tamen intelligitur, comparatione facta ad intellectum cognoscentem perfectè eosdem terminos quoad consonantiam, vel dissonantiam mutuam; idest, quoad inclusionem, vel exclusionem eiusdem simul esse, & non esse in eorum fieri, & esse. Hoc pacto exponit Angelus amplitudinem potentiæ Dei Luc. 1. 37. Dum annunciat: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Nempe ratio verbi conuenit rebus, vt subsunt assensui intellectus circa ipsas, & per denominationem ab eodem assensu.

Art. 3. Hinc fit Deum posse aliqua distributiuè, & seorsim, quæ non potest simultaneè, & collectiuè, tùm per creationem, tùm per generationem: posse aliqua facere se solo, quæ non potest simul cum causa secunda, & è conuerso, posse aliqua simul cum causa secunda, quæ non potest se solo; Posse demùm aliqua absolutè, quæ non potest ex suppositione; & nihilominùs esse absolutè, & sine vlla restrictione omnipotentem. Quidlibet enim possibilium potest Deus facere seorsim, & tamen collectionem omnium possibilium nequit totam simul facere. Quia cùm potentia eius sit infinita, & superans infinitè omne creatum, fieri non potest, vt aliqua multitudine, aut magnitudine rerum factarum exhauriatur, & nihil amplius facere possit. Similiter assensum, & dissensum eiusdem veritatis contingentis potest gignere seorsim, simultaneè non potest in eodem intellectu; & sic de aliis inuicem incompossibilibus, id est, dissonantibus intellectui copulatiuè, & non dissonantibus distributiuè modo dicto. Potest itidem facere absque cooperatione causæ secundæ, & cum eadem non potest, quæ per solam creationem fieri possunt. Potest verò è conuerso efficere cum causis secundis, & absque eisdem non potest, actiones ipsarum, actus vitales, & præsertim actiones liberas creatas meritorias, & demeritorias. Postremò fieri à Deo non potest, vt præteritum non fuerit præteritum ex suppositione, quòd iam præteriit, tametsi absolutè facere potuerit, vt nihil esset præteritum, quatenùs facere absolutè potuit, vt nihil vnquam existeret; fieri tamen non potuit, vt aliquid simul esset, & non esset, siue de præterito, siue de præsenti, siue de futuro. Verùm nihil horum tollit à Deo rationem omnipotentiæ, & quod simpliciter, ac propriè omnia, & quælibet facere possit. Quia posse, & non posse facere, non dicuntur propriè, nisi respectu possibilium absolutè, & ex habitudine mutua terminorum, iuxta expositionem nuper datam. Nihil autem eorum, quæ dictum est, Deum facere non posse, est eiusmodi. Quare de illis, déque aliis similibus quibuscumque potiùs dicitur esse talia, quibus ex se, seu ex recta apprehensione terminorum conuenit non posse fieri, vel simpliciter, vel tali modo, aut ex tali suppositione, atque Deum ratione suæ perfectionis, & formaliter per se ipsum fundare intentionaliter, respectu nostri, & absolutè constituere physicè talem eorum impossibilitatem, ac repugnantiam, iuxta dicta supra in quæstione illa 16. de possibilitate, & repugnantia rerum, indistincta realiter à Deo, quæ est cognoscibilis à posteriori, respectu nostri per assensum, & dissensum intellectus, vti nuper dicebatur. Similiter non obest conceptui omnipotentiæ, non posse peccare. Quia posse peccare, non est propriè posse facere, sed est propriè posse deficere. Posse autem deficere, non pertinet formaliter ad conceptum potentiæ, sed magis ad imperfectionem diminutiuam potentiæ: Sicut posse cæcutire, claudicare, balbutire, errare, respectu potentiæ visiuæ, ambulatiuæ, locutiuæ, intellectiuæ. Nempè impotentia ad istas imperfectiones, est indistincta à necessitate ad perfectiones, & ad operationes contrarias purè positiuas exclusiuas priuationis, in qua consistit omnis imperfectio. Quæ necessitas consequenter est vera perfectio essentialiter exclusiua priuationis excludentis aliquam potentiam. Quia verò hæc omnia, quæ dicta sunt de potentia Dei, deducta sunt ex actualitate, & summa perfectione Dei secundùm se præcisè considerata, eademque conuenit Deo absolutè ex se præcisè, & non per denominationem adæquatè, vel inadæquatè extrinsecam ab aliquo alio, patet Deum esse absolutè omnipotentem ex se præcisè, non secùs, ac est immortalis, æternus, immensus, &c.

Art. 4. Auctores moderni non pauci vtuntur hypothesi impossibili ad examen, & expositionem huius veritatis, atque inquirunt: An repugnaret Deus, repugnantibus creaturis. Quod genus disputationis, quia video ipsis admodum perplacere, atque eosdem vsurpare frequenter, tùm in Philosophia, tùm in Theologia, tanquam ingeniosum, & valde opportunum ad eruendos subtiliter conceptus metaphysicos rerum, & felicitati nostrorum temporum tribuunt cum Puente Hurtado, & aliis, frequentem eum vsum hypothesium impossibilium, pro ingeniis subtiliter, & vtiliter exercendis, eaque persuasio mihi videtur esse falsissima & penitus vana, nec parùm nocens; operæ pretium me facturum existimaui, si quid, hac opportunitate vsus, breuiter in genere prædixero de eiusmodi disputationibus ex hypothesi impossibili. Dico igitur, hypotheses impossibiles non esse necessarias, aut vtiles per se ad eruendam, confirmandam, vel illustrandam vllam veritatem. Quia ex impossibili sequitur quodlibet, vt dicitur in summulis. Et ratio est, quia de conceptu impossibilis est, vt includat in se duo prædicata contradictoria. Vtrumlibet autem ex contradictoriis infert contradictorium eius, quod infertur ex altero contradictorio. Quodlibet enim contradictorium excludit omnia, quæ includit alterum contradictorium. Vnde necesse est, vt quæcumque affirmantur ex vi vnius contradictorij,

dictorij, negentur ex vi alterius. Patet autem antecedens, ex quo æquè benè infertur vtralibet pars contradictionis, & vtraque, & consequenter vtriusvis exclusio, ad nullius determinatè veritatis manifestationem, confirmationem, aut illustrationem, necessarium, aut vtile esse posse per se.

Art. 5. Exemplo res fiet manifestior, & quodammodo palpabilis. Proponitur quæstio: An si homo esset leo, rugiret tantùm; an loqueretur tantùm; an præstaret vtrumlibet horum; an vtrumque; an neutrum? Dico, hæc omnia, & singula æqualiter sequi per se. Quia omnis leo rugit. Nullum autem rugiens loquitur. Ergo quod foret leo, rugiret tantùm, & non loqueretur. Similiter omnis homo loquitur. Nullum autem loquens rugit. Ergo homo, quidquid foret de reliquo, loqueretur tantùm, & non rugiret. Rursùs, quod simul est locutiuum, & rugibile, nec solùm loquitur, nec solùm rugit, sed & loquitur, & rugit. Ergo quod simul foret homo, & leo; & loqueretur, & rugiret, nec ad alterutrum horum seorsim restringeretur, siquidem eo ipso foret locutiuum, & rugibile simul. Demùm cui conuenit vnum ex incompossibilibus, vt esse tenebrosum, eo ipso non conuenit alterum, vt esse luminosum. Locutiuum autem, & rugibile sunt incompossibilia in eodem. Ergo cui vtrumque hoc simul conueniret, eo ipso neutrum conueniret eorum. In hunc ferè modum arguit Philosophus 4. Phys. à t. 69. aduersùs opinionem antiquorum de vacuo in natura. Arguit enim: si daretur vacuum (quæ apud ipsum est hypothesis impossibilis) nullum in eo fore motum, fore quoquo versum, fore in non tempore, seu in instanti, fore in minori, & non fore in minori, sed in æquali tempore, per plenum, & vacuum etiam æquale.

Art. 6. Ratio proposita, & exemplum illi adiunctum non solùm ostendunt, hypotheses impossibiles non esse necessarias, aut vtiles per se, quod erat probandum; sed etiam esse nocuas, & disputationum inexplicabiliter implicatiuas; altero disputantium intento ad solum prædicatum hypothesis, altero ad solum subiectum, vel vtrouis ad simultatem vtriusque, vel alterutro transeunte (quod facilè euenit) ab vno ex dictis terminis ad alium, aut ad simultatem vtriusque. Verùm superfluitas, ac inutilitas per se eiusmodi hypotheseon potest alia insuper ratione specialiter demonstrari. Quia videlicet ratio, vnica prædicandi de subiecto hypothesis impossibilis vnam partem contradictionis potiùs, quam oppositam, fundatur in natura prædicati eiusdem hypothesis, quatenùs nota independenter à tali hypothesi. Ideò enim facta suppositione impossibili coniungente subiectum cum prædicato reipsa extraneo sibi, ex. gr. *Si homo esset leo*, affirmatur vna pars contradictionis, & negatur opposita, ex. gr. *rugiret*, quia independenter ab hypothesi notum erat leonem rugire. Similiter siue subsumatur, vt minor propositio, affirmatiua falsa: *Sed homo est leo*; siue opposita negatiua vera: de vtriusvis, seu falsitate, seu veritate ferendum erit iudicium ex his præcisè, quæ vnicuique nota sunt, independenter à præsuppositа hypothesi chymærica. Quia cùm vtralibet minor sit propositio categorica, & absoluta, necessè est, vt ab iis solùm dependeat, quæ absolutè, & non ex hypothesi vera sunt. Quidquid igitur inferetur in conclusione, ex vi eorum tantùm illatum erit, quæ independenter ab hypothesi impossibili sunt vera, & præcognoscuntur, vt vera. Quæ autem independenter ab hypothesi talia sunt, & præcognoscuntur vt talia, exercere vtique possunt independenter ab eadem totam vim suam conuincendi intellectum, quam exercent, prout coniuncta cum hypothesi, loquendo per se, & ex natura rei. Propositiones nimirum omnes, inde præcisè habent vim conuincendi intellectum ad assensum, vel dissensum, vnde præcisè habent determinationem ad veritatem, & falsitatem veram, vel apparentem. Patet itaque hypothesim impossibilem esse superfluam, ac inutilem per se, ad conuincendum intellectum, & ad eruendam, ac confirmandam veritatem; atque independenter ab illa, æquè efficaciter, & insuper expeditiùs peragi posse per se, quidquid peragitur dependenter ab eadem.

Art. 7. Vltima horum omnium ratio est. Quia impossibilia, cum nullam habeant veram entitatem, nullam possunt exercere veram causalitatem. Omnis autem cognitio, ac deductio fit per intellectum cooperante obiecto per veram causalitatem, iuxta illud; *Ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Omnis igitur illatio, quæ fit ex hypothesi impossibili, oritur reipsa ex altero terminorum realium eiusdem hypothesis, & non ex identitate, aut distinctione chimærica terminorum talis seu identitatis, seu distinctionis; nempè omnis hypothesis impossibilis consurgit ex identitate existimata, aut apprehensa entitatum realiter distinctarum in se intrinsecè, vel ex distinctione existimata, aut apprehensa prædicatorum realiter identificatorum in se intrinsecè; solamque superaddit extremis istis realibus denominationem extrinsecam contrariam modo essendi, quem habent in se à parte rei. Hæc autem denominatio fundatur in actu identificante, & distinguente, seu apprehensiuè tantùm, seu enunciatiuè, quæ à parte rei opposito modo se habent, ac apprehenduntur, & enunciantur. Quapropter cùm actus intellectus nullam vim operandi conferre possit obiectis, vltra eam, quæ ipsis inest, vt sunt in se, & secundùm se à parte rei, istamque solam applicet ad operandum, seu cooperandum; patet hypothesim impossibilem non posse per se vllam exhibere intellectui cooperationem specialem, ad manifestandam aliquam veritatem, vltra eam cooperationem, quam exhibere possunt, vt diuulsa ab ea hypothesi; atque ideo hypothesim impossibilem, se habere purè materialiter, & concomitanter per se, respectu veritatis, quæ deinde infertur; ita vt, quælibet veritas illata ex suppositione impossibili, æquè vt minimum efficaciter, & præterea expeditiùs, & clariùs inferri potuerit per se ex extremis eiusdem hypothesis cognitis sine fictione, & vt sunt in se. Imò si intellectus vtatur iisdem extremis, vt subsunt hypothesi impossibili, qua impossibilis est, nunquam poterit inferre, nisi puram falsitatem. Quia in impossibili, quatenùs impossibile, ac falsum est, tàm non potest contineri aliquid possibile, & verum, quàm non potest contineri lux in tenebris, album in nigro, bonum in malo.

Art. 8. Necesse itaque est, hypothesim impossibilem se habere purè materialiter, & per accidens in argumento inferente aliquod verum, ac proinde esse inutilem, miniméque necessariam per se ad illationem veritatis: illationem verò esse falsam, & chimæricam, quandocumque in argumento adhibetur hypothesis impossibilis, formaliter vt talis, & influit per se in conclusionem. Cùm enim dicitur, *si homo esset lapis, esset quantus*; infertur quidem verum, sed hypothesis impossibilis se habet purè materialiter, & per accidēs. Quia identitas hominis cum lapide non ex eo est impossibilis, & chimærica, quòd lapis est quantus, cùm hoc prædicatum sit vtrique commune; sed ex eo, quòd lapis est inanimatus, & irrationalis, & inorganicus. Quod si illatio nitatur identitate hominis cum lapide, quatenùs lapis est inorganicus, inanimatus, & irrationalis, patet illationem fore, falsam & chimæricam. Solùm enim inferri poterit, illa eadem prædicata conuenire homini. Prædicatum autem

illud

illud quanti, commune homini & lapidi, est inferibile per se, atque verificabile, respectu vtriusque secundùm se, ex iisdem prorsus indiciis, atque argumentis. Quia vterque formaliter, & præcisè, vt quantus, habet eosdem effectus, proprietates, & causas. Eadem porrò ratio est, de omni alia suppositione, ac illatione. Hypothesis ergò impossibilis, vel nocet illatione falsitatis, vel certè est inutilis per se, minimèque necessaria ad illationem veritatis, necnon ad confirmationem, & qualemcumque illustrationem eiusdem; propterea que adhibetur vsque adeò rarò ab antiquis, & magnis, ac profundè sapientibus auctoribus, soliscque placet leuioribus ingeniis, ac superficialiter doctis.

Art. 9. Fieri nihilominùs potest, vt eadem hypothesis impossibilis euadat vtilis, & necessaria per accidens, ad persuadendam alicui aliquam veritatem. Quia videlicet fieri potest, vt aliquis affirmet aliquid impossibile, aut neget aliquam veritatem necessariam, simulque retineat veritatem, aut veritates alias conuertibiles reipsa cum veritate, quam negat, aut incompossibiles cum falsitate, quam affirmat: & præterea adhæreat magis veritatibus illis, quam huic affirmationi falsæ, & negationi veritatis. Quo posito, manifestum est, quòd si is doceatur per adiunctam minorem, de conuertibilitate veritatum, quales admittit, cum ea, quam negat, atque ideò necesse esse, vt vel illas dimittat, vel admittat istam, admissurum ipsum esse veritatem, quam negabat. Eadem ratio est de dimissione falsitatis affirmatæ, si ostendatur per adiunctam minorem incompossibilitas earundem veritatum, cum eadem falsitate. Hoc pacto vsus est hypothesi impossibili Philosophus, loco suprà indicato, aduersùs dicentes vacuum constitui aëre, illudque spatium esse vacuum, in quo nihil esset, nisi aër. Subiunxit enim, expulso aëre, non propterea spatium fore plenum, sed magis vacuum. Quod illi negare non poterant, cùm vel propter solam manifestissimæ respirationis experientiam, firmissime tenerent, aërem esse aliquid, essetque rursùs manifestissimum, expulsionem alicuius nihilitati, seu vacuitati nocere minimè posse. Eodem etiam modo, vsus est hypothesi impossibili Ioannes Theologus in Conc. Flor. aduersùs Græcos negantes processionem Spiritus Sancti à Filio. Subiunxit enim, eo ipso Spiritum Sanctum non fore distinctum à Filio. Quod ipse conuincebat efficaciter, vt infrà patebit, & non poterant admittere Græci, firmiter adhærentes scripturis docentibus apertè Spiritum Sanctum distingui à Filio. Vtrobique autem concluſa est per accidens ea sola pars contradictionis determinatè, quæ erat vera. Quia, qui impugnabantur, vtrobique ignorabant esse chimæricum, & impossibile, quod præsupponebatur. Si enim hoc illis innotuisset, iure optimo obiecissent, æquè benè sequi oppositam partem contradictionis, ex suppositione facta, ideóque nihil determinatè, ac vtiliter concludi. Nempè dixissent Philosophi: Si vacuum est aër, aërem esse nihil, & aliquid, ideóque expulso aëre, simul excludi aliquid, & induci aliquid oppositum illi nihilo, ac demùm retineri adhuc vacuum, simulque repleri. Idemque dicitur proportionaliter de Græcis. Sola igitur accidentalis ignorantia impediuit illationem oppositæ partis contradictionis, & reddidit vtilem argumentationem.

Art. 10. Iam in re nostra (satis enim superque dictum erit de recula vsque adeo inani in genere) in re inquam, nostra, à neutra disputantium parte, ignoratur impossibile, & chimæricum esse, vt quæ sunt possibilia, repugnent. Vnde ex ea suppositione, apud nullos duos disputantes potest esse absolutè, aut necessaria, aut vtilis vlla argumentatio. Quòd si placeat, ex condicto agere ad modum credentium, in suppositione nihil contineri impossibile, (quæ fictio reflexa, est valdè difficile, vt retineatur fideliter in toto decursu disputationis) oportebit vt fiat recursus ad principia nota; independenter ab hypothesi re ipsa impossibili, iuxta dicta in superiori discursu. Quo ipso reddetur superuacanea suppositio impossibilis, vt ibidem patet. Apud me certum est, eo modo argumentandi, ex data hypothesi solum concludi, Deum repugnaturum. Quia semel, atque iterum ostensum est suprà qu. 2. in prima demonstratione existentiæ Dei, & clariùs, atque ex professo, quæst. 16. possibilitatem, & impossibilitatem necessarias eorum omnium, quæ reipsa possibilia, & impossibilia sunt, esse indistinctas realiter à Deo, atque Deum ratione suæ perfectionis denominare extrinsecè, tùm possibilia, tùm impossibilia, & repugnantia, quæcumque talia re ipsa sunt. Manifestum autem est, repugnante aliquo, repugnare quidquid est realiter identificatum cum ipso. Repugnaret igitur Deus, tum repugnantibus creaturis, quæ sunt possibiles: tum non repugnantibus, quæ sunt impossibiles. Ex quibus denique omnibus constat Deum esse absolutè omnipotentem ex se præcisè, atque hoc attributum esse adæquatè intrinsecùm ipsi non secùs, quàm æternitatem, immensitatem, &c.

Ad 1. Puro actui solùm repugnat potentia passiua perfectibilis per formam sibi superadditam. Quapropter nulla talis potentia datur in Deo. Non tamen repugnat, sed maximè congruit potentia actiua, quæ est potentia non accipiendi, sed dandi, ideoque est propria abundantis bonorum, atque est infinita in abundanti infinitè, vti abundat Deus.

Ad 2. Philosophus loquitur de potentia perfectibili per suum effectum, & quæ indiget effectu suo, seu de potentia actiua, quæ est coniuncta cum potentia passiua, qualis est omnis potentia creata. Non autem talis est potentia diuina, vtpotè perfectiua aliorum absque aliqua perfectibilitate sui per aliquid distinctum ab ipso.

Ad 3. Potentia Dei distinguitur ab intellectu, & voluntate solum ratione nostra, sicut distinguuntur inter se cætera attributa diuina, vt dictum est, q. 4. ad 6. quatenùs in creatis datur potentia physica effectiua, distincta realiter, ab intellectu, & voluntate, relatè ad quam concipi potest Deus formaliter, vt actiuus, physicè, quin eodem conceptu concipiatur formaliter, vt intellectiuus, aut volitiuus. Distinguitur ergò potentia effectiua Dei ad extra, ab intellectu, & voluntate, eodem prorsùs modo, quo inuicem distinguuntur intellectus, & voluntas, intellectio, & volitio diuina.

Ad 4. Potentia Dei actiua est simpliciter infinita, vt dictum est, & benè probatur in obiectione. Ad primam probationem in contrarium. Philosophus loquitur, de infinito materiali, & quantitatiuo non terminato per formam. Non est autem huiusmodi infinitas potentiæ actiuæ Dei, quæ, videlicet, non mole talis est, sed perfectione. Ad secundam probationem conceditur repugnare effectum creatum categorematicè, & actu infinitum in omni genere. Sed non propterea perperàm datur infinitas potentiæ in Deo. Quæ, videlicet, non esset perperam, etiamsi nihil finitum vnquam produceret. Quia potentia Dei non respicit suos effectus tanquam finem suum, sicut respiciunt potentiæ actiuæ creatæ, sed potiùs est finis vltimus eorum omnium, quæ facere potest: illud autem tantummodò est perperàm, quod non assequitur finem suum. Licet ergò potentiæ creatæ essent perperàm, si non reducerentur ad actum, quia eo ipso non

non assequerentur finem suum; potentia tamen Dei non esset perperam, tametsi in nullo suo effectu reduceretur ad actum; quia fini repugnat esse perperam, cùm sit ratione sui; & fieri nó possit, vt non assequatur, seu formaliter, seu eminenter se ipsum. Deinde, licet Deus non possit efficere infinitum, propter imperfectionem præponderantem, & repugnantiam essentialem infinito creato, de quo alias; potest tamen efficere finita, in infinitum, secundum numerum, & magnitudinem, tam molis, quàm perfectionis; & præterea, quicquid vult efficere, exequitur infinita vi, atque infinitè inimpedibili, & vtralibet, & vtraque ratione est infinita. Ad vltimam probationem. Homo, ignis, & similia, sunt causæ vniuocæ, atque de ratione causæ vniuocæ est, vt tota manifestetur in suo effectu, vtque effectus participet adæquatè perfectionem eius. Deus autem est causa æquiuoca; siquidem, cum nulla re alia conuenit vniuocè, vt dictum est qu. 3. atque de ratione causæ æquiuocæ est, vt effectus non sit æqualis ipsi, sed superetur ab ipsa. Non igitur necesse est aliquem Dei effectum esse infinitum. Illatio Philosophi ideò est optima, quia corpus mouens aliud corpus, est agens vniuocum, ideóque si mouens esset infinitum, & præditum consequenter potentia infinita, effectus motionis deberet similiter esse infinitus. Quod non valere, respectu causæ æquiuocæ, agnouit idem Philosophus affirmans, potentiam motoris cæli, esse infinitam, tametsi non efficiat motum in non tempore, & infinitè velocem, quia videlicet motor Cæli est incorporeus, ideóque est causa æquiuoca respectu talis motus

Ad 5. Quæ sunt priora natura secundùm se, sunt posteriora, respectu nostri intellectus, propter eius imperfectionem; quia non potest cognoscere causam primam immediatè ratione sui, sed per effectus, in quibus aliqualiter apparet; cùm tamen ex natura rei cognitio causæ sit prior cognitione effectus. Hac igitur ratione, dicitur à nobis, Deum posse producere talem, vel talem entitatem, quia est possibilis; & non è conuerso, ideò esse possibilem, quia datur in Deo potentia productiua eius; tametsi ordo obiectiuus se habeat è conuerso, in se intrinsecè. Vndè *To quia* significat ordinem causalitatis inter cognitiones, non verò inter obiecta cognitionum, quatenùs cognitio rei creatæ causat in nobis cognitionem entis increati; cùm ens ipsum increatum sit è conuerso causa omnis rei creatæ. Patet igitur propositiones eiusmodi causales nihil probare circa quæstionem propositam, cùm sequantur naturam modi nostri in cognoscendo, & non naturam modi rerum in essendo. Hinc ad confirmationem dicitur similiter, ideò à nobis in quæstionibus de potentia absoluta fieri progressum à collatione prædicatorum cuiusque rei, ad potentiam, & impotentiam Dei; tametsi ipsa Dei potentia sit prima, & adæquata radix omnis possibilitatis, & impossibilitatis. Nempè intellectus noster habet aptitudinem assentiendi omni vero, & dissentiendi omni falso, atque inde regulandi quodammodo, vt explicatum est supra. Art. 2. possibilitatem, & impossibilitatem rerum; quia est participatio intentionaliter vniuersalis infinitæ perfectionis diuinæ, simulque est notior, quàm exemplar, ex quo deriuatur, tanquàm ex causa realiter priori, & perfectiori. Processus igitur ille, & modus determinandi quæstiones, inductus est, non conformiter ad exigentiam rerum secundùm se, sed conformiter ad indigentiam nostri intellectus, non potentis cognoscere priora, nisi per posteriora, atque adeò per se ipsum, qui simul cum sua possibilitate computatur inter posteriora, respectu potentiæ diuinæ, physicè quidem, & re ipsa quoad existentiam; quoad possibilitatem verò, logicè, ac purè denominatiuè, & intentionaliter.

Art. 1. Ad 6. Dictum iam est repugnaturum Deum repugnantibus creaturis, quæ sunt possibiles de facto; & quo sensu id verum sit. Neque verò quidquam probat in contrarium, quòd aliqua repugnent de facto, quin propterea repugnet Deus, & potentia Dei. Quia sicut spectat ad perfectionem diuinæ potentiæ, vt denominet possibilia, quæ sunt possibilia de facto, vtque reddat impossibilem impossibilitatem eorum: ita spectat ad perfectionem eiusdem, vt denominet impossibilia, quæ sunt impossibilia de facto, vtque reddat impossibilem, & chimæricam possibilitatem eorum. Imò vt sit realiter indistincta à possibilitate omnium, reipsa possibilium, & à repugnantia omnium re ipsa impossibilium. Vnde vtralibet deficiente, æquè, eademque ratione deficeret.

Art. 2. Iam, quod effectus producibilis à pluribus causis non regnaret repugnante aliqua tantùm ex illis, ex eo prouenit, quia quælibet ex talibus causis est sufficiens ad producendum effectum, absque reliquis causis; ideoque quælibet causa, se sola denominat effectum possibilem. Hæc tamen ipsa ratio probat, repugnante quolibet effectu, repugnare eo ipso omnes eius causas. Quia eo ipso deficit omnis possibilitas eius, atque ideò omnis causa; cùm quælibet causa per se ipsam sit possibilitas eiusdem effectus.

Art. 3. Quod ad cognitionem Dei attinet; omnis veritas, quam nos cognoscimus conditionatè, siue conditio sit possibilis, siue impossibilis, cognoscitur à Deo cognitione absoluta: & non potest cognosci, nisi cognitione absoluta, quia omnis veritas conditionata fundatur in veritate aliqua absoluta, imò est adæquatè indistincta à veritate absoluta, & categorica; & omnis cognitio formaliter conditionata includit in se aliquam falsitatem, saltem secundum quid, & quoad modum apprehendendi, vti obseruatum est q. 18. ad 3. art. 4. Vtrumque autem hoc est manifestius de veritatibus conditionatis sub hypothesi impossibili. Quia ex superiori discursu circa hypotheses impossibiles, constat clarè, omnem veritatem sub illis affirmabilem, ac inferibilem fundari adæquatè in naturis rerum de facto possibilium, & esse adæquatè indistinctam à veritate absoluta earundem rerum de facto possibilium. Nec est minùs manifestum, cognitionem nostram affirmantem, vel negantem aliquid conditionatè, sub hypothesi impossibili, includere in se falsitatem aliquam, saltem secundum quid, & quoad modum cognoscendi. Quia apprehendit, ex parte hypothesis, ad modum identificatorum, quæ sunt distincta re ipsa, vel è conuerso ad modum distinctorum, quæ sunt identificata re ipsa. Quæ sanè imperfectio modi cognoscendi, non conformis omninò modo essendi obiecti, cadere nequaquam potest in cognitionem diuinam, vtpotè essentialiter veram, quoad substantiam rei affirmatæ, vel negatæ: & quoad modum, quo illa est in se. Itaque, quod nos cognoscimus, dicendo, si repugnarent creaturæ possibiles, repugnaret Deus, cognoscit Deus affirmando absolutè, se esse possibilitatem necessariam rerum omnium posibilium, vel, vt alij volunt, se esse essentialiter connexum connexione reali cum possibilitate omnium possibilium. Quæ veritas continet in se adæquatè, quidquid est veri in cognitione illa hypothetica, & solam à se excludit imperfectionem iam notatam hypotheticæ. Quare transmisso, vel etiam concesso, enunciationem hypothethicam sub hypothesi impossibili, esse intrinsecè falsam, & falsificatiuam sui per se ipsam, nisi vtatur præcisione quoad subiectum, vel prædicatum, vel vtrumque, quà Deus vti

nun

nunquam potest, negatur Deum habere aliquam talem cognitionem formaliter. Solùm namque habet æquiualenter, quoad totam eius perfectionem, demptis omnibus imperfectionibus, vt liquet ex dictis.

Art. 4. Circa postremum, quod obiiciebatur, de casu possibilitatis eorum, quæ de facto sunt impossibilia, nihil superaddere necesse est. Quia Deus eodem modo est impossibilitas omnium re ipsa impossibiliũ, sicut est possibilitas omnium re ipsa possibilium, vt dictum est. Quapropter eadem ratione, quà ostensum est repugnaturum Deum, repugnante aliquo ex possibilibus de facto, ostenditur etiam repugnaturum, non repugnante aliquo ex impossibilibus de facto. Quod obiicitur in contrarium ex D. Th. eo modo exponendum est, quo ipse D. Thomas, exponit quæstio. 15. articul. 3. ad 2. dictum illud Philosophi 4. Topic. c. 2. *Quòd potest Deus & studiosus praua agere.* Exponit autem ita, *vt intelligatur quòd Deus potest aliqua agere, quæ nunc praua videntur: quæ tamen si ageret, bona essent.* Nempè intentio diui Thomæ, in verbis illis, & discursu obiectionis ad hoc tendit, quòd si darentur aliqua infinita actu, essent mensurabilia secundum scientiam Dei, non mensurabilitate, & scientia, quæ tum darentur, & modò non dantur, sed mensurabilitate, & scientia, quæ modò dantur, & quæ in se de facto continerent possibilitatem eorum infinitorum, quæ nobis videntur impossibilia. Nec enim asserit indifferentiam Dei, & scientiæ diuinæ secundùm se, seu quantum est ex se præcisè, ad possibilitatem, & impossibilitatem infinitorum actu, sed solùm in nostro intellectu, ad opinionem veram, & falsam, circa illa; quandoquidem D. Thom. sæpè docet neque possibilitatem, neque impossibilitatem vllam, aut vllam vllius generis veritatem necessariam, dari extra Deum, aut distinctam realiter à Deo, vt liquet inter alia, ex locis indicatis q. 2. Art. 4. & alibi non semel.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrum Deus sit Beatus?

VIDETVR non esse Beatus. 1. quia beatitudo ex Boëtio 4. de consol. pros. 2. aliisque communiter, est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Aggregatio autem bonorum, nec datur, nec dari potest in Deo, in quo nulla est compositio, nullaque partium, aut prædicatorum distinctio. Ergo nec Beatitudo videtur esse in Deo.

2. De ratione felicitatis est, vt sit præmium virtutis, ex Philos. 1. Ethic. c. 9. Deus autem, sicut mereri nihil potest, ita præmium nullum consequi potest; ergo nec felicitatem habere potest.

3. Non sufficiunt ad beatitudinem ea præcisè bona, quæ sunt simpliciter necessaria ad esse, & conseruari. Plus enim requiritur ad delicias, & ad summum gaudium, quæ sunt de conceptu beatitudinis, quàm ad depulsionem summi mali, & extremæ miseriæ, quæ consistunt in non esse, & in totali interitu rei. Qua de causa Beatitudo in sacris litteris dicitur merces magna nimis, necnon mensura bona, conferta, coagitata, & superefluens; id est, plurimùm superaddens iis, quæ sunt omninò necessaria, & sine quibus viuere quis non possit. Deus autem nihil habet vltra ea, quæ sunt sibi omninò necessaria, vt sit, & conseruetur. Dempto enim quolibet diuino, interit totus Deus. Ergò Deus non possidet tantùm bonorum, quantum sufficit ad Beatitudinem.

4. Princeps, aduersùs quem rebellant plerique eius subditi, eumque contemnunt, non est felix. Plerique autem homines rebellant aduersùs Deum; qui est Princeps omnium; eumque contemnunt, quia plerique homines peccant; atque peccatum, ex conceptu suo, est rebellio aduersùs Deum, & contemptus eiusdem. Ergò Deus non est felix.

5. Solitudo opponitur beatitudini, & pertinet ad miseriam solius, vt apparet ex 4. Ecclesiastici 10. *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.* Et rursùs: *Vnus, quomodo calefiet?* Necesse igitur est, vt infelicis miseriæ frigore rigeat solus. Vnde Ierem. 15. 17. dicitur: *Solus sedebam.* Et c. 17. 4. *Relinqueris sola.* Conuertendo vtrobique solum, cum misero, ac infelici, quia videlicet, *Nequit vita esse iucunda sine socio,* vt dicit Seneca. Vita verò beata est essentialiter iucunda. Deus autem est essentialiter solus, vtpote essentialiter vnicus, vt dictum est supra, & habetur Dan. 3. 45. *Quia tu es Dominus Deus solus;* idemque dicitur sæpe alias. Ergò Deus non agit vitam beatam.

Art. 1. Resp. Deus est perfectissimè, & summè Beatus, estque, per se ipsum præcisè, sua beatitudo obiectiua, & formalis, vt quod, & vt quo. Est quidem beatus ex 1. ad Timoth. 6. 15. *Beatus, & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Perfectissimè autem, quia adest sibi summum bonum, continens in se omnem omnis generis bonitatem puram, absque vlla imperfectione; adest verò essentialiter, & per identitatem realem, qui est modus summè perfectus habendi sufficientiam, & abundantiam omnis boni, adeóque sufficiens ad beatitudinem summè perfectam, quandoquidem beatitudo nihil est aliud, quàm bonum perfectum naturæ intellectualis, quatenùs perfectè habitum, ac possessum ab eadem. Ob hoc ipsum Deus est sua beatitudo, & obiectiua, & formalis, vt quod, & vt quo; quia per se ipsum est summum, ac infinitum bonum, & similiter per se ipsum, est intellectio conprehensiua, & amor comprehensiuus eiusdem boni; id est, summa ipsius possessio, & fruitio, quibus actibus constituitur beatitudo, vt quo, tùm essentialiter, tùm integraliter, seu quasi integraliter, & quoad vltimum complementum.

Art. 2. Licet autem hæc omnia sint indistincta in Deo, non solùm realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè, vt liquet ex q. 4. ideoque Deus sit æquè, eodemque modo beatus, obiectiuè, & reipsa, per omnia, quæ sunt in Deo; ratione tamen nostra, & ex modo nostro concipiendi, beatitudo formalis Dei consistit essentialiter in solo actu intellectus, quo se ipsum comprehendit, vt docet D. Thom. q. 26. art. 2. Quia beatitudo creata, quoad suum realem, & obiectiuum conceptum essentialem, consistit primariò, & in recto, in solo actu intellectus, quo videtur Deus, vt est in se; vtpotè perfectissimo inter omnes operationes creatas, atque possessiuo vnicè summi boni, vt dicit ibidem D. Thom. & ostendatur cum eodem in qq. de beatit. Prædicata autem, & attributa Dei distinguntur, ordinantur, & constituuntur inter se, ratione nostra, & secundum modum nostrum concipiendi, iuxta realem distinctionem, ordinem, & constitutionem rerum creatarum, quibus illa sunt assimilia. Formalis igitur beatitudo Dei consistit, ratione nostra, in solo actu intellectus, quo intellectualiter, atque adeò modo proprio naturæ intellectualis, possidet se ipsum, & exercet operationem perfectissimam, propriam eiusdem naturæ intellectualis.

Art. 3. Inter beatitudinem obiectiuam, & formalem

malem Dei, est hoc præterà discrimen ratione nostra, quod beatitudo formalis est talis beatitudo solius Dei, & non aliorum à Deo : beatitudo verò obiectiua Dei, simul est beatitudo cæterorum omnium tàm perfectè, & simpliciter beatorum, quàm beatorũ falsò, & secundùm quid tantùm. Quia intellectione diuina solus intelligit ipse Deus, nullusque alius potest reddi intelligens per illam, vt habetur quæst. 27. de Incarn. Operationem autem perfectissimam, atque adeò beatificam nulla natura intellectualis exercere potest, nisi circa obiectum perfectissimum, quod est Deus, continens in se omnem omnis generis bonitatem, demptis imperfectiooibus, in quibus formaliter, vt talibus, nemo collocat, nec collocare potest suam beatitudinem, seu veram, seu fictam, simpliciter, aut secundùm quid talem. Vndè beatitudo obiectiua Dei, id est, omnis bonitas diuina, prout includit ipsam quoque beatitudinem formalem diuinam, quæ simul habet rationem beatitudinis obiecti, uæpropter perfectam reflexionem supra se ipsam, simul est beatitudo obiectiua cæterorum omnium, atque in beatitudine Dei, includitur, vel formaliter, vel certè eminenter, & perfectiùs omnis alia beatitudo, vt docet D. Thom. vbi supra art. 3. & 4. Deus igitur est superabundanter beatus, vtpote non solùm sibi, sed etiam omnibus aliis sufficiens ad perfectam felicitatem, & beatitudinem.

Ad 1. Quæ sunt diuisa per omnes, Deus collecta tenet indiuisim, substituta identitate aggregationi bonorum omnium, id est, perfectissima bonorum coniunctione experte omnis imperfectionis, coniunctioni imperfectæ bonorum, & indigenti pluribus pro cumulo bonitatis sufficientis ad beatitudinem vndequaque completam.

Ad 2. Quod beatitudo creata, de qua loquitur Philosophus, habeat rationem præmij, prouenit ex imperfectione creaturæ, non habentis ex se præcisè dignitatem, & sufficientiam beatitudinis, ideóque indigentis operationibus bonis, quibus illam acquirat, sicut indiget productione reali, vt habeat esse. Sicut igitur Deus est à se, ideoque est perfectissimè absque productione reali, ita est perfectissimè beatus absque operatione meritoria beatitudinis. Quia est beatus à se, & ex se præcisè, habetque ex essentia sua, dignitatem, & sufficientiam beatitudinis. Vnde etiam patet ad tertium, quia, sicut est essentiale Deo vt sit, ita est eidem essentiale, vt abundet omni bono, ideoque non pluribus indiget, vt sit beatus, quàm vt sit simpliciter. Cuius oppositum accidit in substantia creata, vtpotè non sufficienti sibi ad totum suum benè esse, per solum suum esse, ideoque pluribus indigenti, vt sit felix, quàm vt sit simpliciter.

Ad 4. D. Gregorius lib. 32. moral. cap. 5. circa illud psal. 92. *Dominus regnauit, decorem induit*, rectè pronuntiat, *Ipse gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accidentis laudis indigens non est*; quia videlicet Deus sibi se solo sufficit, cùm ex se præcisè sit omne bonum; vnde nulla accessione fit locupletior, nullisque iniuriis, ac offensis vilescit, aut deteriùs habet. *Si enim iniquè egeris, quid nocebis ei ?* Princeps autem creatus non sufficit sibi se solo, sed indiget obedientia, & obsequio subditorum, potestque ab eisdem multipliciter vexari, impediri à consecutione eorum, quæ efficaciter intendit, & quibus indiget, atque redigi in vltimam vilitatem, miseriamque temporalem. Quorum nihil accidere Deo potest, qui potest, & emendare, & annihilare peccantes, impedire, quominùs peccent, & punire ad æqualitatem, postquam peccauerint. Nulla igitur est paritas.

Ad 5. Ratio, ob quam apud Ecclesiastem infelicitas est deuincta solitudini, non militat, respectu Dei, qui cadere non potest, ideóque nec sublenante opus habet. Deinde substantiæ creatæ indigent mutuis subsidiis propter multiplicem indigentiam atque insufficientiam, vniuscuiusque seorsim, & secundùm se. Deus autem se solo est bonum vndequaque sufficientissimum, vt sæpè dictum est. Ergo Deus se solo est summè beatus, tametsi alij absque sociis beati esse non possint. Denique, tametsi Deus sit solus, & vnicus secundùm essentiam, est nihilominùs trinus in personis, quæ seipsis inuicem suauissimè perfruuntur, per summam bonorum omnium communicationem mutuam, qualem societatis felicitatem nulli alij habere possunt. Quod mysterium aggrediemur iam explicandum, iis omnibus vtcumque expositis, & absolutis, ad quæ ratio naturalis aliqualiter pertingere potest ; Cùm ad mysterium Trinitatis soli pateat aditus fidei, quæ est natura posterior, & obscurior, quàm ratio naturalis.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrum Diuinitas, ratione suæ infinitatis, posset identificari realiter cum prædicatis realiter inter se distinctis, ideoque non repugnet Mysterium Trinitatis Diuinæ.

VIDETVR repugnare istud mysterium, & illa identitas. Primò. Quia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se ; & è conuerso, ea, quorum alterum est idem, alterum non est idem vni, & eidem, distinguuntur inter se. Quod est principium per se notum lumine naturæ, & vt tale traditur à Philosopho 7. Top. c. 1. atque ab aliis communiter. Impossibile igitur est, Personas identificatas cum vna eademque natura diuina, esse nihilominùs distinctas inter se : & è conuerso, naturam diuinam identificari cum persona Filij, cum qua non identificatur persona Patris, & nihilominùs eandem naturam identificari cum eadem Patris Persona. Igitur mysterium diuinæ Trinitatis, non solùm est supra rationem naturalem, vti dicunt communiter SS. PP. ac Theologi, sed etiam est contra rationem naturalem, vt conuincit ratio proposita. Nulla autem veritas, siue sit propria obiecti finiti, siue infiniti, est contraria rationi naturali, licet plures veritates sint supra eandem. Quia ratio naturalis adæquatè sumpta, est participatrix diuini luminis, & centrum eius est veritas in communi; atque beatitudo eiusdem, quæ nequit esse contraria beatificato, est veritas, diuini esse, vt est in se ipso. Ergò mysterium diuinæ Trinitatis non est verum, neque ad veritatem eius iuuare quidquam potest infinitas propria diuinitatis.

2. Eodem pertinet aliud simile principium, nempè, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subiecto ; & vice versa ; quidquid negatur de subiecto, iuxta regulas celebres, *Dici de omni*, *Dici de nullo*, quas tradit Philosophus 1. Prior. cap. 4. & seqq. iisdemque vtitur ibidem, & toto lib. 2. tanquam fundamento vnico totius artis syllogisticæ, & tanquam primo principio per se noto, quo nititur omnis vis syllogismorum ad concludendum. Ergo si quidem de

Patre

Patre dicitur Deus, & de Deo dicitur rursus Filius, dicetur quoque necessariò Filius de Patre : & è conuerso, quia Filius negatur de Patre, & Pater dicitur de Deo, negabitur vtique idem Filius de Deo. Quapropter Filius erit idem cum Patre, sicut est idem cum Deo. Et è conuerso, idem Filius distinguetur à Deo, sicut distinguitur à Patre. Vtrolibet autem horum admisso, tollitur mysterium diuinæ Trinitatis, vt patet. Et vtrolibet reiecto, reiicitur, ac falsificatur, vel hoc principium : quidquid dicitur de aliquo, dicitur de omni eo, de quo dicitur illud aliquod ; vel hoc aliud ; quidquid dicitur de aliquo, de nullo eorum dicitur, de quibus illud aliquod non dicitur ; id est, reiicitur, & falsificatur principium per se notum, & quo reiecto nullus syllogismus potest esse vtilis, præsertim circa Deum, ratione cuius, seu respectu cuius tale principium non admittitur ; ac proinde directè redditur inutile totum studium Theologiæ. Quæ patet esse absurda.

3. Ratio identitatis, & vnitatis, non est ratio distinctionis, & multiplicitatis. Similiter vnum est, quod non est multa ; & multa sunt, quæ non sunt vnum. Natura autem diuina, est ratio identitatis, & vnitatis intra Deum ; vtpotè identificans sibi omnia diuina, & constituens cum iis omnibus vnum Deum. Personalitas verò, seù relatio ad intra est ratio distinctionis & multiplicitatis in Deo, vtpotè distinguens Personas diuinas inter se, & constituens in ipsis, & cum ipsis Trinitatem, quæ est multitudo, Repugnat igitur, vt sint idem natura diuina, & personalitas, seu relatio ad intra ; necnon vnus Deus, & tres Personæ, quarum singulæ sint Deus.

4. Admissis duabus formalitatibus, realiter inter se identificatis, simulque distinctis virtualiter intrinsecè, seu quibus conueniant nihilominùs prædicata contradictoria, qualia sunt, esse commune, & non esse commune tribus personis, quorum primum conuenit naturæ diuinæ, secundum vnicuilibet personæ diuinæ, necnon omnibus personis simul sumptis ; sequitur vni, eidemque formalitati indistinctæ, ac indiuisibili in se virtualiter etiam intrinsecè, conuenire similiter prædicata contradictoria. Paternitas enim ex. gr. & formalitas incommunicabilis Filio non distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè ; & tamen alteri conuenit esse prædicabilem, alteri non esse prædicabilem de natura diuina. Hæc enim est vera : *Natura diuina est Paternitas.* Hæc verò est falsa : *Natura diuina est formalitas incommunicabilis filio* ; & sic de similibus. Est autem inconueniens, vt apparet ex q. 4. ab art. 4. prædicata aliqua contradictoria identificari inter se adæquatè, & non distingui inter se saltem virtualiter intrinsecè. Ergò, & illud est inconueniens, ex quo sequitur hoc aliud inconueniens.

5. Ex eodem mysterio sequitur postremò inconueniens aliud, cæteris omnibus manifestius, & clarissimè repugnans rationi naturali, nimirum syllogismum expositorium reddi inutilem, & illatiuum falsitatis. Quia in isto syllogismo : *Hæc Paternitas est hæc essentia. Sed hæc essentia est hæc filiatio. Ergo hæc paternitas est hæc filiatio.* In hoc, inquam, syllogismo maior, & minor sunt veræ, & tamen consequens est falsum posito mysterio Trinitatis ; idemque contingit in pluribus aliis eiusmodi syllogismis. Syllogismus autem expositorius est euidentissimus omnium, & vi eius ad concludendum innititur vis omnis concludendi, conueniens cæteris omnibus argumentandi modis, omnesque syllogismi vniuersales concludunt, quatenùs continent in se virtualiter implicitè syllogismum expositorium, seu adæquatè singularem. Vndè eo conuulso simul conuellitur tota ars argumentandi ; cuius tamen destructionem patet contradicere rationi naturali. Ergo mysterium Trinitatis contradicit rationi naturali. Nec apparet, qua ratione conferre quidquam possit, ad vitandum istud inconueniens, & reliqua priùs proposita, infinitas diuinitatis inclusa in eo mysterio. Imò patet oppositum ; quia in distinctione, & identitate, infinitas extremorum valet ad distinguendum infinitè ea, quæ realiter distinguuntur, ideóque valet ad excludendam omnem realem identitatem eorum cum vno tertio. Nec enim est infinitum in aliquo genere, quod non excludit à se totaliter oppositum genus. Qua eadem ratione, necesse est, vt identitas realis diuina excludat à se omnem realem distinctionem diuinam.

Art. 1. Resp. Deus Vnus, & Trinus, Vnus in natura, & Trinus in Personis cum reali earum inter se distinctione, & cum identitate reali inter easdem, & Deum, atque Deitatem, seu naturam diuinam, est præcipuum fidei Catholicæ dogma, & veluti stemma veræ Religionis. Colligitur ex illo Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi distinctè nominantur, & exprimuntur tres Personæ, nec obscurè indicatur vnitas naturæ, virtutis, & auctoritatis per nomen Personarum singulariter positum. Idem habetur clarè prima Io. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres vnum sunt.* Constat præterea de Vnitate Dei ex q. 3. De Trinitate verò Personarum producentur plura testimonia in decursu. De vtraque simul habentur cum aliis locis Scripturæ, varia Concilia, & vnanimis Sanctorum Patrum consensus, inter alios in præsenti, apud Montoyam disp. 19. & 36. de Trinit.

Art. 2. Istud mysterium excedit naturalem humani ingenij capacitatem, vt pluribus ostendit idem Montoya in disp. 41. 42. & 43. & paulò post apparebit clarè, ideóque vexat acerbè superbos, ac intemperantes, dum metiri illud volunt, & adæquatè complecti ingenio suo, vel etiam, quoad solam possibilitatem ipsius. Cum enim sit conatus rei impossibilis, non possunt non torqueri, dum eum experiuntur irritum, & inanem, cum necessitate, semper vlterius conandi, cum eodem semper exitu finis nondum comparentis. Delectat verò idem mysterium humiles, & nolentes sapere plus, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quia gaudent summum suum bonum esse tantum, vt percipi satis non possit, sicut gaudet auarus, cùm eò diuitiarum peruenit, vt non possit, quod pauperis est, numerare pecus, aut pecuniam suam. Conatus igitur in præsenti non debet esse, vt inueniatur ratio positiua, quà demonstretur hoc mysterium esse possibile, seu non repugnare, aut qua penitùs euacuentur difficultates occurrentes aduersus ipsum. Hoc enim, quodlibet iteratò fateri, est impossibile pro statu vitæ præsentis, & tunc solùm obtinebitur, cùm videbimus Deum, sicuti est, & facie ad faciem, nec amplius in speculo, & ænigmate. Sola itaque quærenda est ratio, qua innotescat, argumenta, quæ concludunt euidenter repugnare tale mysterium in rebus creatis, non propterea concludere, quòd etiam repugnet, respectu Dei ; darique differentiam excluſiuam talis euidentiæ in ordine ad Deum. Quæ proinde differentia sit dispositiua nostri intellectus ad assensum initio faciliorem, ac deinde tenaciorem, & suauiorem huius articuli fidei, quatenùs à Deo reuelati ; quod est munus, vel maximè proprium vniuersaliter Theologi Catholici, vti obseruatur cum D. Bonauent. q. 23. & 25. de Virt. Theol. vtrobique ad 4.

Art. 3. Pro inuentione porrò, & claritate eiusmodi rationis, ac differentiæ, recolenda imprimis

est

est notio identitatis exposita supra quæst. 3. Nimirùm eam formalitatem identificari realiter cum formalitate alia, quæ communicatur illi tantundem, atque sibi ipsi, estque proinde mutuò affirmabilis de ipsa, prout vtraque est in se intrinsecè à parte rei. Est verò affirmabilis non secùs, atque est affirmabilis hic homo de hoc ipso homine, & affirmatur, dum dicitur, Petrus est Petrus, & sic de similibus. Est enim de conceptu identitatis, vt sic in communi, vt fundet eiusmodi affirmationem veram, transfusiuam intentionaliter vnius extremi in aliud, & veritas eiusdem affirmationis est signum identitatis, præ cæteris, euidens respectu nostri.

Art. 4. Obseruandum deinde est discrimen quoddam insigne inter formalitatem præditam ex suo conceptu, pura, ac infinita perfectione, & formalitatem perfectionis finitæ, seu coniunctæ cum imperfectione. Perfectio finita, qualibet cuiuslibet prædicati positiui additione, fit maior, non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè: ita vt coniuncto ex quibusuis duobus prædicatis positiuis, quorum neutrum est perfectionis simpliciter infinitæ, insit necessariò maior æstimabilitas, quàm alterutri seorsim: nec vtrumque simul sit tàm vile, & contemptibile, quam vtrumuis seorsim. Id quod eadem ferè ratione redditur manifestum, ob quam duæ quælibet bonitates creatæ agnoscuntur absolutè æstimabiliores, quàm vtralibet sola. Repugnat nimirùm, vt perfectio ex se finita, ac limitata exigat intrinsecè accessionem alicuius prædicati, cui se communicet, quodque perficiat communicatione sui, quin sibi vicissim accrescat aliquid emolumenti, & perfectionis, ac meliorationis ex eodem prædicato. Quia exigentia purè communicatiua, & perfectiua, & non simul lucratiua, est propria abundantis simpliciter perfectione, & bonitate sufficiente sibi ex se præcisè, qualis est sola diuinitas; Ideòque repugnat indigenti simpliciter, nec sufficienti sibi ex se præcisè, qualis est omnis perfectio finita, ac limitata, ideoque augmentabilis qualibet additione, sicut est diminuibile omne finitum qualibet ablatione.

Art. 5. Omne igitur prædicatum proprium perfectionis finitæ, ac limitatæ, aut est limitatiuum ipsius, & impeditiuum, ac exclusiuum vlterioris perfectionis, ideoque consistens in negatione, aut priuatione, & consequenter est incapax, quod perficiatur, ac melioretur illa ipsa perfectione, cui inest; Aut est promotiuum, & quasi intensiuum, atque augmentatiuum eiusdem perfectionis; siquidem erit positiuum, & capax, quod perficiatur, ac melioretur, eadem illa perfectione, cui inest. Nec fieri potest, vt prædicatum aliquod entis finiti, sit ex se formaliter medium, ac neutrum inter ea duo extrema, nec augens, nec diminuens perfectionem, cui adiungitur; purè videlicet susceptiuum, ac meliorabile; & non vicissim datiuum, & communicatiuum augmenti, atque iustæ æstimabilitatis.

Artic. 6. In perfectione simpliciter infinita, atque completa secundum omne genus bonitatis, sibique sufficiente ex se præcisè, idest, in conceptu obiectiuo diuinitatis, non apparet vlla similis repugnantia, vt ei insit prædicatum purè perfectibile, seu susceptiuum quidem perfectionis; sed non item perfectiuum vicissim, & communicatiuum, atque augmentatiuum perfectionis. Cum enim eiusmodi bonitas per se ipsam præcisè summa, ac infinita, ex hoc ipso intelligatur summè, & infinitè communicatiua sui, & similiter perfectiua per communicationem sui, nec sit capax, quæ accessione alicuius perfectionis augeatur, quandoquidem præhabet ex se præcisè omnem omnis generis puram perfectionem; nulla profectò apparet repugnantia, sed potius apparet maxima congruentia, ac consonantia in coniunctione ipsius cum prædicato aliquo infinitè perfectibili, & nullatenùs vicissim perfectiuo; quodque propterea exigatur à priori illa formalitate, ex pura abundantia perfectionis, nec faciat maius cum eadem formalitate, dum intelligitur ipsi superaddi. Facilè ergo concipitur, certè non est difficile quod credatur, non repugnare Diuinitati, sed potius congruere maximè, ac conducere accessionem, & multiplicationem formalem prædicatorum, absque vllo inde augmento bonitatis, per se æstimabilis. Ponatur itaque hoc, tamquam specialis, & propria Diuinitatis, eiusdemque puræ, ac infinitæ simpliciter bonitatis, ac perfectionis, & sibi ex se præcisè sufficientis prærogatiua, esse capacem prædicati, seu plurium prædicatorum, quibus tùm præcisis, tùm inclusis formaliter, tantundem iustè perfectionis, ac bonitatis vniformiter intelligatur, insitque reipsa, absque vlla inde diminutione, vel augmento formali, ita vt sint quidem plures, vel pauciores formalitates perfectæ; non tamen propterea intelligatur plus simpliciter, vel minus perfectionis, ac bonitatis saltem intensiuæ, seu quasi intensiuæ, & per se æstimabilis.

Art. 7. Ex istis duobus principiis, quorum alterum est euidentissimum, alterum credibilissimum, apparet, non repugnare Diuinitati, tametsi repugnet enti cuilibet, seu formalitati creatæ, realem sui identitatem perfectam cum aliquo prædicato, cum quo nihilominùs non identificentur realiter omnia, & quælibet alia prædicata identificata realiter cum ipsa diuinitate. Apparet nimirum ex dictis principiis non repugnare, vt Diuinitas communicetur alicui prædicato tantundem atque sibi, tametsi non communicet eidem prædicato omnia alia prædicata identificata realiter cum ipsa Diuinitate. Formalitas enim, quæ se sola, seu, vt præcisa ab aliqua alia formalitate est tantundem, atque vt coniuncta cum eadem, tantundem vtique communicabitur tertiæ alij formalitati, quantùm communicatur sibi ipsi, dummodò communicet illi perfectè se ipsam secundum se, tametsi non simul communicet eidem tertiæ formalitati illam aliam formalitatem identificatam secum realiter, & non augmentatiuam perfectionis, sibi secundùm se conuenientis.

Art. 8. Diuinitas autem est talis formalitas, includens in se ex suo præcisè conceptu, omnem omnis generis puram perfectionem, iuxta secundam positionem. Et rursùs iuxta primam positionem, identitas realis duarum formalitatum consistit in tanta alterutrius communicatione cum altera, quanta est communicatio sui secum. Ergò non repugnat Diuinitati identitas realis sui cum duabus formalitatibus non identificatis inter se realiter, seu non communicatis inuicem, quantum vnaquæque communicatur sibi, tametsi vtraque communicetur Diuinitati, quantùm communicatur sibi ipsi. Eadem verò ratio est, vt per se patet, de tribus, vel etiam pluribus formalitatibus, si aliud non obstet, atque de duabus, quoad distinctionem realem ipsarum inter se, & quoad identitatem nihilominùs perfectam cum Diuinitate. Cum ergò tota difficultas mysterij Trinitatis Diuinæ reuocetur vnicè, in identitatem realem vnius formalitatis, quæ est Diuinitas, cum tribus formalitatibus non identificatis, seu distinctis inter se realiter, quæ sunt tres Personalitates, seu tres Personæ; patet, eam difficultatem, tametsi applicata rei creatæ, conuertatur re ipsa cum repugnantia metaphysica, applicatam tamen Deo solam habere apparentiam repugnantiæ metaphysicæ, respectu nostri, vtpotè cognoscentium Deum mediantibus creaturis, non verò

verò includere, reipsa, eam repugnantiam.

Art. 9. Patet rursùs ex dictis; totam istam differentiam inter Deum, & res creatas, & non repugnantiam mysterij Trinitatis Diuinæ fundari formaliter, & immediate in infinitate simpliciter propria diuinitatis, secundùm se. Ratione enim infinitatis istius fit, vt sicut Diuinitas secundum se præcisè est tanta, quanta est coniuncta cum aliis prædicatis non pertinentibus ad conceptum formalem ipsius, vti Diuinitas est: ita etiam tantundem se communicare possit alicui formalitati, communicando illi se solam, secundùm se præcisè, quantum communicaretur, communicando secum omnia alia prædicata, realiter secum identificata: & consequenter, vt possit identificari, identitate perfecta, & propriissimè tali, cum aliqua formalitate, tametsi non identificet cum eadem omnia alia prædicata, identificata realiter cum eadem Diuinitate. Quod erat ostendendum.

Art. 10. Diuidenda itaque est identitas propria formalitatum diuinarum in inadæquatam, & adæquatam; seu in eam, quæ est adæquata intensiuè tantùm, & eam, quæ est adæquata tum intensiuè, tum extensiuè. Identitas absoluta, & adæquata, seu adæquata intensiuè, & extensiuè simul, est ea, ratione cuius vtralibet ex duabus formalitatibus non solùm communicatur alteri tantundem atque sibi, sed etiam communicat eidem totidem prædicata, atque communicat sibi ipsi. Hoc pacto comparantur inter se omnia prædicata absoluta, & necessaria Dei; quæ proinde sunt indistincta inter se virtualiter intrinsecè, solùmque distinguibilia virtualiter extrinsecè, seu solùm ratione nostra relatè ad connotata creata realiter inter se distincta, atque diuersa, vt dictum est quæst. 3. Vbi videri potest vberior huius rei expositio. Identitas absolutè inadæquata, seu tantùm intensiuè adæquata, est ea, ratione cuius altera ex duabus formalitatibus communicatur alteri, tantundem quidem atque sibi, non tamen communicat eidem totidem prædicata, atque sibi. Hoc pacto comparantur inter se natura Diuina, & Diuinæ Personalitates. Quia Personalitates ita communicantur Naturæ, omnes, & singulæ, ealsque sibi communicat Natura; vt tamen ealdem eisdem non communicet inuicem, dum se ipsam illis communicat. Vndè Natura Diuina, vt est in se à parte rei, dissidet realiter quoad aliquod prædicatum ident ficatum realiter cum ipsa, ab omnibus & singulis Personalitatibus. Dissidet enim à singulis seorsim per reliquas duas; & ab omnibus simul sumptis, tùm per vnamquamlibet, tum per quaslibet duas seorsim. Ita enim omnes tres Personalitates, & vnaquælibet earum communicantur summè Naturæ Diuinæ, & consequenter sunt prædicabiles de eadem; vt tamen nulla personalitas alteri Personalitati, nullæque duæ Personalitati Tertiæ similiter communicentur, & consequenter non sint prædicabiles de eadem. Quapropter Natura Diuina distinguitur ab omnibus, & singulis Personalitatibus virtualiter intrinsecè, & non tantùm extrinsecè ratione nostra relatè ad connotata creata realiter inter se diuersa, vt apparet ex expositione distinctionis virtualis intrinsecæ adhibitæ in illa quæst. 4.

Artic. 11. Loco distinctionis huius virtualis intrinsecæ, Scotus, & Asseclæ constituunt distinctionem ex natura rei, inter naturam, & Personalitates Diuinas. Qui loquendi modus displicet vehementer plerisque aliis Theologis. Quia videtur non admittere tantam, à parte rei, identitatem, & communicationem realem mutuam inter naturam & Personalitates Diuinas, quanta est identitas, & communicatio seu naturæ, seu cuiusque Personalitatis secum ipsa, necnon hominis cum animali rationali, atque aliorum eiusmodi. Et quidem; si hæc esset significatio propria distinctionis ex natura rei, eandemque significationem respiceret intentio ita loquentium, ferendus nequaquam esset talis loquendi modus. Quia testimonia sacra superiùs indicata pro assertione mysterij Trinitatis Diuinæ, eodem prorsus modo tradunt vnitatem, & simplicitatem Dei, necnon identitatem realem omnium, quæ sunt in Deo, cum ipso Deo, & cum diuinitate, quo tradunt distinctionem realem inter Personalitates, & Personas diuinas comparatas inuicem immediatè. Quapropter, sicut ferendus nequaquam esset, qui tentaret inducere identitatem aliquam ex natura rei, inter Personas diuinas diminutiuam, aut alienatiuam distinctionis realis inter ipsas propriè, & simpliciter talis. Ita ferendus nequaquam est, si quis inducat distinctionem ex natura rei, inter Naturam & Personalitates Diuinas, diminutiuam, aut aliquatenùs alienatiuam identitatis realis inter ipsas, propriè, & simpliciter talis. Cæterùm Scotus, & legitimi eius asseclæ, nomine distinctionis ex natura rei, intelligunt, quantùm quidem ego coniicere potui, veram identitatem realem immediatam, propriè, & simpliciter talem, coniunctam tamen cum discrepantia reali, & obiectiua, inter extrema ipsius identitatis, quoad aliquod prædicatum; id est, intelligunt veram dentitatem inadæquatam, modo nuper explicato. Quare id nomen induxere, solùm ad consignificandam istiusmodi inadæquationem: sicut ab omnibus vsurpatur nomen circumincessionis, respectu Personarum, ad consignificandam identitatem realem ipsarum, in tertio, seu quasi tertio, nempè in Natura Diuina, coniunctam cum distinctione reali immediata earumdem inter se. In quo sensu ac intelligentia distinctionis ex natura rei, nullum est inconueniens.

Art. 12. Thomistæ, & alij plerique Auctores, eandem distinctionem virtualem intrinsecam appellant, exemplo D. Th. distinctionem rationis ratiocinatæ, seu rationis cum fundamento in re. Displicet nonnullis hæc etiam locutio. Quia eiusmodi distinctio rationis est communis perfectionibus Dei absolutis, inter se comparatis, imò etiam prædicatis creatis realiter identificatis, & terminantibus cognitiones diuersas; Cum tamen non sit communis iisdem, modus identitatis, & distinctionis mutuæ, qui datur inter naturam, & Personalitates. Pro diuersitate autem rerum oportet adhibere, quantum fieri potest, voces diuersas, ne suboriatur æquiuocatio, atque conceptuum confusio, ac inuersio, ex vniformitate vocum coniuncta cum disconformitate rerum. Cui quidem malo occasionem præbent aliquam consequenter ad eum suum loquendi modum, qui pro explicando isto mysterio, & ad diluendas difficultates, quæ militant aduersùs ipsum, vtuntur exemplis, & instantiis desumptis ex rebus creatis, & præsertim ex puncto, quod cum sit indiuisibile, simul tamen est, vt dicit Philosophus, finis præteriti, & principium futuri, quorum neutrum dicitur de altero. Vtuntur verò, perinde omninò atque si hæc essent adæquata rei, de qua agitur, infringerentque totaliter vim earum difficultatum; Cum secundum rei veritatem, nihil creatum ad id valere possit, sed tantùm ad quandam manuductionem imperfectam, & inchoatam intellectus humani. Cæterùm prædictus loquendi modus, hoc habet approbatione & commendatione dignissimum, quòd est valdè accomodatus ad exprimendam perfectissimam, & summam, qualis reipsa est, identitatem realem inter Naturam, & Personalitates Diuinas, cum exclusione omnis distinctionis, & quasi discissionis obiectiuæ, inter eas formalitates, vt sunt in se intrinsecè à parte rei. Verùm

quia

quia hoc ipsum præstat exactè nomen distinctionis virtualis intrinsecæ, quia quatenus virtualis tantùm est, retinet identitatem realem immediatam; simulque quatenùs intrinseca est, significat distinctionem realem in tertio; quæ coniunctio identitatis, & distinctionis realis, ita est propria Dei, vt repugnet enti creato, ex conceptu entis creati, prout apparet ex discursu superiori; propterea ista potissimum locutione vtimur, tanquam specialiter accommoda præsenti mysterio, vti manifestiùs deprehendetur in decursu.

Art. 13. Ratione distinctionis huius virtualis intrinsecæ, & identitatis inadæquatæ, vti modò explicata est, conuenit diuinitati, cum sit terminus singularis, capacitas suppositionis, tum determinatæ, tùm vagæ, seu confusæ, tùm copulatiuæ; seu potiùs, quasi determinatæ, vagæ, seu confusæ; & copulatiuæ. Ad quam suppositionum varietatem solus terminus vniuersalis est indifferens in creatis. Quia videlicet hoc habet commune Diuinitas cum termino vniuersali, vt identificetur cum pluribus realiter inter se distinctis, & singulis eorum; idque adæquatè adæquatione ipsius Diuinitatis consideratæ secundùm suum conceptum formalem; licet identificetur inadæquatè tantùm inadæquatione aliorum prædicatorum, quæ sunt quidem realiter identificata cum ipsa diuinitate; sed tamen distinguuntur ab eadem virtualiter intrinsecè. Quapropter in hac propositione: *Trinitas est Diuinitas:* suppositio est quasi copulatiua, sicut in ista: *Omnis homo est animal rationale.* In hac verò: *Paternitas est Diuinitas:* suppositio est quasi particularis; sicut in ista: *Petrus est homo.* In hac denique: *Diuinitas subsistit:* suppositio est quasi confusa, & vaga; sicut in hac: *Existit homo.* Ex quo apparet, easdem propositiones euadere falsas, si adiungantur Diuinitati particulæ variantes suppositionem, quæ in illis absolutè prolatis subintelligitur. Si enim dicatur: *Paternitas est Diuinitas, & quidquid est Diuinitas*, seu *est Diuinitas adæquatè sumpta intensiuè, & extensiuè*, propositio euadit falsa. Quia sublata suppositione particulari, substituitur suppositio copulatiua, seu quasi copulatiua, & sic de reliquis.

Art. 14. Eadem porrò ratio est, si suppositio mutetur de simplici in personalem, vel de personali in simplicem; quod fit, dum ex prædicatis, quæ conueniunt formalitatibus diuinis secundùm se, seu præcisè, vt sunt in se à parte rei, deducitur consequentia ad prædicata, quæ conueniunt iisdem dependenter solùm à modo nostro concipiendi, & prout subsunt nostris conceptibus, atque ab iisdem denominantur; vel è conuerso. Vtrouis namque modo consequentia erit inanis, & consequens falsum, propter mutatam suppositionem. Quæ quidem suppositionis mutatio, etiam in creatis est inanis, & fallax, vt si dicatur: *Homo est species, vel est tertiæ declinationis. Ergo Petrus, qui est homo, est species, est tertiæ declinationis.* Vel è conuerso; *Petrus non est species, non est tertiæ declinationis. Ergo homo, qui est Petrus, non est species, non est tertiæ declinationis.*

Art. 15. Verùm quoad hoc ipsum conuenit Diuinitati aliquid peculiare, quod in rebus creatis locum non habet. Quia de vna eademque re creata, non possunt fieri duo conceptus formales inuicem diuersi, ratione quorum verificentur de illa prædicata aliqua contradictoria, nisi per eos conceptus concipiatur talis entitas relatè ad connotata extrinseca realiter inter se distincta, ac diuersa, terminantia indiuisim eosdem conceptus. Quia vnum, & idem adæquatè sumptum, quo solùm pacto sumi potest entitas creata, iuxta dicta superiùs, non potest secundùm se præcisè consideratum, mouere intellectum, nisi vno, eodemque modo. Certè mouere non potest modis positiuè inter se diuersis, esto possit modò magis, modò minùs mouere, modò clariorem, modò minùs claram cognitionem gignere, seu minus & magis adæquatam obiecto. Neque verò intellectus diuersimodè operatur, atque cognoscit, nisi diuersimodè moueatur ab obiecto, de quo fusiùs in loco. At Diuinitas, secundum ea præcisè, quæ sibi insunt a parte rei, potest inducere eiusmodi, circa se, diuersitatem conceptuum. Quia secundum se præcisè est capax, quæ adæquatè, quæque inadæquatè consideretur ab intellectu nostro, Diuinitati enim, vt est in se à parte rei, conueniunt prædicata, tùm absoluta, cum quibus identificatur adæquatè; tùm relatiua, cum quibus identificatur inadæquatè inadæquatione se tenente ex parte ipsorum relatiuorum, modo superius explicato. Quapropter talis fallacia contingere potest circa Deum, si inferantur de aliqua eius formalitate secundùm se præcisè considerata, ea prædicata, quæ conueniunt eidem relatè ad diuersas formalitates diuinas consideratas, vt sunt in se à parte rei, non identificatas inter se adæquatè, & conuertibiliter; qualis fallacia interuenit circa ens creatum, dum inferuntur de ipso, deque ipsius prædicatis, vt sunt in se à parte rei, ea, quæ conueniunt eidem propter diuersos nostros modos concipiendi relatè ad diuersa connotata extrinseca distincta inter se realiter adæquatè. Quia videlicet Diuinitas habet in se intrinsecè, & vt est à parte rei diuersitatem formalitatum identificatarum realiter cum ipsa, & nihilominus distinctarum inter se realiter, qualem res creata solùm extra se, & extrinsecè habere potest. Quæ doctrina est valdè necessaria, & diligenter obseruanda ad vitandas captiunculas, quæ facilè occurrunt, circa hoc mysterium, vti clariùs apparebit ex eius vsu, in solutionibus argumentorum.

Art. 16. Cùm igitur hæc omnia rectè inter se cohæreant, insintque diuinitati ratione infinitatis, quæ est specialis, & propria ipsius, atque in iis consistat omnis peculiaris difficultas Mysterij Trinitatis, identificantis vnam naturam cum Tribus Personis realiter inter se distinctis, legitimè concluditur eam omnem apparentiam repugnantiæ, quam circa hoc mysterium ingerunt intellectui nostro res creatæ ratione suæ finitatis, ac limitationis, & dependentiæ omnis nostræ præsentis cognitionis ab ipsis, esse inanem re ipsa, & falsam, omniaque esse inuicem compossibilia ratione diuinæ infinitatis, quæ docemur per fidem circa idem Mysterium; Ac demùm ita ipsum esse supra rationem naturalem, vt tamen contra eandem nullatenus sit.

Art. 1. Ad 1. Quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se, est principium per se notum, vt iacet, neque est capax distinctionis respectu rei creatæ, vtpotè finitæ, ac limitatæ. Quia est per se notum, nihil finitum identificari posse cum aliquo, præterquam vno modo; nempè adæquatè, & conuertibiliter, & quoad omnia sua prædicata. Quorum videlicet quolibet sublato, seu præciso, & non communicato, minuitur necessariò, nec tantundem communicatur alteri formalitati, quantum communicatur sibi ipsi, atque ideò, nec identificatur realiter eidem alij formalitati. At respectu Dei, eiusdemque entis simpliciter infiniti, non est per se notum idem principium, nisi cum addito; nempè, quæ sunt eadem vni tertio adæquate, & conuertibiliter, sunt idem inter se: & absque hoc addito expresso, vel subintellecto, idem principium est falsum respectu Dei re ipsa, & secundum fidē; nec est per se notum secundum rationem naturalem. Quia videlicet, non est per se notum, secundum rationem naturalem, & est falsum reipsa, & secundum fidem,

fidem, perfectionem simpliciter infinitam in omni genere, qualis perfectio est Diuinitas, non esse tantundem, & non communicari tantundem, atque ideò non perinde absolutè identificari præciso, & non præciso, identificato, & non identificato aliquo suo prædicato reali, non pertinente formaliter, sed tantùm arguitiuè, ad eam perfectionis infinitatem, vt liquet ex discursu initio præmisso. Ergo mysterium Trinitatis Diuinæ, non est contra illud principium, quatenùs est per se notum, sed est præter illud, & supra illud. Vnde idem Mysterium non est contra, sed solùm supra rationem naturalem.

Art. 2. Philosophus vsus est prædicto principio tantummodò circa creata, & circa Deum præcisè, quatenùs apparet in, & ex creaturis, ideſt, quoad ea prædicata Dei, quæ formaliter pertinent ad Conceptum Diuinitatis, & infinitæ perfectionis, secundùm se. Quæ nimirum sola est participabilis formaliter à creaturis, solaque consequenter est cognoscibilis mediantibus ipsis. Quapropter Philosophus non indiguit distinctione identitatis adæquatæ, & inadæquatæ, intensiuæ tantùm, & intensiuæ, & extensiuæ simul. Quia hæc distinctio instituta à nobis est prælucente fide, nec ille potuit in vllam ipsius cognitionem, vel etiam probabilem assurgere: Cum res creatæ, quibus solis intentus ille fuit, destitutus directione supernaturali diuinæ reuelationis, deficiant infinitè ab infinitate Diuina, ideóque non imitentur diuinitatem, quoad eum modum essendi peculiarem, qui sibi conuenit, quatenùs infinita est, sed potiùs habeant modum essendi oppositum modo essendi Dei, quà infinitus est, ideoque manuducere sufficienter non possint ad cognoscendum modum essendi conuenientem Deo peculiariter, ratione suæ infinitatis, licet manuducere possint ad cognoscendam ipsam secundùm se infinitatem, cuius sunt participationes, licet defectuosæ.

Art. 3. Auctoritas itaque Philosophi, & prædictum principium, prout ab ipso traditur, & censetur per se notum, estque tale, reipsa, non vniuersaliter, sed tantùm respectu rerum creatarum, ita non suffragatur positiuè huic mysterio, & apparenter ipsi contradicit, vt tamen nec virtualiter quidem, & implicitè refragetur eidem, reipsa, propter infinitatem Diuinitatis eleuatam supra omnem modum creatum, ac limitatum essendi. Ex quibus obiter apparet, quantum hallucinentur Lullistæ, & nonnulli alij affirmantes, demonstrari posse ratione naturali istud mysterium, quorum fusior impugnatio, qua vix digni sunt vlla, videri potest apud Valquez disput. 138. & apud alios in præsenti.

Ad 2. Quidquid dicitur de prædicato adæquatè, & conuertibiliter, dicitur etiam de subiecto, de quo idem prædicatum adæquatè itidem, & conuertibiliter dicitur. Non verò si alterutrum, vel vtrumque dicatur inadæquatè, seu non conuertibiliter, prout contingere potest circa Deum, & contingere nequaquam potest circa res creatas, vt patet ex modò dictis: ex quibus vlteriùs apparet, quo sensu sint, & quo non sint per se notæ regulæ illæ: *Dici de omni. Dici de nullo*, cum quo addito sint applicandæ Deo, & quomodo distinguendæ sint propositiones notatæ in obiectione. Est enim eadem, quoad omnia, ratio de ista, atque de præcedenti obiectione, terminis vtrobique, eodem ptoportionaliter modo, declaratis.

Ad 3. Ratio identitatis, & vnitatis, nec in Deo, nec in creaturis est formaliter, & ratione nostra, ratio distinctionis; & multiplicitatis. Cæterùm in Deo, vtralibet ratio potest realiter identificari cum altera, respectu eiusdem termini. Quia duo prædicata diuina inuicem incommunicabilia immediatè, & secundum se, ideoque omninò indistincta à ratione distinctionis, & multiplicitatis mutuæ, possunt nihilominus, communicari summè prædicato cuidam tertio, quod proinde sit ratio identitatis, & vnitatis eorum, respectu sui ipsius. Vnde vnum, quod est proprium Dei, non est non multa simpliciter, & secundum omnem rationem identificatam realiter secum, sed solùm secundum eam rationem, seu formalitatem, ac virtualitatem, in qua fundatur vnitas. Idem dicitur, suo modo, de multis, & de multiplicitate prædicatorum Dei, realiter inter se distinctorum: Esto in creatis vnum, & multa eiusdem generis, atque identitas, & distinctio excludant se inuicem ab eodem, respectu eiusdem absolutè, & secundum omnem rationem realiter identificatam cum ipsis, propter differentiam iam notatam infinitatis diuinæ à limitatione creaturarum.

Art. 1. Ad 4. Vni, & eidem rei, quæ est Deitas Paternitas, Deitas filiatio, & Deitas spiratio Passiua, atque Deitas hæc omnia simul, imponimus diuersa nomina, prout subest diuersis nostris concipiendi modis. Dicitur enim natura, & formalitas communicabilis pluribus, quatenùs subest conceptui absoluto, & non referenti ad aliud. Dicitur verò Personalitas Patris v.g. & formalitas incommunicabilis pluribus, prout subest conceptui relatiuo ad aliud. Sicut enim homo dicitur animal, dum concipitur relatè ad solas sensationes; rationalis verò, dum cognoscitur relatè ad discursum, & sic de aliis eiusmodi; ita Deus dicitur natura, dum concipitur vel absque vlla relatione, vel relatè tantùm ad effectus creatos. Paternitas verò, aut filiatio, aut spiratio passiua, & formalitas incommunicabilis pluribus, dum concipitur cum tali determinata relatione ad intra, concipitur verò distinctè, & expresè, atque in recto.

Art. 2. Quapropter cum dicitur: *Natura diuina est formalitas incommunicabilis filio*, non solùm dicitur, quòd eadem formalitas diuina, quæ potest concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu absoluto; potest nihilominùs concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu relatiuo, ad intra, quod est verum ea veritate, quæ exprimitur dum dicitur: *Natura Diuina est paternitas*: & subintelligitur, dum dicitur; *Natura diuina est formalitas, quæ est incommunicabilis filio*: sed insuper significatur, quòd eadem formalitas, prout concepta conceptu absoluto, est formalitas prout concepta conceptu relatiuo, quod est falsum ea falsitate, quæ exprimitur, dum dicitur: *Natura Diuina, etiam formaliter, ac reduplicatiuè, & ex modo nostro concipiendi est Paternitas*, & subintelligitur, dum dicitur: *Natura Diuina est incommunicabilis filio, seu, est formalitas incommunicabilis filio*. Eadem ratio est de propositionibus, quibus dicitur: *Paternitas est natura Diuina*: *Paternitas est communicabilis tribus Personis, seu, est formalitas communis tribus Personis*. Quarum prior est vera, posterior verò falsa. Quia affirmans Paternitatem esse naturam, solùm asserit, formalitatem, quæ potest concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu relatiuo, atque distinctiuo à Filio, & Spiritu Sancto, posse nihilominùs concipi, aut etiam concipi actualiter conceptu absoluto, non exprimente eam distinctionem, quatenùs absolutus est. Quod est omninò verum. Affirmans verò Paternitatem esse communem Tribus Personis, seu formalitatem Tribus Personis communem, significat insuper formalitatem Diuinã, prout conceptã conceptu relatiuo, & quatenùs relatiua est ad intra, esse cõmunẽ Tribus Personis Diuinis, & realiter identificatã cũ iisdem. Quod patet esse falsũ, propter mutatã videlicet vtrobique suppositionẽ

terminorum, eorundemque substitutionem respectu conceptuum internorum diuersimodè concipiêtium, atque exprimentium prædicata diuina; subeuntia proinde diuersas, ac oppositas inter se prædicationes, vtpotè pendentes, quoad suam veritatem, & falsitatem, non à sola entitate obiectorum, sed etiam, & maximè, à modo illa exprimendi per nostros conceptus. Nec enim instituimus prædicationes de rebus, præcisè, vt sunt in se à parte rei, sed vt subsunt apprehensionibus nostris, & secundum apparentiam, quam sortiuntur per illas, respectu intellectus.

Art. 3. Eadem est ratio de aliis eiusmodi transitionibus à sensu reali, ad sensum formalem, quarum plura exempla data, & exposita sunt in argumentis, & responsionibus q. 4. circa prædicata absoluta Dei, inuicem collata: Obseruandum verò est attentè, quod iam iterum prænonui, obrepere facilius æquiuocationes, & fallacias ex eiusmodi transitione, circa absoluta, & relatiua, inuicem collata, propter distinctionem rationis possibilem inter ipsa absque relatione eorum; per intellectum, ad diuersa connotata creata: cum inter prædicatà absoluta inuicem collata, vel etiam inter prædicata relatiua vniuscuiusque Personæ propria; dari non possit eiusmodi distinctio rationis, absque relatione ad connotata ex t insecа, realiter inter se distincta, atque diuersa, vti manifestatum est supra art. 12. & 13. Vnde eadem diuersitas prædicationum, & veritatis, atque falsitatis ipsarum reperiri potest in prædicatis absolutis, & relatiuis Dei, independenter à connotatis extrinsecis, quæ dependenter ab ipsis reperitur inter prædicata absoluta, vel etiam relatiua, inuicem seorsim collata. Apparet itaque clarè ex his omnibus æquiuocatio obiectionis, & vnde ea suboriatur, atque ex hoc mysterio inferri minime posse, quod eidem formalitati conueniant prædicata contradictoria, absque reali distinctione ipsorum saltem inadæquata, & in tertio, præterquam in sensu formali, & reduplicatiuo. Qui sensus inuehit formaliter prædicata contradictoria in formalitates creatas, necnon in formalitates absolutas Dei, identificatas inter se realiter adæquaquatè, absque distinctione reali in tertia aliqua formalitate.

Art. 1. Ad 5. Syllogismi quasi expositorij circa Deum, in quibus comparantur mutuò prædicata absoluta, & relatiua, distinguendi sunt, iuxta notata suprà de variabilitate suppositionis propriæ, & peculiaris, Diuinitatis, deque ipsius eatenùs æquiualentia, respectu termini vniuersalis. Adhibita autem idoneè distinctione, & redactis omnibus terminis ad vniformem suppositionem, inuenientur prædicti syllogismi concludentes cum æquali euidentia circa Deum, vt complectitur Mysterium Trinitatis, & circa res creatas. In syllogismo obiectionis deest vniformitas ista suppositionis, & distributionis, ideoque non concludit, & debet exponi distinctione, hoc modo: Hæc Paternitas est hæc essentia adæquatè, & conuertibiliter, nego maiorem: inadæquatè, & cum distinctione reali in tertio, concedo maiorem: & minori propositione similiter distincta, negatur Consequentia. Quod non indiget vlteriori expositione, sed sola eorum inspectione, quæ superius exposita sunt.

Art. 2. Quando termini fuerint, vel omnes æquè communes, vel omnes æquè non communes pluribus realiter distinctis, non opus erit eiusmodi additamento distributionis, sed syllogismi concludent eodem prorsùs modo circa Deum, quo concludunt circa res creatas. Quòd autem in creatis nunquam opus sit tali addito, distribuente terminum singularem, in causa est, quòd circa res creatas non potest euenire, prout euenire potest circa Deum, vt terminus formaliter singularis, seu non vniuersalis formaliter, simul sit æquiualenter vniuersalis, vtpotè communis formaliter pluribus realiter inter se distinctis, propter rationem discriminis supra explicatam dependenter ab infinitate Dei.

Art. 3. Quod ibi opponitur in fine de eadem infinitate distinguente infinitè, atque adeò reddente impossibilem identitatem realem prædicatorum, realiter inuicem distinctorum immediatè, cum tertia formalitate vtrisque communi, ex eo diluitur facilè quòd Deo non conuenit infinitas formaliter ex parte prædicatorum Dei, quæ distinguuntur inter se, & multiplicantur realiter, sed solùm ex parte prædicati realiter immultiplicabilis secundùm se, atque essentialiter communis per summam identitatem cum omnibus, & singulis prædicatis Diuinis, vti apparebit ex iis, quæ dicentur in q. 40. Inde enim fit, quòd prædicata relatiua Dei possint inter se distingui realiter, atque multiplicari, quin simul distinguantur realiter, ac multiplicentur omnia identificata cum ipsis, tametsi prædicata absoluta Dei possint identificari realiter cum aliquo prædicato relatiuo, quin identificetur cum eodem, quidquid est identificatum cum iisdem prædicatis absolutis. Inde nimirùm existit diuersitas Dei à creaturis, quoad hoc mysterium, vnde est infinitas Dei, iuxta dicta in tota hac quæstione, & promouenda, quoad hoc punctum; in ex quæstione 40.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum Prædicata Diuina multiplicentur per Processiones, Relationes, notiones, & proprietates, atque per ipsas constituantur in se, & distinguantur inter se Tres Personæ Diuinæ?

VIDENTVR non dari in Deo eiusmodi pluralitas, & talia prædicata. 1. Quia omnis eiusmodi pluralitas, fundatur in Processione reali vnius ab alio, certè est conuertibilis cum ipsa, quandoquidem omnia, quæ aliquo modo distinguuntur inter se, necessariò reuocantur ad aliquod vnum, à quo procedunt cætera eodem proportionaliter modo, ne sint inuicem inordinata, & coëxistentia sibi mutuò tanquam à casu, prout arguebatur quæst. 4. in postrema ratione veræ sententiæ. Processio autem realis repugnat Deo in se ipso: Tum quia processio significat motum ad extra, qui proinde repugnat, vt conueniat cuiquam intra se: Tum quia omne procedens est diuersum ab eo, à quo procedit. Repugnat verò omnis diuersitas, vbi est summa simplicitas, ac vnitas, atque hæc est essentialis Deo, ex q. 3. Tum quia Deus secundùm se totum est ens à se, vt in vtraque ea quæstione, & in q. 12. ac 5. dictum est. Repugnat verò in terminis, vt ens à se, sit ens ab alio, & tamen est de ratione procedentis, vt sit ab alio. Ergo processio ad intra repugnat conceptui Deitatis, seu repugnat Deo, vt simul sit procedens, & à quo est processio.

2. De conceptu relationis est. Primùm, vt non prædicetur de aliquo, prout docet Boëtius lib. de Trinit. ad med. Deinde, vt distinguat, aut supponat distincta, id, cuius est, & id, ad quod est. Tertiò, vt si quidem fundetur in ratione principij, non sit realis, sed

rationis

sationis tantùm, vt apparet ex ratione principij, quod conuenit Deo respectu creaturarum, ad quas non refertur relatione reali, sed rationis, vt fert communis opinio Diui Thomæ q. 13. art. 7. & aliorum ibid. Demùm vt sit debilissimæ entitatis, & minimum omnium habens de esse, vt ostendit D. Thomas 4. Contra Gent. c. 14. Quidquid autem est in Deo realiter, est prædicabile realiter de ipso. Quia quidquid est in Deo, est ipse Deus; & vnumquodque est prædicabile de seipso. Qua ipsa ratione repugnat in Deo distinctio realis termini à quo, & ad quem. Quia nihil distinguitur realiter à seipso. Præterea relatio, quæ esset in Deo, necessariò fundaretur in ratione principij. Quia omnis alia relatio supponit essentialiter relationem fundatam in ratione principij. Nihil autem diuinum supponit ante se, aliquid aliud, tanquam principium, & tanquam priùs in eodem genere; cùm omne Diuinum, ex suo conceptu, sit primum sui generis. Demum, vt iterum dictum est, omne, quod est in Deo, est Deus, qui est summum & maximum ens; ac proinde nihil Diuinum est debilis entitatis, & parùm habens de esse. Repugnat ergò, vt dentur in Deo relationes aliquæ reales.

3. Notio est prædicatum, per quod res dignoscitur, vt distincta ab aliis, & sortitur nomen proprium. Deus autem non habet nomen, per quod dignoscatur, & distinguatur ab aliis. Quia, vt dicit Dionys. c. 1. de Diuin. nomin. *Neque nomen eius est, neque opinio.* Et Prouerb. 30. 4. *Quod nomen eius*, dicitur, *& quod nomen Filij eius, si nosti?* Quasi dicat, nullum. Et si quidem admittatur nomen Dei, non nisi vnicum realiter admittendum est. Quia esse eius est vnicum, & simplicissimum. Ergo in Deo, vel nulla notio est, vel certè non nisi vnica admittenda est. Consequenter nullla est proprietas Dei, vel certè non nisi vnica est. Quia vnumquodque per suam proprietatem, vel proprietates est distinguibile, discernibile, ac nominabile.

4. Si darentur plures Personæ in Deo, darentur plures habentes Deitatem, & quarum singulæ essent Diuinæ, & Deus; ergo darentur plures Dij: sicut plures Personæ humanæ, seu habentes humanitatem, sunt plures homines. Quæ sequela est perabsurda, vt patet ex quæst. 3. Deinde vbi est pluralitas aliqua determinata, ibi est numerus. Numerus autem repugnat Deo. Quia est species quantitatis, quæ repugnat Deo à toto genere, vt indidem constat.

Art. 1. Resp. Mysterium Trinitatis Diuinæ, cuius existentia stabilita est, & protecta possibilitas, in quæst. præcedenti, duo includit in se, vnitatem Naturæ, & pluralitatem Personarum. De vnitate dictum est satis q. 3. & seqq. Circa pluralitatem duo exponenda sunt. Primum, an detur in Deo principium sufficiens eius pluralitatis complectentis tres tantùm Personas, constitutum per Processiones, relationes, notiones, & proprietates; & an hæc eadem sint necessaria ad realem distinctionem, & pluralitatem prædicatorum in Deo? Hoc secundum exponetur in quæstione sequenti; Primum verò in quæstione præsenti. Sed priùs explicandi sunt termini, quorum videlicet expositio meritò in omni disciplina præmittitur expositioni rerum, sed maiori cum necessitate circa Mysterium Diuinæ Trinitatis, circa quod nimirum vel maximè verificatur illud Hieronymi apud Magistrum in 4. dist. 13. fin. *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis.* Cùm enim circa Deum vtamur vocibus, quæ primitùs impositæ fuere rebus creatis, omnis nostra locutio circa Deum, est incompacta: vt dicit Dionys. propter modum essendi Diuinum, infinitè distantem à modo essendi creato, sed est incompacta multò magis, ideoque periculosior circa mysterium Trinitatis, vtpotè oppositum, & non solùm infinitè dissimile, quoad suum modum essendi, modo essendi creaturarum.

Art. 2. Itaque Processio est emanatio, & origo vnius ab alio, seu, est id, ratione cuius formaliter vnum est, seu producitur ab alio. Relatio, ex Philosopho in prædicamento ad aliquid, est, cuius esse est ad aliud esse, seu est habitudo vnius ad aliud. Quæ purè refert, dicitur prædicamentalis, vt quæ est dextri ad sinistrum. Transcendentalis verò, quæ aliquid aliud præterea præstat, vt quæ est gignentis ad genitum. Notio sumitur in præsenti obiectiuè, & est prædicatum, ratione cuius vnumquodque est notabile, ac designabile secundùm quod ipsum, atque discernibile ab aliis. Confunditur non rarò cum notione proprietas, sed non semper, nec apud omnes, vt obseruat ea, qua solet, abundantia eruditionis multiplicis, Montoya d. 47. de Trinit. sect. 5. Exponetur verò paulò post proprietas art. 5.

Art. 3. Dicendum iam est, dari in Deo duas Processiones reales, alteram propriam Filij, alteram propriam Spiritus Sancti. De processione propria Filij dicitur Ioan. 8. 42. *Ego enim ex Deo processi, & veni*, & c. 27. *Et credidistis, quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum.* De Processione propria Spiritus Sancti dicitur in eodem Ioannis Euangelio 15. 26. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Prior processio est per intellectum, & posterior per voluntatem, vti liquet ex testimoniis indicatis q. 4. in 5. ratione dubitandi, ex cuius responsione patet, quo sensu verificetur vtrumque, idemque patebit clariùs ex dicendis. Ratio dualitatis processionum realium in Deo, est, quia in natura intellectuali duo solùm sunt genera operationum immanentium in ipsa, nempe intellectus, & voluntatis. Quia verò Deus comprehendit perfectè omnia intelligibilia vnico actu intellectus, & similiter omnia volibilia vnico actu voluntatis, vt dictum est supra, propterea non datur vlterior processionum distinctio, & multiplicatio realis, sed sistitur in dualitate. Vtraque processio diuiditur in actiuam indistinctam à principio producente, & in passiuam indistinctam à termino producto. Nempe in Deo tam principium, quàm terminus sunt intrinsecè vltimo determinata per se ipsa præcisè, illud, vt producat, iste, vt producatur, atque in eiusmodi determinatione consistit formaliter conceptus Processionis actiuæ, & passiuæ. Quia etiam de causa Productio actiua Creaturarum, quatenùs productarum à Deo, merito ponitur à Diuo Thoma, & ab aliis communiter indistincta realiter à Deo, quatenùs liberè volente existentiam ipsarum.

Art. 4. Processio per intellectum dicitur, & est verè generatio, vt infrà ostendetur: Vnde actiua eiusmodi Processio fundat relationem Patris in persona producente; Passiua verò relationem Filij in persona producta. Similiter Processio, quæ est per voluntatem, dicitur, & est Spiratio, & quæ actiua est, fundat relationem Spiratoris, in personis Spirantibus, nempè in Patre, & Filio; Passiua verò, relationem Spirati in Persona spirata, nempè in Spiritu Sancto. Quare ad duas processiones Diuinas, consequuntur quatuor relationes in Deo, & sunt reales, quia Processiones, in quibus fundantur, sunt itidem reales.

Art. 5. Eadem porrò prædicata, quæ comparatione mutua personarum secundùm se, dicuntur relationes, comparatione earundem cum essentia, & natura, quæ est illis omnibus communis, dicuntur proprietates Personales, & comparatione intellectus dicuntur notiones. Verùm quæ sub conceptu relationum, sunt quatuor, vt liquet ex numeratione facta,

facta, sub conceptu proprietatum; sunt tantùm tres. Quia vna ex relationibus, nempe relatio spiratoris, est communis duabus personis, Patri, & Filio. Quod autem est commune duobus, respectu neutrius seorsim, sed nec respectu vtriusque simul dicitur proprium; qua etiam ratione, essentia non dicitur proprietas Personarum, neque coniunctim, neque seorsim. Quia videlicet proprietas est vox significatiua prædicati, quatenùs deuincti singulariter vni soli Personæ. Vnde August. lib. 3. contra Maximinum c. 10. fin. *Pater*, ait, *Filius, & Spiritus Sanctus, & propter individuam Deitatem vnus Deus est, & propter vniuscuiusque proprietatem tres Personæ sunt*. E conuerso notiones numerantur à Theologis communiter quinque apud Magistrum dist. 28. & cum D. Thoma q. 32. art. 3. Ex doctrina communi Sanctorum Patrum, quos exhibent Montoya de Trinit. disp. 46. sect. 1. & 2. Et Petauius lib. 4. in Procem. Superadditur enim, quatuor iam enumeratis relationibus, iisdemque simul notionibus, innascibilitas, seu ingenerabilitas, quæ est altera notio propria Patris, quatenùs significat improducibilitatem, prout coniunctam cum incommunicabilitate per productionem realem ab alio, siue virtualiter, siue realiter distinctam. Quæ combinatio prædicatorum soli conuenit Patri, ratione Paternitatis. Quia essentia Diuina, & virtus Spiratiua, licet non producantur realiter, communicantur tamen, per productionem, Filio, & Spiritui Sancto. Ipse verò Filius, & Spiritus Sanctus, verè & realiter producuntur. Soli igitur conuenit Patri, tanquam notio peculiaris ipsius, innascibilitas, & ingenerabilitas, prout excludit simul productionem passiuam sui, & sui communicationem per productionem. Sola porrò ea quinque prædicata, modò numerata, dicuntur notiones, tametsi alia plura prædicata distincta ratione nostra, conueniant formaliter Personis Diuinis. Quia sola illa quinque habent præcipuam quandam vim ingenerandi in audiente apprehensionem specialem dignitatis in Personis Diuinis. Vnumquodque autem notificatur decentiùs per ea quæ peculiariter spectant ad dignitatem ipsius. Decet verò, vt Personæ Diuinæ notificentur quàm decentissimè: ideóque vt notificentur per omnia, & sola illa quinque prædicata, nempè prima Persona per Paternitatem, & innascibilitatem, secunda per Filiationem, vtraque simul per spirationem actiuam, ac demùm Tertia per spirationem passiuam.

Art. 6. Ex his omnibus infertur facilè intentum, de distinctione Trium Personarum in Deo. Quia processio realis habet hoc ex suo conceptu, vt distinguat realiter principium producens à termino producto. Necesse similiter est, vt quod realiter refertur ad aliquid, distinguatur ab illo realiter. Neque verò realiter proprium potest inesse, nisi realiter distincto ab iis, quibus illud non est proprium, quatenùs proprium opponitur communi, & non tantum alieno, quo sensu vsurpatur in præsenti. Denique notio realiter specialis alicuius non permittit identitatem realem eiusdem cum illo, à quo est discernibile per ipsam. Quia nihil realiter producit seipsum, aut refertur ad seipsum, aut habet aliquid realiter proprium, seu non commune realiter alteri, nisi distinguatur realiter ab ipso; aut denique habet, vndè sit discernibile realiter ab alio, absque distinctione reali ab ipso. Per hæc igitur omnia, & singula distinguuntur inter se realiter Personæ diuinæ, quæ per eadem se inuicem respiciunt, ac connotant, & opponuntur inter se mutuò. Iisdem etiam, per accommodam eorundem distributionem, constituitur in se intrinsecè vnaquæque persona. Quia ad easdem reducitur, quidquid vnicuique Personæ singulariter conuenit.

Art. 7. Processio itaque actiua per Intellectum constituit primam Personam Patris, & distinguitur realiter à secunda Persona Filij. Quæ similiter constituitur, & vicissim distinguitur à Patre per Processionem passiuam intellectualem. Similiter processio actiua per voluntatem, quæ est communis primæ & secundæ Personæ, constituit vtramque, non in ratione Personæ, aut Personarum, vt inferiùs ostendetur, sed indiuisim in ratione vnius spiratoris, & vtramlibet, ac vtramque simul distinguit realiter à Tertia Persona Spiritus sancti. Quæ eodem modo constituitur spiratione passiua, & distinguitur à duabus Personis spirantibus, necnon à spiratore, qui est indiuisim Pater & Filius. Eadem est proportionalis ratio, de relationibus quasi prædicamentalibus, fundatis in Processionibus: quæ processiones, quatenùs tales, sunt relationes transcendentales. Eadem quoque est ratio de proprietatibus, vt liquet ex data ipsarum expositione, vti etiam liquet ex notionum expositione de constitutione, & distinctione Personarum per ipsas.

Art. 8. Hæc porrò omnia sunt indistincta inter se virtualiter intrinsecè, in vnaquaque Persona, quatenùs singulariter dicuntur de ipsa. Quia nullum est tertium prædicatum, in quo realiter distinguantur, ideoque ea omnia dicuntur eodem modo obiectiuè de vnaquaque Persona, deque nullo eorum est prædicabile, aut negabile aliquid, quod non sit eodem modo prædicabile, & negabile de reliquis, quantum est ex parte obiecti, & independenter à modo nostro concipiendi, vt patet ex dictis quæst. 4. circa naturam, & conceptũ quidditatiuum distinctionis virtualis intrinsecæ. Omnibus itaque eis prædicatis, nempè originibus, seu processionibus, relationibus, proprietatibus, notionibus æqualiter, eodemque prorsùs modo constituuntur in se, & inter se distinguuntur obiectiuè Tres solæ Personæ Diuinæ. Nempe vnaquæque omnibus suis eiusmodi prædicatis. Ratione autem nostra, & secundũ modum nostrum concipiendi, relatè ad connotata extrinseca, seu relatè ad obiecta creata, consignificata in obliquo, processio, seu origo, tam actiua, quàm passiua præcedit formaliter, & cõstituendo, & distinguendo vnamquamque proportionaliter, seu respectiue, Personam. Quia Processio fundatur immediatè in esse, & immediatè terminatur ad esse secundùm se. Cùm relatio formaliter vt talis, necnon proprietas, & notio superaddant ipsi esse, conceptum aliquo modo comparatiuum formaliter vnius cum alio. Ipsum verò esse secundùm se, est in vnoquoque primum omnium, ratione nostra, cùm in ipso esse fundentur cætera omnia, eidemque superaddantur, ratione nostra, ad modum compositi, respectu simplicis. Esse autem propriũ, & peculiare personarum Diuinarum, consistit formaliter in oppositione cuiusque Personæ respectu aliarũ duarum, vt dicetur in quæstione sequenti. Ergo ratio processionis, quæ est prima ratio oppositionis, cùm sit ratio oppositionis secundùm ipsum esse, est etiam prima ratio formalissima constitutionis, & distinctionis, ex modo nostro concipiendi. Ex his igitur omnibus constat, an, & quo numero, & cum quo munere dentur in Deo, ea, de quibus quæsitum fuerat, eademque esse principium sufficiens distinctionis realis prædicatorum in Deo, constituentium in se, & distinguentium inter se, non plures, nec pauciores, quàm tres Personas.

Ad 1. Processio in primis, non supponit vnicè pro motu ad extrà, sed pro qualibet operatione, etiam immanente. Procedit enim, & intellectio ab intelligente, & volitio à volente, & sic de aliis eiusmodi. Deinde processio, ex suo conceptu, non inducit diuersitatem, quoad omnia, inter procedentem, & productum, sed præcisè, quoad id, quod producit, & quod

quod producitur, quatenùs producit, & producitur. Neque verò repugnat diuinæ simplicitati omnis omnino diuersitas prædicatorum, sed solùm diuersitas partium vnitarum inter se, aut non habentium identitatem realem propriè talem cum Diuinitate, quæ est perfectè vna, & perfectè vnica, quatenùs Diuinitas est. Denique omnia, quæ sunt in Deo, sunt indistincta realiter a Deo, & existunt vi Deitatis, quæ est à se etiam virtualiter. Vnde nihil Diuinum agnoscit principium sui extra Deum. Quòd autem vnum prædicatum Dei sit ab alio eiusdem prædicato, eodemque posterius sola originis posterioritate, non tollit, quominùs vtrumque absolutè, & simpliciter sit ens à se. Quia non tollit, quominùs vtrumque sit à Deo, cui sub conceptu entis à se, solùm negatur principium extra ipsum, & distinctum ab ipso, respectu prædicatorum omnium identificatorum realiter cum eodem.

Art. 1. Ad 2. Relationi negatur prædicatio de aliquo. Quia vt relatio est formaliter, est ad aliquid, & non in aliquo; ideóque formaliter dicitur ad aliquid, & non de aliquo. Quod tamen non obstat, quominùs relatio, secundùm Conceptum *In*, qui est ipsi communis cum aliis accidentibus; dicatur re ipsa de subiecto, quod refert, & cui re ipsa inest. Multò verò magis, dicitur de Deo sua relatio, secundùm eundem conceptum *In*. Quia est idem realiter cùm ipso. Distinctio ista relationis per conceptum *in*, & per conceptum *ad*, inducta est a Theologis iam olim, claritatis gratia, quam tamen, an obtinuerint, an impedierint, non admodùm liquet; satis constat præcisionem relationis à conceptu *ad*, per conceptum solius *in*, esse præcisionem à ratione differentiali eiusdem. Quia, quòd relatio insit rei, quam refert, est ipsi omninò commune cum omnibus aliis, cuiuscumque generis, prædicatis conuenientibus vnicuique entitati. Vnde, quæ dicuntur de relatione præcisè secundùm conceptum *in*, non dicuntur de relatione, vt relatio est formaliter, sed de ipsa materialiter sumpta, nisi fiat conceptus reflexus, seu quasi reflexus ipsius rationis formalis *ad*, quatenùs identificatæ, vel qualitercumque coniunctæ cum eo, quod refert ad aliud, seu facit ad aliud se habere. Quapropter, quod dictum est de relatione, secundùm conceptum *in*, esse prædicabilem de subiecto, cui inest, non verò secundùm conceptum *ad*, perinde re ipsa est, ac relationem adæquatè sumptam non comparari ab intellectu formaliter, & explicitè cum termino, ad quem refert, per actum intellectus, per quem formaliter & explicitè comparatur cum subiecto, cui inest, & quod refert. Quæ diuersa comparabilitas per actum intellectus, est peculiaris, & propria relationis; cùm cætera, quatenùs præscindentia à relatione, solùm sint comparabilia per intellectum, cum subiecto, seu quasi subiecto, cui insunt.

Art. 2. Deindè relationi non est deuincta distinctio inter extrema relata, nisi quatenùs alterum eorum refert ad alterum. Vnde relatio diuina ad intra solas multiplicat Personas, & non naturam. Quia solas refert Personas, & non naturam; Quandoquidem solæ producunt, & producuntur Personalitates, seu Personæ ratione personalitatum, non verò natura, seu Personæ ratione naturæ, vt dictum est, & exponetur magis infrà. Neque verò repugnat Deo, sicut repugnat creaturis, pluralitas realis realiter identificata cum vnitate reali, secundùm diuersa prædicata, vt dictum est in quæstione præcedenti, atque adeò non repugnat producibilitas actiua, & passiua, quoad aliqua prædicata, coniuncta cum omnimoda improducibilitate quoad aliud prædicatum indistinctum realiter ab illis: & consequenter nec repugnat proportionalis relatio, & non relatio inductiua pluralitatis, & vnitatis secundùm diuersa, diuersitate virtuali intrinseca.

Art. 3. Præterea relatio Dei ad intra, conuenit ipsi necessariò, ex natura rei. Relatio verò ad extra conuenit eidem liberè per actus intellectus, & voluntatis, & non præcisè ex sua natura, secundùm se. Vnde relatio ad intra, dicitur, & est omninò realis, vtpotè conueniens ex natura rei, & non per actus rationis. Relatio verò ad extra, est solùm rationis ex parte Dei, vtpotè constituta eatenùs per solos actus rationis, solumque est realis ex parte creaturarum, vtpotè dependentium à Deo ex sua natura, & non solùm per actus superadditos rationis, nempè intellectus & voluntatis, quæ est intentio, & doctrina D. Thomæ eodem illo in loco. Iam verò, quòd aliquid diuinum supponat aliquid aliud diuinum, nullius est incommodi, dummodò Diuinitas nihil ante se supponat. Eo namque ipso saluatur, quòd nihil Diuinum supponat aliquid aliud, nec sit posterius aliquo alio, in vllo genere, secundum suam naturam, & essentiam, sed solùm supponat aliquid Personale, & respectiuum, tanquam prius origine, idque eiusdem quidem generis, seu quasi generis subalterni, sed cum diuersitate secundùm vltimum, & adæquatum conceptum, iuxta dicta.

Art. 4. Denique non repugnat, vt quod ex suo conceptu generico, & ex se præcisè, ac formaliter non est magnæ entitatis, sit maximæ nihilominus entitatis re ipsa secundùm suum conceptum adæquatum, ac vltimum. Sic autem accidit in relatione diuina. Quia diuinitas identificat sibi, ex suo conceptu, omnia, quæ sunt in Deo. Vnde ex quo intelliguntur contracta ad Deum, intelliguntur eo ipso, cum summa & infinita perfectione: licet ab ea præscindant secundùm suum conceptum peculiarem, quatenùs præcisum formaliter à Diuinitate, & ab identitate cum Diuinitate, vti clariùs apparabit in quæst. seq.

Ad 3. Ex dictis in quæstione 9. constat, quo sensu Deus sit nominabilis: & quo non sit, & quod potiùs innominabilis dicatur, tametsi aliqualiter nominabilis sit re ipsa. At quoad relationes, & Personalitates, nominabilis potiùs videtur, quàm innominabilis, suppositâ fide. Quia sub hoc conceptu non importatur formaliter infinitas perfectionis, qua vsque adeo superet conceptionem quasi specificam intellectus nostri de ipsis, ob quam tamen exuperantiam perfectionis supra captum nostrum, dictus est potiùs innominabilis Deus, quà Deus, & quoad diuinitatè, in ea q. 9.

Art. 1. Ad 4. In quæstione sequenti innotescet Personas Diuinas importare in recto Personalitates, quæ sunt plures, & in obliquo Deitatem, quæ est vna; atque conceptum Dei oppositò modo se habere, ideóque Deum esse vnum, & Personas esse plures. Quæ diuersitas secundùm rem ipsam, & quoad fundamentum eiusmodi diuersitatis nostrorum conceptuum, repugnat in rebus creatis, propter repugnantiam identitatis realis inter vnitatem, & pluralitatem reales, superiùs explicatam.

Art. 2. Controuersia de numero, quæ tangitur in obiectione, licet fusissimè à nonnullis tractetur, plurimis hinc & inde argumentis & notationibus, re ipsa est leuis, & dirimitur facilè, notata duplici vnitatis vsurpatione, quam tradit D. Thomas de Potentia q. 9. art. 7. & in præsenti q. 30. art. 3. cum fundamento in Philosopho dicente 4. Phys. c. 12. text. 135. numerum fieri, vel diuisione continui, vel diuisione communis, in quo vniuntur diuisa. Itaque vnum ex mente D. Thomæ sumitur primò, vt prædicatum transcendentale conuertibile cum ente, prout superaddens solam negationem diuisionis, supra conceptum

absolutum ipsius entis secundùm se; atque hæc vnitas est communis rebus materialibus, & immaterialibus, compositis, & simplicibus, sicut est communis ipsa ratio entis. Secundò vnum vsurpatur vt proprietas rei materialis inducentis multiplicitatem indiuidualem per diuisionem sui, & per adiunctam collectionem accidentium indiuidualium. Hæc posterior vnitas est principium numeri, qui est species quantitatis discretæ, ideoque repugnat Deo, simul cum numero fundato in ipsa. Quia repugnat Deo quantitas, & consequenter diuisio, & numerabilitas fundatæ in quantitate, & constituentes determinatam speciem quantitatis. At prior vnitas nullam in suo conceptu includit imperfectionem, ideoque conuenit Deo, & secundùm absoluta, & secundùm relatiua. Quia verò, quoad absoluta, non datur nisi vna vnitas, non datur in Deo numerus realis, quoad absoluta. Ratione contraria datur numerus in eadem, quoad relatiua, fundatus in vnitate transcendentali, & conuertibili cum ente. Quia dantur plures eiusmodi vnitates reales quoad relatiua, & consequenter datur numerus quoad eadem fundatus in eadem vnitate. Quia numerus est indistinctus à pluralitate vnitatum, estque eiusdem generis, cuius sunt ipsæ vnitates. Cùm igitur vnaquæque persona sit verè, ac propriè vna vnitate transcendentali, quatenùs ita est indiuisa in se, vt simul sit diuisa à reliquis duabus, includens in se negationem identitatis cum illis, id est, diuisionem ab iisdem, coniunctam cum indiuisione sui in se, sintque simul plures realiter personæ, id est, plures vnitates; patet dari in Deo numerum realem Personarum; nempè Ternarium. Qua de causa Deus verè & propriè dicitur Trinitas.

Art. 3. Notandum hîc est cum Valentia, Arrubal, & aliis, non posse Deum similiter dici Triplicitatem, aut Triplicem. Quia Triplicitas, vltra numerum ternarium, affirmabilem propriè de Personis Diuinis sensu explicato, superaddit proportionem excessus in eo, quod dicitur triplex, super illud, respectu cuius dicitur triplex; excessus verò non solùm quoad numerum, sed etiam quoad magnitudinem, & quoad conceptū realiter adæquatum rei significatæ. Huiusmodi autem excessus non habet locum in Deo, nec conuenit tribus Personis simul sumptis, respectu cuiusque personæ seorsim sumptæ, vt infra dicetur semel, atque iterùm. Hinc Concilium Toletanum 11. in Confessione fidei, declarat: *Hæc est Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas dici debet.* Idem traditur fusiùs ab August. l. 6. de Trinit. c. 8. Licitum nihilominùs esse, ac tolerandum vsum duplicis, triplicis, duplicitatis, & triplicitatis, adiunctis particulis expresè referentibus, ac restringentibus ad notionalia, pluribus SS. PP. exemplis commonstrat Mont. d. 38. de Trinit. sect. 4.

QVÆSTIO XL.

Vtrum perfectiones, aliaque Prædicata Diuina, multiplicentur iuxta multiplicitatem Personarum?

VIDENTVR multiplicari præsertim Perfectiones. 1. Quia relationes, & Personalitates Diuinæ, ex se præcisè, & prout distinctæ virtualiter ab essentia, sunt prædicata simpliciter, & absolutè necessaria; necessariò proindè volita à Deo, minimeque contemptibilia ab eodem, distincta ab omni ente creato, id est, ab omni finito, ac limitato; & capacia identitatis realis cum Deo; ac demum talia, quibus sublatis, nec Deus esset Deus, nec esset infinitè perfectus, neque completè beatus; & cum quibus, tanquàm cum tribus peculiaribus pulchritudinis infinitæ accessionibus, & quasi partibus, renelatur per fidem, quoddam, vltra captum rationis naturalis, summè & infinitè pulchrum, quod est Deus Trinus, & Vnus, non minùs amabilis, ac adorabilis, quà Trinus est, quàm quà est Vnus. Hæc autem omnia & singula includunt in suo conceptu formali rationem bonitatis, & perfectionis peculiaris, vt per se patet. Ea verò omnia attribuunt frequenter Personalitatibus Diuinis Sancti Patres, efferentes simul pluraliter perfectionem circa ipsas, apud Fasol. q. 28. art. 2. dubit. 5. à nu. 129. Dubitari igitur minimè potest, quin Personæ Diuinæ, quatenùs præscindunt ab essentia Diuina, præditæ sint perfectione peculiari, eamque multiplicent pro multiplicitate Personarum.

2. Personalitatibus, & relationibus Diuinis, vt præcisis à natura Diuina, conuenit formaliter ratione sui esse verè & propriè tales, atque esse oppositas nihilo, & repugnantiæ sui. Alias non essent in Deo tres realitates, sed solùm tria quædam prædicata distincta per rationem concipientem ad modum relatiuorum, quæ non sunt in se intrinsecè relatiua. Quæ est hæresis olim tradita à Gilberto Porretano, & reprobata ab omnibus Catholicis. De qua re videri potest Montoya disp. 26. de Trinit. Nequit autem multiplicari esse, seu ratio entitatis realis, quin simul multiplicentur prædicata transcendentia veri, & boni. Quæ videlicet sunt conuertibilia formaliter cum ente, & cum realitate positiua. Ergo dantur in Deo tres similiter veritates, & tres bonitates reales; id est, totidem perfectiones reales.

3. Humanitati assumptæ à Verbo Diuino, sola vnita est Personalitas, & non natura, vt statuitur quæst. 21. de Incarnat. & nihilominus eadem Humanitas sanctificata est, & ineffabiliter perfecta per eam vnionem, vt habetur ibid. quæst. 24. Ergo communicatio personalitatis secundùm se formaliter, est communicatio perfectionis; Atque ideò inest perfectio aliqua peculiaris personalitatibus Diuinis secundùm se.

4. Conceptus Personæ ex sua ratione est absolutus, minimeque relatiuus. Quia est conceptus subsistentis in se, & per se; in quo conceptu nulla exprimitur, aut continetur relatio ad aliquid aliud. Ergo sicut nihilominùs multiplicatur in Deo realiter Personalitas, propter identitatem cum relatione; ita cætera quoque absoluta multiplicantur in Deo realiter, propter eandem identitatem cum relationibus.

Art. 1. Resp. *In Diuinis omnia esse idem, vbi non obuiat relationis oppositio.* Est dignitas Theologica, munita auctoritate Concilij Toletani 11. & Florentini, atque vnanimi consensu SS. PP. apud Montoyam disp. 9. de Trinit. sect. 2. & 5. & disp. 68. sect. 4. Toletanum in Confessione fidei c. 1. *In relatione Personarum*, ait, *numerus cernitur.* Et paulò post: *Hoc solùm numerum insinuant, quod ad inuicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* In Florentino sess. 18. §. *Dixit*; *Equidem, sola relatio*, ait Ioannes Theologus approbante tacitè Concilio, *apud omnes Græcos, & Latinos Doctores, diuina processione Personas multiplicat: ita vt non alia ratione, quam vi relationis, vna Persona ab alia differat.* Itaque nullum ex iis prædicatis multiplicatur in Deo, penes quæ nulla obuiat relationis oppositio. Nulla autem obuiat relationis oppositio penes vllam perfectionem. Quia nulla est

talis

talis oppositio penes Diuinitatem, quæ per se ipsam est conceptus, & cumulus omnis perfectionis in omni genere, vt patet ex q. 14. & ex demonstrationibus datis quæst. 2. Nulla igitur est multiplicitas & distincto realis perfectionum in Deo, sed omnis perfectio, & bonitas per se æstimabilis, est communis omnibus Personis, sicut & communis Diuinitas. Ergo Personalitates Diuinæ distinguuntur virtualiter intrinsecè ab omni eiusmodi perfectione, sicut distinguuntur à Diuinitate, & ab omni alio prædicato absoluto, & communi. Cuilibet namque communi conuenit prædicatum contradictorium eius, quod conuenit Personalitatibus, & relationibus secundum se, vtpotè non communibus. Ex qua ratione apparet, implicare in terminis doctrinam eorum, qui ex vna parte affirmant, Personalitatibus, vt distinctis virtualiter ab essentia, conuenire perfectionem peculiarem, & simul ex alia parte dicunt, vnam eandemque esse perfectionem Personarum Diuinarum, nec multiplicari pro multiplicitatè ipsarum: Quam assertionum mutuam repugnantiam meritò pluribus insequitur Suar. lib. 3. de Trinit. c. 9. n. 7.

Art. 2. Hæc eadem vnitas, & indiuisio perfectionis Personarum Diuinarum confirmari vlteriùs potest ex Augustino lib. 1. de doctr. Christ. c. 5. vbi concedit in Deo tres res, & vnam, & tamen immediatè subiungit negationem triplicis similiter perfectionis, dicens: *Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem maiestas*; id est, idem cumulus omnium perfectionum. Illustrat istam Augustini sententiam comparatione Essentiæ D. Thomas quæst. 42. art. 4. ad 2. *Sicut igitur*, ait, *eadem essentia, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio; ita eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio.* Et q. 2. de potentia art. 4. ad 14 *Sicut Paternitas in Patre*, ait, *& filiatio in Filio sunt vna essentia; Ita & sunt vna dignitas, & vna Bonitas.* Non igitur eo modo sunt in Deo tres perfectiones pertinentes ad conceptum Maiestatis, id est, per se æstimabiles, sicut sunt tres res; sed est vna tantummodò eiusmodi Perfectio communis, sicut est vna Essentia, & vna natura. Addo, sicut est vna virtus spiratiua, & vna spiratio in Patre, & Filio distincta virtualiter intrinsecè ab vtroque, & vtrique communis, non alia profectò de causa, nisi quia, quoad spirandum, nullam habent oppositionem inter se; sicut nulla Persona habet vllam oppositionem cum alia, quoad infinitatem perfectionis in omni genere, nempè quoad Diuinitatem, quæ se ipsa formaliter est infinita perfectio, & cumulus omnis puræ perfectionis in omni genere, includens in se omnem perfectionem expertem imperfectionis, eodem prorsùs modo, quo excludit à se omnem imperfectionem, seu defectum perfectionis, vt liquet ex illa quæst. 14. ac proindè includens in se non tantùm æquiualenter, vt quidam respondent, sed etiam formaliter omnem, & quamlibet eiusmodi perfectionem, quandoquidem excludit à se per se ipsam formaliter omnem imperfectionem & defectum:

Art. 3. Accedit, neque Aseitatem, neque Omnipotentiam, neque æternitatem, aut immensitatem, neque libertatem, aut dominationem, neque sapientiam, aut sanctitatem, aut aliquam aliam eiusmodi perfectionem dignam Deo; & manifestè pertinentem ad conceptum maiestatis Diuinæ, multiplicari in Personis, vt patet inter alia, ex Symbolo Athanasij: *Et tamen non Tres æterni, sed vnus æternus: sicuti non Tres increati, &c.* Quænam autem, rogo, magna, infinita, & digna Deo perfectio esse potest, vi cuius formaliter nihil fieri potest, nihil intelligi, nihil discerni, & quæ ratione sui nullibi, & nusquam esse potest, & quæ ratione sui, nec hoc quidem habere possit, vt sit increata, id est, differens ab ente creato, & sic de similibus omnis generis perfectionibus nominabilibus de Deo, & in Deo. Oporteret itaque nominare perfectionem aliquam peculiarem repertam in Personis, & non præintellectam formaliter, vt communem in Diuinitate, seu essentia Diuina secundùm se: Nempè Perfectio est conceptus quasi reflexus supponens conceptum alium obiectiuum, & prædicatum, per quod tali quodam determinato modo melioretur, & reddatur per se æstimabilis res, cui inest. Asserta perfectione, & non assignato aliquo eiusmodi prædicato, nihil fit, nihilque dicitur reipsa. Conceptum autem, & prædicatum eiusmodi, nullum vnquam designare, & nominare potuere Fasolus, Montoya, & alij contrariæ sententiæ Auctores apud ipsos, vt apparebit clariùs ex solutione argumentorum. Omnis igitur vera, & per se æstimabilis perfectio, quæ datur in personis diuinis, est ab eis virtualiter intrinsecè distincta, vtpotè iisdem omnibus indiuisim communis, sicut est communis Diuinitas.

Art. 4. Iam verò, quidquid est commune Tribus Personis, vti est omne prædicatum, penes quod nulla est processionis, seu originis oppositio inter Personas, pertinet ad naturam, & continetur in conceptu ipsius, vt natura est; adæquatè sumpto; & distinguitur à Personis, seu potiùs Personalitatibus virtualiter intrinsecè. Ad conceptum verò personalitatum, prout distinctarum virtualiter intrinsecè à natura, pertinent, quæcunque sunt inuicem incommunicabilia, & penes quæ reperitur in Deo eadem processionis, seu originis oppositio. Quia in Concilio Florentino, sess. 18. §. *Diuina substantia*, supponitur, ex vnanimi consensu Græcorum, & Latinorum, *Substantiam* (id est, naturam) *à Personis differre, vt communicabile ab incommunicabili, & vt commune differt à proprio.* Et Iustinianus Imperator in edicto fidei ad medium, statuit, *Omnes Sanctos Patres consonanter nos docere, naturam quidem, vel substantiam, vel formam, hoc, quod est commune, significare. Substantiam autem, siue Personam, hoc, quod est speciale.* Hinc vnanimi consensu recipiuntur à Theologis omnibus definitiones naturæ, & Personæ, quas tradit Boëtius lib. de duab. Nat. sub init. *Natura est, vnamquamque rem informans specifica* (id est communis pluribus) *differentia. Persona est rationalis naturæ individua* (id est, incommunicabilis pluribus) *substantia.* Spectant igitur ad naturam, quæcunque sunt communia Tribus Personis Diuinis, ad Personalitates verò, quæcunque sunt incommunicabilia, & discretiua vniuscuiusque Personæ à reliquis duabus, vel duarum ab vna. Cùm ergo quæcunque ex suo conceptu important formaliter perfectionem aliquam per se æstimabilem, sint communia Tribus Personis, patet, ea omnia ad naturam, seu essentiam, & Diuinitatem pertinere; atque distingui virtualiter intrinsecè à Personalitatibus, nec multiplicari pro multiplicitate ipsarum. Ex quibus denique omnibus patet vlteriùs, quod in quæstione præcedenti dilatum fuit in præsentem, nempè Processionem, seu originem, relationem, proprietatem, & notionem, seu notiones, ita esse sufficientes ex se ad pluralitatem realem prædicatorum in Deo, & ad realem distinctionem Trium Personarum, vt eadem, ad easdem sint omnino necessaria.

Ad 1. Tota perfectio propria illorum prædicatorum, quæ recensentur in obiectione, tanquam propria Personarum, atque indistincta virtualiter intrinsecè ab eisdem, præintelligitur formaliter in essentia Diuina. Quia Diuinitas per se ipsam formaliter est necessitas quasi actiua, vti ostendetur in quæst. seq. vt dentur tres Personalitates realiter identificatæ cum ipsa, adeoque distinctæ ab omni ente creato, & creabili,

creabili, & expertes omnis imperfectionis, & consequenter amabiles necessariò, ac infinitè. Eadem essentia est eodem modo exigentia suæ identitatis mutuæ cum iisdem Personis, & repugnantia non existentiæ ipsarum, & quasi forma totius pulchritudinis, quæ ineſt eisdem, & quam cum iisdem eadem essentia constituit. Conceditur itaque, Deum, quà Trinum, esse diligibilem, & adorabilem, non minùs, quàm quà vnus est, sed negatur esse diligibilem, & adorabilem ex triplici motiuo. Sunt enim Tres diligibiles, & adorabiles, seu sunt tres termini summæ dilectionis, & adorationis; non tamen sunt Tria diligendi, & adorandi motiua: sed vnicum, & adæquatum motiuum est Diuinitas, qua mouent omnes Tres Personæ simul, & vnaquælibet seorsim; sicut ratione eiusdem Diuinitatis omnes Tres Personæ, & vnaquæque sunt Deus. Inde nimirum habent, & eo modo habent omne bonum, vnde & quomodo habent, vt sint Deus, quod est maximè omnium, & quantum fieri potest, profundè considerandum. Nihil namque notius est in natura, nihilque Gentilibus pariter, ac Catholicis magis peruium, magisque indubitatum, quàm Deo, quà Deus est, conuenire formaliter, & non tantum virtualiter, ac æquiualenter, omnem puram perfectionem per se æstimabilem, in quolibet genere, atque adeò omnem eiusmodi æstimationis titulum, omnemque rationem dignitatis, & maiestatis, atque omne meritum cultus, & amoris, esse indistincta omnibus modis obiectiuè à Diuinitate, & consequenter distincta ab iis omnibus, quæ distinguuntur à Diuinitate, eodem modo, quo ipsa distinguuntur à Diuinitate: ac demùm, quod inde manifestè sequitur, esse distincta virtualiter intrinsecè à Personalitatibus, vtpotè, distinctis virtualiter intrinsecè à diuinitate. Circa locutiones Patrum in plurali, & singulari, dùm loquuntur de Bonitate, & Perfectione Dei, patebit ex dicendis ad 4.

Ad 2. Non est quæstio inter Theologos de realitate, veritate, & bonitate transcendentali Personarum communi prædicatis creatis, & increatis; paruis, & magnis; bonis, & malis; quam solam conuincit obiectio. Sed quæstio est de sola bonitate, & perfectione per se æstimabili; id est, non solùm terminatiua, sed etiam motiua amoris, & appretiationis per se, & ratione sui formaliter, quam ne attingit quidem obiectio. Conceditur itaque, conuenire Personalitatibus, vt distinctis virtualiter ab Essentia, oppositionem sui cum nihilo, & chymæra, terminabilatem cognitionis veræ affirmantis ipsas de se ipsis, & veri amoris, & appretiationis, volentis eisdem omne, & summum bonum, eaſdemque præferentis omni bonitati finitæ, ac limitatæ. Negatur tamen Personalitatibus eodem modo consideratis, atque præcisis à Diuinitate, conuenire magnitudinem aliquam entitatiuam, aut vim aliquam motiuam, intellectus, aut voluntatis. Hoc enim secundum non est prædicatum trascendentale, & conuertibile cum ente, seu cum realitate qualicunque, vt sic, & in communi, sed solùm primum; quod non facit ad propositum.

Ad 3. Sicut Personalitas Verbi Diuini est communicatio passiua realiter, & virtualiter immediata Diuinitatis respectu sui: ita etiam est communicatio passiua virtualiter mediata, & realiter immediata eiusdem respectu humanitatis assumptæ; & hac præcisè de causa eam sanctificat, & perficit, sicut Deificat, & fundat communicationem idiomatum: quæ duo, certum est conuenire humanitati, non ratione Personalitatis secundùm se formaliter, sed ratione Diuinitatis communicatæ, modo dicto, eidem Humanitati per eandem vnionem. Eodem autem modo, eademque ratione, qua conuenit Humanitati Deificatio, & communicatio Idiomatum per Vnionem Hypostaticam, conuenit etiam, quòd perficiatur, & sanctificetur, vt liquet ex quæstione indicata in obiectione.

Art. 1. Ad 4. Persona, ex sua ratione communi, & generica, non includit in suo conceptu, nec excludit relationem; sed ab ea præscindit; Includit verò ex ratione particulari Personæ Diuinæ: sicut nec includit, nec excludit in communi simplicitatem oppositam compositioni ex supposito, & natura: includit verò in particulari Persona Diuina. Ratio est, quia incommunicabilitas, quæ est de conceptu Personalitatis, vt dictum est, prouenire potest in aliis, & prouenit in omnibus suppositis creatis ex sola limitatione entitatis, cui non est locus in Deo, vtpotè infinito, ac illimitato reipsa, quoad omnia, & singula quæ sunt in ipso. Vnde sola relationis oppositione reddi potest incommunicabile vnum prædicatum Diuinum respectu alterius prædicati Diuini. Sola itaque eadem relatione constitui potest Deus, in ratione Personæ, respectu apprehendentis ipsum per fidem, & visionem, quibus solis cognoscuntur in Deo plura prædicata realiter distincta inter se, & indistincta ab aliis prædicatis Diuinis, ideoque communicabilis, & incommunicabilis comparatione diuersa.

Art. 2. Verùm quia ratione naturali non innotescit Deus, aut aliquid Diuinum, vt distinctum, præterquam à rebus creatis, à quibus omnibus distinguitur ratione limitationis earum, & eisdem est incommunicabilis Deus, per sua prædicata absoluta; propterea à ratione naturali sufficienter apprehenditur Deus in ratione personæ conceptu formali penitus absoluto. Neque verò contradicit fides huic concipiendi modo. Quia relationes Diuinæ ad intra, quæ innotescunt per ipsam, possunt eadem permittente concipi præcisè secundùm conceptum *In*. Quia præscindentium nullum est mendacium, nullaque falsitas, sed sola imperfectio cognitionis minùs adæquata suo obiecto, quàm quæ non est, aut non vsque adeò est præcisiua. Secundùm autem conceptum *In*, nullam dicunt inter se oppositionem relationis Personalitates Diuinæ, sed solam immanentiam in Diuinitate, constituendo ipsam in ratione sufficientis adæquatè, vt sit in se, & per se præcisè, necnon in ratione vltimò completæ realiter per se ipsam præcisè. Vnde patet dari in Deo subsistentiam absolutam distinctam extrinsecè tantum, ratione nostra, à subsistentia relatiua. Ista distinctione rationis naturalis apprehendentis Deum cum præcisione explicata, & fidei, atque visionis beatæ apprehendentis eundem absque tali præcisione, componitur, nisi fallor, legitimè controuersia de subsistentia, tum absoluta, tùm relatiua Dei, quæ est longa apud alios nonnullos, & valdè implicata, ob defectum distinctionis notatæ inter præcisionem rationis naturalis, & non præcisionem fidei, atque visionis immediatæ Dei.

Art. 3. Cæterum reipsa, & secundùm conceptum obiectiuum adæquatum, subsistentia, suppositum, Personalitas, & Hypostasis diuina, (quæ sunt idem formaliter ex vsu communi, post abolitam veterum controuersiam de significatione hypostasis, vt obseruant Vasquez, & alij) includunt in se relationem, & oppositionem relationis, propter rationem datam incommunicabilitatis ad intra, sola relatione transcendentali, seu origine ac Processione, proprietate, & notione, seu notionibus, iuxta dicta superiùs. Qua de causa hæc nomina, & quæcunque alia significant in recto eandem relationem, dicuntur in Deo pluraliter per se, vtpotè exprimentia primo loco rationem

multi

multiplicitatis: Dicuntur etiam pluraliter per se prædicata absoluta, quatenus significata adiectiuè, vt Tres Personæ Diuinæ, Tres Personæ æternæ, &c. Quia nomen adiectiuum significat suum obiectum ad modum adiacentis alteri, tanquam recto, ac proinde significat illud obliquè, & in secundo loco. At eadem prædicata absoluta in abstracto, vel etiam in concreto, sed significata substantiuè, non dicuntur pluraliter per se, sed tantùm singulariter, vt vna Deitas, vna omnipotentia, vna æternitas, &c. Vnus Deus, vnus omnipotens, vnus æternus, &c. Eadem ratione relatiuum commune duabus Personis, quale est principium spirationis, significatū in abstracto, vel etiam in concreto, sed substantiuè, dicitur singulariter, pluraliter verò significatum in concreto, & adiectiuè; vt vnus spirator, vnum Principium Spiritus sancti, vna virtus spiratiua, vna spiratio actiua, & duo spirantes, seu duæ Personæ spirantes. Istas duas regulas, circa prædicata præsertim absoluta, illustrant pluribus, & exemplis, & authoritatibus, earumque expositionibus variis, Theologi communiter cum D. Th. in præsenti quæst. 39. art. 3. Ex vtraque autem, & ex regula priùs data, circa relatiua, sequitur prædicata transcendentalia dici de Deo per se, & pluraliter, & singulariter; tùm in abstracto, & in concreto, tùm substantiuè, & adiectiuè; idque docetur à Theologis communiter ibidem.

Art. 4. Addidi vbique *per se*. Quia aliquando fit oppositum per accidens. Primò propter vitandum abusum hæreticorum, & sensum hæreticum ab illis inductum, quoad aliquas eiusmodi voces, & propositiones, quæ propterea vitandæ sunt, tametsi ex natura rei nullum illis inesset inconueniens. Secundò propter sanum sensum inductum familiariter à SS. PP. in oppositis quibusdam loquendi modis, ideoque receptis in scholis, iuxta mentem, & sanam eorum intentionem. Postremò, quia non semper vsurpantur voces circa hoc mysterium cum omni rigore, & proprietate, quoad modum significandi in recto, vel in obliquo, ideoque facilem eatenus veniam petuntque, dantque vicissim Catholici, de quorum recta mente ac fide dubitari moraliter non potest, tametsi locutio non sit omninò castigata, cùm huiusmodi defectus faciliùs irrepat in isto mysterio difficilis apprehensionis, & difficilioris significationis per voces à creaturis translatas ad illud, vt iterum notatum est supra. Eiusmodi inuersio, seu inflexio legitimæ, ac iustæ in rigore significationis accidit præcipuè circa perfectiones Diuinas, etiam per se æstimabiles, quæ licet non multiplicentur realiter in Deo, vt ostensum est; nihilominus dicuntur nonnunquam pluraliter sub eâ ipsa voce. Primò, quia perfectio est peculiariter capax modi significandi, quasi connotati, quatenus est conceptus quasi reflexus, vt supra notatum est, & apprehenditur quasi adiacens alteri, illudque perficiens. Deindè, quia aliquæ perfectiones absolutæ appropriantur specialiter singulis personis, vt infrà dicetur, eaque appropriatio præbet fundamentum modo loquendi aliqualiter plurificatiuo. In creatis non est opus his præcautionibus, quia tot sunt naturæ creatæ realiter, quot sunt Personæ. In casu autem, seu miraculoso, seu imaginato, de vna Humanitate terminata à tribus suppositis, dicerentur vnus homo, & tres personæ humanæ; atque è conuerso in casu suppositi affecti triplici humanitate. Vtrumque ob rationem similem rationi datæ circa Deum. In toto hoc negotio de locutionibus in singulari, & in plurali, vitandi præcipuè sunt duo errores, Arij negantis vnitatem naturæ in Patre, Filio, & Spiritu sancto, & Sebellij negantis distinctionem realem trium Personarum in Deo: & quæcunque locutiones inclinant in alterutrum ex his extremis, sunt penitùs fugiendæ, vel certè redigendæ in sensum legitimum, ac catholicum, adiunctis particulis illum exprimentibus clarè. Quod vniuersim obseruare oportet circa omnes locutiones aliqualiter ambiguas.

Art. 5. Ex dictis in tota ista quæstione, sequitur à fortiori, terminationibus liberis Diuinis, secundùm se præcisè, & prout distinctis virtualiter intrinsecè à prædicatis necessariis, nullam conuenire specialem perfectionem, per se æstimabilem. Quia cùm cætera sint similes Personalitatibus, habent hoc præterea peculiare, quod non sunt necessariæ simpliciter, sed possunt absolutè non existere, quoad denominationem, & terminationem, seu esse respectiuum ad extra: neque quoad istiusmodi esse, seu existentiam secundùm quid, exiguntur determinatè ab essentia Diuina, solúmque requiruntur, vt eadem essentia determinetur ad esse, & non esse creaturarum pro libito. Quæ clarius desciscunt à conceptu perfectionis per se æstimabilis, atque amabilis ratione sui.

QVÆSTIO XLI.

Vtrum prima Persona Trinitatis sit Principium, & fons totius Diuinitatis?

VIDETVR non esse. Quia Deitas non procedit à Patre, vt habetur ex Concil. Lateran. c. *Damnamus*, De summâ Trinit. Repugnat autem, vt detur Principium, & fons non procedentis.

Art. 1. Resp. Expositis iis, quæ sunt tribus Personis Diuinis communia, oportet singulas seorsim considerare, ac primo Patrem æternum. Patri autem æterno hoc vnum re ipsa peculiariter conuenit, vt sit Principium Filij, & Spiritus sancti, vtque ipse à nullo alio Principio procedat realiter. Vt verò duæ istæ notiones, ratione distinctæ, exponantur legitimè, præmittendum adhuc est quoddam aliud documentum omnibus Diuinis Personis commune, nempè omnia relatiua esse à Diuinitate, tanquam à Principio virtuali intrinseco eorum. Quia imprimis Diuinitas est à se, & est indistincta virtualiter intrinsecè ab Aseitate, vt liquet ex q. 2. & 4. Deinde Diuinitas, atque adeò aseitas est indistincta realiter, & distincta virtualiter intrinsecè ab omnibus prædicatis relatiuis Dei, vt liquet ex quæst. 38. Denique Diuinitati, atque adeò aseitati conuenit respectu relatiuorum prioritas aliqua virtualis intrinseca, nempè prioritas in subsistendi consequentia non mutua. Quia, cùm Diuinitas sit communis relatiuis omnibus, minimè communibus sibi inuicem, valet benè hæc consequentia: *Hoc prædicatum est Paternitas. Ergò est Diuinitas.* Hæc verò alia non valet. *Hoc prædicatum, ex. gr. Filiatio, est Diuinitas. Ergo est Paternitas.* Et sic de cæteris eiusmodi. Hæc autem tria constituunt adæquatè Diuinitatem in ratione principij virtualiter intrinsecè talis respectu omnium relatiuorum. Quia tria dicta Prædicata Diuinitatis, coniuncta cum distinctione reali ipsius ab aliquo, constituunt eandē adæquatè in ratione principij realis, propriè talis respectu illius. Ergò coniuncta cum distinctione virtuali, constituunt in ratione Principij virtualis. Confirmatur. Quia aseitas, seu esse à se, est notissimus cōceptus perfectionis simpliciter simplicis. Omnis

nis autē talis perfectio est distincta virtualiter intrinsecè ab omnibus relatiuis, vt liquet ex quæst. præced. Et sub his terminis admittitur indubitanter ab omnibus Theologis. Id autem, à quo aliquid est, eo modò est prius, & principium, quo modo est distinctum ab eodem. Ergo Diuinitas, quæ per se ipsam est aseitas, estque simul per se ipsam distincta virtualiter intrinsecè ab omnibus relatiuis, quæ sunt realiter Ens à se, ideoque sunt ab aseitate; seu existunt realiter vi aseitatis, est id, à quo procedunt virtualiter intrinsecè omnia relatiua.

Art. 2. Confirmatur rursus. Quia nullus ex Theologis asserentibus identitatem realem adæquatam terminationum liberarum Dei cum ipso, & distinctionem virtualem intrinsecam earum à Diuinitate, in dubium vnquam reuocauit, quòd eædem terminationes procedant virtualiter intrinsecè à Diuinitate. Nihil autem illis conuenit, quòd ad rationem processionis huius virtualis intrinsecæ pertineat, præter ea, quæ notata sunt in essentia respectu relationum ad intra, nempè esse indistinctas realiter, & distinctas virtualiter intrinsecè ab essentia, atque essentiam esse priorem ipsis virtualiter intrinsecè, quatenùs essentia est identificabilis cum vtralibet ex terminationibus liberis inuicem oppositis, & imcompossibilibus, ideoque non inferentibus se mutuò, vel non mutuò, sed potiùs excludentibus se mutuò, ac proinde ab vtralibet ex illis valere consequentiam ad Diuinitatem, cùm vice versa non valeat consequentia à Diuinitate ad alterutram ex ipsis determinatè sumptam. Quæ omnia conueniunt etiam suo modo relatiuis ad intra. Eadem igitur ratione, qua terminationes liberæ procedunt virtualiter intrinsecè ab essentia, & ab aseitate Diuinitatis propria, procedunt etiam ab eadem, eodem modo, prædicata omnia relatiua ad intra, atque ideò, & Paternitas. Hanc doctrinam illustrat, quampluribus subtiliter ac mirabilitr de more P. Antonius Perez tota disp. 2. de Trinit.

Art. 3. Quapropter, quod dicunt D. Dionys. c. 2. de Diu. nom. ad med. August. lib. 4. de Trin. c. 20. ad med. aliique plures SS.PP. & communiter Theologi cum fundamento in Conc. Flor. sess. 23. ad med. apud Montoyam d. 48. de Trin. sect. 5. *à Diuinis scripturis accipi Patrem, esse fontem, seu fontanam Diuinitatis*, vt loquitur Dionys. *Patrem esse totius Diuinitatis Principium, & auctorem*, vt dicit August. *esse fontem, & Principium totius Deitatis*, vt pronunciat Eugen. IV. in litteris vnionis ad med. Hoc, inquam, accipi non potest, ob rationem modò datam, de Diuinitate secundùm se, & prout significat præcisè naturam Diuinam, eandemque complectitur. Accipitur ergo duplici alio sensu. Primo nimirum, in sensu collectiuo, cuius dictum est qu. 38. ab art. 11. esse capacem Diuinitatem, ita vt supponat pro vniuersitate Personarum, maximè adiuncta sibi particula *tota*, quæ adhibetur in citatis testimoniis. Subintellecta autem ista oppositione, perinde est dicere. Patrem esse Principium totius Diuinitatis; atque dicere Patrem esse Principium totius Trinitatis. Hoc autem secundum est verum, vt sonat, licet Pater, qui includitur in ipsa Trinitate, tanquam vna eius Persona, non sit Principium sui. Nam & vnus de populo dicitur Rector totius Populi, licet non sit Rector sui. Accipitur nimirum locutio cum distributione accommoda. Ita exponit D. Thomas. q. 39. ar. 5. ad 6. Alter sensus est, quod Pater sit Principium totius Diuinitatis, non quidem producendo ipsam Diuinitatem, sed solùm eam communicando Personis productis, ex vi productionis ipsarum, quæ propterea dicuntur Deus de Deo. Quod etiam tradit ibid. D. Thom.

Art. 4. Exercet autem Pater rationem Principij productiui erga reliquas duas Personas, virtute Diuinitatis, seu essentiæ Diuinæ: ita vt Pater sit Principium *quod* Filij, & Spiritus sancti: Diuinitas verò principium *quo* tamquam virtus, & ratio fœcunditatis; & Paternitas Principium itidem vt *quo*, tamquam actio, seu origo actiua, & vltima determinatio productiua. De Principio *quod*, & de principio *quo*, vt actione, constat ex q. 39. neque verò de principio *quod*, est vlla controuersia inter Theologos. Verùm neque de Principio *quo*, vt actione, potest esse vlla controuersia, præterquam purè vocalis, vt patere satis potest consideranti, quæ dicta sunt in illa quæstione. Quòd autem Principium *quo*, vt virtus, & tota ratio fœcunditatis ad intra, sit sola Diuinitas, quatenùs perficiens modo quodam determinato vnamquamque Personam producentem, duo sunt, quæ efficaciter persuadent. Alterum est, infinitam perfectionem, quæ tota est penes Diuinitatem, esse rationem adæquatam, & vnicam, ob quam dari possint in Deo prædicata realiter inter se distincta, id est, vt liquet ex quæst. præced. initio, quorum alterum ab altero realiter procedat; id quod demonstrat clarè tota q. 38. Ergo tota ratio, ob quam vna Persona potest realiter producere aliam Personam, est Diuinitas, & infinitas perfectionis, quæ inest formaliter Diuinitati. Tota autem ratio obiectiua, & perfectio, ob quam aliquid potest producere aliquid aliud, est tota, & sola virtus productiua. Ergo sola Diuinitas est tota virtus productiua propria Personarum.

Art. 5. Alterum est, Diuinitatem esse Principium, à quo sunt virtualiter intrinsecè omnia Personalia, vt paulo priùs ostensum est. Ergo Pater accipit ab Essentia determinationem ad producendum, per quam constituitur in ratione Patris, & distinguitur à secunda, & tertia Persona. Id autem ratione cuius aliquid determinatur ad producendum, & habet in se actionem productiuam, est virtus productiua ipsius respectu termini realiter producti ab eodem. Ergo essentia est tota virtus productiua Patris respectu Filij, eademque est ratio de vtroque respectu Spiritus sancti, seu de spiratore. Confirmatur; quia Pater est productiuus Filij, in quantum intelligens, & vterque est productiuus Spiritus sancti, in quantum volens, vt dicitur in quæst. sequenti. Tota autem ratio intelligendi, & volendi, est essentia Diuina, vt patet. Ergo eadem est tota ratio producendi, vt virtus, & sufficientia ad producendum. Nec tamen propterea essentia Diuina distinguit se realiter à Personis productis. Quia essentia Dei non est virtus, vt ipsa per se ipsam producat, sicut accidit in creatis: sed est virtus communicata alteri formalitati tantundem, atque sibi, iuxta dicta suprà, vt hæc alia formalitas producat immediatè se sola. Ex his itaque patet, quo sensu, & quo modo prima Persona sit, & quo non sit Principium, & fons totius Diuinitatis; & cum qua distinctione satisfiat rationi dubitandi.

QVÆSTIO XLII.

Vtrum secunda Persona Trinitatis sit Filius; Tertia verò non sit?

VIDETVR neutram esse Filium; vel si est altera, esse vtramque. Quia de ratione Filij est, vt sit similis Patri, quatenùs producitur à Patre, prout est similis homo productus, homini producenti. Persona autem Diuina, quatenùs producta: & quoad omnia

omnia relatiua, penes quæ sola datur productio realis, sunt adæquatè dissimiles producentibus dissimilitudine coniuncta cum oppositione mutua adæquata, vt dictum est supra, atque adeò sunt dissimiles dissimilitudine summa. Quod si nihilominùs ratione naturæ omnibus communis dicatur saluari aliqualiter similitudo, quæ est de conceptu filiationis, vtraque Persona procedet vt Filius. Quia vtraque Persona procedens accipit eandem naturam Diuinam per Processionem, eaque de causa dicitur de vtraque, quòd procedat Deus de Deo; id est, cum perfectissima eatenus similitudine inter producentem, & productum.

Art. 1. Resp. Certum est ex fide, secundam Personam Trinitatis esse filium, & eius processionem esse generationem propriè, & strictè talem, atque Natiuitatem; & nihil horum conuenire tertiæ personæ. Ita definitur in Primo Concil. Nicæno, & Constantinop. & Ephesino, & primo ac Vndecimo Toletano in symbolis, & Confessionibus fidei. Deinde Christus Dominus tuetur suam præ cæteris hominibus excellentiam propriam Diuinitatis, Matth. 22. 43. & Luc. 20. 42. Ex illo psal. 109. 3. *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Et similiter Petrus, & Ioannes act. 4. 24. Nec non Paulus ibid. 13. 33. accipiunt de eadem secunda Trinitatis Persona, psal. 2. præsertim vers. 7. *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*: Nimirùm generatione æterna, cuius hodie nunquam transit, estque semper vniformiter præsens, ex dictis quæst. 8. Et rursùs generatione, non quæ præsupponat subiectum, qua connotatione potiùs dicenda esset creatio, & dicitur nonnunquam, processio secundæ personæ, eodemque iure dici posset Processio tertiæ Personæ; sed generatione, quæ suum Principium denominat Patrem, & terminum productum, denominat Filium. Quo sensu, secunda Persona Trinitatis, quæ est Verbum Diuinum, bis dicitur Filius Vnigenitus c. 1. Ioann.

Art. 2. Generatio hoc secundo modo sumpta definitur communiter cum D. Thoma quæst. 27. art. 2. ex Philos. 7. Metaph. c. 8. Ethic. c. 12. *Origo viuentis a Principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ.* Ratio originis, qua viuens à viuente procedit, est communis secundæ, & tertiæ Personæ. Est itidem vtrique communis coniunctio cum Principio, à quo procedunt, eaque multò maior, quàm quæ reperitur in generante, & genito creatis, vt pote coniunctis per solam partem substantialem materiæ, decisam à generante, & intrinsecè constitutiuam geniti. Quia secundæ, & tertiæ Personæ est communis cum prima Persona per identitatem realem natura Diuina, quæ est à se in omni genere causæ, scilicet formalis, finalis, & efficientis; ideoque est summè ab intrinseco, & consequenter est maximè omnium, & infinitè viuens, & est ratio, vt maximè omnium, atque infinitè viuant Personæ Diuinæ, vti concludit optimè, & profundè considerat D. Thom. q. 18. art. 3. Cætera namque omnia habent aliquid ab extrinseco plus minùs iuxta gradum perfectionis, & imperfectionis, quæ inest vnicuique generi, & speciei substantiarum mouentium se ab intrinseco. Gradus autem perfectionis in conceptu vitæ & viuentis, fundatur in gradu perfectionis, & sufficientiæ motus ab intrinseco, & est conuertibilis cum eodem, vt patet ex communi definitione vitæ & viuentis: *quod mouetur ab intrinseco, motus ab intrinseco.* Quia verò natura Diuina simul est virtus, vi cuius redduntur sufficientes ad producendum Personæ Diuinæ, quæ producunt, vt dictum est in quæst. præced. Patet coniunctionem secundùm naturam, seu Diuinitatem esse formaliter, & non tantùm identicè, coniunctionem secundùm rationem principij producentis.

Art. 3. Differunt ergo secunda, & tertia Persona, earumque origines, quoad solam vltimam particulam similitudinis naturæ. Differunt verò quoad hoc dupliciter. Primò nimirum, quia secunda Persona est perfecta, intentionalis, simulque substantialis imago Personæ producentis. Secundò; quia eadem est fœcunda, & productiua ad intrà, sicut prima Persona. Vtroque isto titulo, & vtrouis, Pater communicat Filio omnia, que præhabet, præter esse Patrem, iuxta illud Io. 16. 15. *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Ex quo testimonio definitur ab Eugenio 4. in fine Concilij Florentini, in litteris vnionis, ad med. *Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Neutrum illorum duorum, neque hoc tertium, quod inde consequitur, conuenit tertiæ Personæ. Totum discrimen fundatur in processione secundæ Personæ per intellectum, & tertiæ per voluntatem. Secunda namque Persona, per suam proprietatem Personalem, est intellectio passiua constituens formaliter in esse intellecti passiuè omnia obiecta, respectu quorum constituuntur intelligentes actiuè omnes tres Personæ, ipsaque essentia Diuina, seu Deus per intellectionem absolutam. Eodem proportionaliter modo constituuntur per Spiritum sanctum in esse amati passiuè omnia obiecta, quæ amat Deus actiuè per amorem absolutum. Nempè de conceptu naturæ intellectiuæ est, vt per suam primam operationem constituatur in ratione intelligentis, atque vt intelligendo det quoddam esse intellecti, ac dicti obiecto, quod intelligit. Quod esse intellectum, ac dictum, nomine verbi, & imaginis significatur. Respectu amoris passiui, nullum inditum est nomen similiter peculiare; sed dicitur amor notionalis, & Spiritus sanctus, Spiritus quidem, quia amori est quodammodò communis cum spiritu materiali impetus quidam, atque impulsus in rem amatam. Sanctus verò propter Sanctitatem naturæ Diuinæ sibi essentialem, & quia sanctitas in amore Diuinitatis formaliter, & actualiter consistit.

Art. 4. Duo istiusmodi conceptus intellectionis actiuæ, & passiuæ, non distinguuntur inter se realiter vllo modo in intelligente creato. Quia intelligens creatus intelligit actiuè intellectione realiter producta, ideoque constituente obiectum in ratione dicti ac intellecti, non minùs, aut aliter, quàm suum Principium in ratione intelligentis; idque non solum grammaticaliter per denominationem purè extrinsecam respectu obiecti, sed etiam immanenter, per denominationem verè intrinsecam intelligenti, & physicè informatiuam ipsius. At Deus intelligit actiuè intellectione improducta. Vnde vt dicat sibi obiectum, quod intelligit, vtque habeat in se imaginem eius, necesse est, vt producat intellectionem purè passiuam, quæ, quatenùs producitur à principio intelligente, & dicente, atque exprimente sibi, quod intelligit, habet rationem Verbi; & quatenùs producitur ad instar Principij producentis, vt repræsentet illud, prout est in se, habet rationem imaginis, respectu eiusdem principij. De Conceptu namque Verbi, & Imaginis est, vt producatur. Nec enim Verbum propriè esse potest, vbi non est dictio propriè talis; nec dictio propriè talis esse potest absque productione exercita à dicente. Similiter est de Conceptu imaginis, vt producatur ad instar prototypi. Quapropter Deus neque Verbum, neque Imaginem haberet apud se eorum, quæ intelligit, ac præsertim sui ipsius, nisi produceret in se intellectionem eiusmodi passiuam, ac proinde nec esset intelligens adæquatè, & completè. Hac igitur de causa necesse fuit, vt in Deo daretur Verbum productum, vtque ipsum esset prima operatio realis intra Deum. Hinc secunda

Persona

Persona Trinitatis dicitur Verbum, primo Ioann.1. *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & 2. ad Corint.4.4. Atque alibi non semel, dicitur *Imago Dei*; qua de re videri potest locuples, multiplicis eruditionis illustratio, & confirmatio apud Montoyam disp. 64. de Trinitate, sect. 3. & 4.

Art. 5. Principium porrò productivum Verbi huius, imaginisque Diuinæ, est prima Persona, quatenùs fœcunda ad producendum per intellectionem absolutam, & quatenùs constituta per eandem in ratione intellectus notionalis. Intellectio etenim absoluta, vt contracta ad primam personalitatem, dicitur intellectus notionalis, id est, intellectus pertinens ad constitutionem, & inde ad discernibilitatem vnius Personæ seorsim, nempe primæ. Prima namque operatio naturæ intellectualis, est intellectio, ac proindè primum operativum est intellectus. Tale autem principium, nequit esse in Deo intellectus absolutus secundùm se; cùm sit de ratione Dei, vt identificetur realiter cum omnibus, quæ sunt in Deo, & consequenter; non sit secundùm se præcisè, & secundùm prædicata absoluta pertinentia ad conceptum Diuinitatis, principium realiter productivum vllius prædicati Diuini. Primum itaque realiter operativum ad intrà in Deo, est intellectus notionalis, seu Personalis modo dicto.

Art. 6. Patet igitur secundam Personam Trinitatis esse Imaginem, & similitudinem primæ Personæ, productam ab eadem prima Persona ad instar sui, vtque ipsam repræsentet. Est autem imago, & similitudo imprimis substantialis. Quia est realiter identificata cum natura substantiali producentis. Quod non conuenit, nec fieri potest, vt conueniat vlli intellectioni creatæ, de quo alibi. Deinde est perfecta, atque adæquata imago, & similitudo. Quia procedit ab intellectu comprehensiuo Diuinitatis operante, quantum potest; vtpotè operante per modum naturæ, & non per liberam electionem. Vndè repræsentat passiuè, quidquid, & quantum repræsentat actiuè intellectio absoluta Dei; id est, repræsentat comprehensiuè omnia prædicata necessaria Dei, & consequenter etiam creaturas quatenùs possibiles. Neque enim fieri potest, vt procedat ex cognitione absoluta comprehensiua Diuinitatis, atque ipsam repræsentet comprehensiuè, quin simul procedat ex cognitione possibilium, eademque repræsentet, vti apparet clarè ex dictis q.16. & q. 36. Ex quibus locis apparet præterea, non opus esse peculiarem, ea de re quæstionem in præsenti instituere, sicut nonnulli faciunt, actum agendo, vel quia prima vice non egerunt idoneè. Similitudini autem, & substantiali, & adæquatæ (id est, qua maior excogitari nulla potest) interuientem productum, & producentem cum mutua vtriusque coniunctione iam explicata, quoad naturam, nihil deesse potest, quo minùs sit generatio propria Patris, & Filij. Quia eo ipso conuenit illis definitio data generationis; ita vt excogitari non possit modus perfectior, aut adæquatiorillam verificandi. Ergo secunda Persona est Filius primæ, & prima est Pater secundæ, summa cum proprietate, & rigore. Quia verò ea similitudo penitùs deest tertiæ Personæ; cum non sit de ratione amoris, vt sit imago, & similitudo obiecti amati; patet nullam esse consequentiam ad filiationem eius, ex filiatione secundæ Personæ, atque absolutè eandem tertiam Personam non procedere, vt Filium, ob defectum similitudinis, quoad rationem substantialem productam. Tota hæc doctrina, vt iacet, præsertim quoad illud, quod præmissum est, tanquam fundamentum cæterorum, de intellectione, & amore passiuis, docetur luculenter à D. Thoma 4. contra Gent. c.19. à medio ad finem, & quòd difficile appareat, sitque incomprehensibile ratione naturali, prouenit ex discrimine iam notato intellectionis creatæ, seductricis quoad hoc naturaliter intellectus nostri, ab intellectione increata.

Art. 7. Altera differentia de fœcunditate consequitur ad istam primam; & reipsa coincidit cum ea. Quia omnis amor productus ex suo conceptu habet hoc, vt procedat à Principio intelligente, quatenùs intelligente actualiter, & cooperante ipsa intellectione priùs producta. Et si quidem sit perfectus amor, adæquans totam amabilitatem obiecti, est vltima operatio ad intra naturæ intellectualis, seu est vltima operatio immanens. Tertia autem Persona Trinitatis ex sua proprietate Personali, est amor passiuus, seu spiratus, in suo genere perfectus, & adæquatus, vtpotè procedens ex amore absoluto, comprehensiuo Diuinitatis, quatenus perficiente, ac fœcundante indiuisim primam, & secundam Personam; id est, procedens à voluntate notionali agente, quantùm potest, cum non sit locus liberæ electioni circa purum, & summum bonum secundùm se, præcognitum perfectè, & comprehensiuè. Vnde voluntas notionalis producit amorem notionalem perfectè gaudiosum circa prædicata omnia necessaria Dei, inter quæ est possibilitas actiua creaturarum, iuxta dicta suprà, de qua proindè re non est opus multa disputare, vt notatum est nuper circa processionem Verbi ex cognitione possibilium. Ergo tertia Persona procedit à secunda Persona non minùs quàm à prima Persona, sed procedit eodem prorsùs modo ex Patre, Filioque quoad processionem immediatam, licet simul procedat à Patre, etiam mediatè; & post istam processionem nulla detur vlterior processio ad intrà, cuius principium esse possit eadem tertia Persona. Tametsi enim supersint præterea terminationes liberæ intellectuales, & volitiuæ, quibus æqualiter exercentur omnes Personæ Diuinæ, vtpotè indiuisim dominantes, ac liberæ in ordine ad creaturas eadem libertate, & dominatione indistincta virtualiter intrinsecè ab essentia Diuina, ideoque communi tribus Personis Diuinis; sunt tamen Principium tantùm virtuale ipsarum, iuxta dicta suprà circa naturam actuum liberorum Dei q.21. & 22. Deinde eædem terminationes liberæ non habent, secundùm se, conceptum adæquatum intellectionis, & volitionis, aut actus vitalis, vt eodem in loco dictum est, sed solum sunt vltimæ determinationes purè denominatiuæ respectu intellectionis, & volitionis necessariæ tàm actiuæ, quàm passiuæ, ex se indifferentium ad vtramlibet partem contradictionis, ideóque capacium solùm, quibus adiiciantur respectus ad extra, seu connexiones determinantes ad alteram partem contradictionis. Cessat proinde in ipsis tota ratio fœcunditatis ad intrà, superiùs assignata pro fœcunditate indistincta ab actibus necessariis secundùm se. Nullus igitur est locus vlteriori alicui processioni ad intrà, cuius Principium esse possit tertia Persona Trinitatis.

Art. 8. Habet itaque secunda Persona fœcunditatem ad intra similem fœcunditati primæ Personæ; eademque fœcunditate, & similitudine fundata in fœcunditate caret prorsus tertia Persona. Huic autem fœcunditati conuenit, seclusis imperfectionibus, ratio naturæ definita à Philosopho per *Principium motus, & quietis eius, in quo est primò, & per se*. Ergo secunda Persona procedit, tanquam similis producenti, non verò tertia, secundùm similitudinem in ratione naturæ. Ergò secunda Persona procedit, vt genita, & vt Filius, non verò tertia. Ista ratio discriminis traditur à Richardo Victorino lib.3. de Trinit. c.11.

&

& à c. 18. ad 21. Ab Alexandro p. part. q. 62. memb. 3. art. 2. à D. Bonauentura in primum diſt. 21. art. 1. q. 2. & à nonullis aliis. Sed prior ratio diſcriminis videtur præferenda, vtpotè tradita ſub illis terminis communiter à Sanctis Patribus, aliiſque Auctoribus cum Diuo Thoma, vt videre eſt apud Montoyam diſp. 6. de Trinitate à ſect. 1. ad 4.

Ad rationem dubitandi. Tota diſſimilitudo ſecundæ à Perſona prima, eſt, quod ſecunda Perſona procedit à prima, & non è contra: quod non tollit, ſed magis aſſerit rationem Filiationis. De cuius videlicet conceptu eſt ea diſſimilitudo, conueniens quidem extrinſecè, & accidentaliter Perſonæ creatæ, quæ eſt Pater, & ei, quæ eſt ipſius Filius, ſed eò magis, ac perfectiùs conferens in Diuinis ad differentiam propriam Patris, & Filij, quo eſt magis propria Perſonæ, quæ eſt Pater, & eius, quæ eſt Filius, vtpotè realiter identificata cum ipſis, & quaſi quiddditatiuè eiſdem conueniens. Tertia autem Perſona, quod attinet ad proprietatem ſuam Perſonalem, quæ ſola producitur, nullam habet ſimilitudinem cum ſecunda, & prima Perſona, præterquam purè logicam, & reflexam, fundatam in diſſimilitudine adæquata vniformi, & quaſi genericam, fundatam in ratione Perſonæ identificatæ realiter cum natura Diuina. Ad generationem autem, & filiationem requiritur ſimilitudo inter producens, & productum, quatenùs talia ſunt ſecundum ſuas rationes peculiares. Alias enim origo non erit formaliter in ſimilitudinem completam naturæ, ſed tantum erit materialiter cum ſimilitudine incompleta.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrum Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, ſi non procederet ab eo?

VIDETVR quod diſtingueretur. Quia ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, procederet à ſolo Patre, tanquam à Principio ſuo adæquato, & infinitè perfecto in ratione talis. Ergo acciperet à ſolo Patre omnia prædicata, quæ accipit de facto à Patre ſimul, & Filio. Vnumquodque autem diſtinguitur ab omnibus aliis per omnia, & ſola prædicata ſua, vndecumque illa proueniant. Nec enim conſtitutio cuiuſque in ſe, & diſtinctio ab aliis, variantur, pro varietate Principiorum producentium, ſed ſolùm pro varietate prædicatorum productorum. Ergo Spiritus ſanctus diſtingueretur eodem modo à filio, licet non procederet ab eo, atque diſtinguitur de facto. Eodem namque modo alter eſſet imago expreſſa Patris, & procederet per ſolum intellectum, alter eſſet amor ſpiratus, & procederet per ſolam voluntatem.

Art. 1. Reſp. Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere de facto; Definitum eſt in Concil. Lateran. ſub Innoc. 3. c. 1. vt habetur in cap. *Firmiter*, de ſumma Trinit. in Lugdunenſi ſub Greg. 10. vt habetur cap. Vnic. de ſumm. Trinit. in 6. in Florent. poſt ſeſſ. 25. in litt. vnionis ſub Eugen. 4. De Proceſſione à Patre, nemo vnquam dubitauit, qui agnouerit Spiritum Sanctum tertiam Perſonam Diuinam. Proceſſio à Filio colligitur inſuper ex miſſione Spiritus ſancti attributa Filio Ioann. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre.* Quia, vt obſeruat Auguſt. lib. 4. de Trinit. c. 3. aliique communiter, & apparebit in quæſt. ſeq. non poteſt conuenire miſſio vni Perſonæ reſpectu alterius, niſi ratione originis, per quam Perſona miſſa à mittente procedat, cùm cætera ſint pares. Procedit ergo Spiritus ſanctus etiam à Filio. Procedit autem Patre, & Filio tanquam ab vno Principio, & vterque eſt vnus Spirator, vt habetur ex iiſdem ibidem Conciliis, præſertim ex Florentino, licet ſint duæ Perſonæ ſpirantes: ſicut omnes tres Perſonæ ſunt vnus Deus, licet ſint tres Perſonæ Diuinæ, & tres habentes Diuinitatem.

Art. 2. Ratio huius indiuiduæ Proceſſionis à Patre, & Filio eſt, quia de conceptu amoris ſpirati eſt vt producatur à Principio productiuo intellectionis, cooperante intellectione producta, vt nuper dicebatur. Quare Pater, qui eſt Principium intellectionis productæ, & Filius, qui eſt intellectio producta, nullam habent oppoſitionẽ in ratione producentium immediatè Spiritum ſanctum, imò habent talem, quoad hoc, mutuam connexionem, vt nec Pater intelligi poſſit producere amorem, quin eo ipſo intelligatur implicitè productio eiuſdem amoris per Filium, atque è conuerſo: ſicut eo ipſo quòd homo intelligatur producere amorem alicuius obiecti, intelligitur etiam intellectionem productam ab eodem homine influere in eundem amorem: atque è conuerſo, intellecto influxu intellectionis in amorem, intelligitur etiam influxus ipſius intelligentis. Hæc cauſa eſt, ob quam Chriſtus Dominus expreſſa proceſſione Spiritus ſancti à Patre potuerit abſque detrimento veritatis prætermittere proceſſionem eiuſdem à ſua ipſius Perſona, dum dicit Ioan. 15. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Quia videlicet eo ipſo ſatis dixit implicitè, & virtualiter, quod procederet etiam à ſe Filio Dei, eodemque Verbo, ſeu intellectione producta Patris, cum præſertim prætuliſſet miſſionem eiuſdem Spiritus per ſe ipſum Filium Dei, *quem ego mittam vobis à Patre*, in qua miſſione includitur origo miſſi à mittente, vt paulò priùs notatum eſt. Eadem de cauſa antiquiſſimis temporibus, ſola exprimebatur proceſſio Spiritus Sancti à Patre, ſubintellecta eo ipſo implicitè proceſſione etiam à Filio, quouſque, ob inſurgentes nouas hæreſes, opus habuit Eccleſia expreſſione Proceſſionis etiam à Filio, dicendo. *Qui à Patre, Filioque procedit*; nullum profectò ſuperaddens propterea nouum articulum fidei, ſed ſolùm exprimendo diſtinctiùs, quod priùs dicebatur implicitè; quales maiores expreſſiones aliàs quoque adiecit Eccleſia veteri formulæ profeſſionis Fidei, pro temporum opportunitate, vt apparet in Synodo Nicæna ſuperaddente Apoſtolorum Symbolo expreſſionem iſtam peculiarem: *Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri*: & in Conſtantinopolitana ſimiliter adiungente ſymbolo Nicæno: *qui à Patre procedit.* Sicut enim expreſſiones iſtæ duæ peculiares implicitè continebantur in antiquioribus formulis Confeſſionis fidei; ita etiam expreſſio proceſſionis à Patre, Filioque, continebatur in antiquiori expreſſione proceſſionis à Patre propter connexionem mutuam vtriuſque Proceſſionis, & rationem iam redditam eius connexionis. In Deo autem omnia ſunt idem vbi non obuiat relationis oppoſitio, vt dictum eſt in q. 40. nec multiplicantur in Perſonis ea prædicata, penes quæ nulla eſt earum inter ſe oppoſitio, ſed loco oppoſitionis connexio indiuidua, & vniformitas. Virtus igitur ſpiratiua immediata, & proxima, ipſaque ſpiratio actiua eſt vna, & eadem in Patre, & Filio, identificata realiter cum vtroque, & conſequenter diſtinguens vtrumque eadem prorſus ratione, à Spiritu ſancto, vtpotè producto indiuiſim ab vtroque, eodéque prorsùs modo, quod attinet ad immediatam produ-

ctionem ; cùm intellectio producta non sit in Deo accidens, sicut in creatis, sed substantia, sicut est ipsum producens intellectionem, ideoque non concurrat *vt quo* tantùm, sed *vt quod*, sicut ipsum Principium intellectionis productæ.

Art. 3. Hinc sequitur Spiritum Sanctum non fore distinctum realiter à Filio, si non procederet ab eo, sicut Filius non distingueretur à Patre, si ab eo non procederet, sed procederet solùm virtualiter ab essentia, sicut procedit Pater, & sicut terminationes liberæ virtualiter procedentes ab essentia Diuina non distinguuntur de facto, nisi virtualiter ab essentia, & à Personis. Quia videlicet sublata processione reali, eo ipso aufertur vniformiter vtrobique tota ratio distinguendi realiter in Diuinis, vt patet ex dictis loco paulo priùs indicato. Confirmatur quia hac præcisè de causa, non distinguuntur realiter, nec adæquatè, nec inadæquatè, sub eadem hypothesi, virtus proxima generatiua, & spiratiua; Genitor, & spirator; Generans, & spirans; Generatio actiua, & spiratio. Quod quidem est in confesso apud omnes. Neque verò adest vlla ratio discriminis pro neganda eadem indistinctione, ex parte termini producti sub hypothesi data. Est enim eadem diuersitas prædicatorum; quoad conceptus formales, ex parte principij, & ex parte termini, & idem similiter defectus oppositionis, & relationis mutuæ vtrobique. Foret igitur, sub hypothesi data, eadem indistinctio realis Filij, & Spiritus Sancti, seu geniti, & spirati: Generationis, & spirationis passiuæ: Intellectionis, & amoris notionalis. Quæ est sententia communis D. Thomæ quæst. 36. artic. 2. & aliorum ibidem, aduersùs Scotum in primo dist. 11. quæst. 2. & nonnullos alios.

Art. 1. Ad rationem dubitandi: Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non procederet per solam voluntatem re ipsa, nec acciperet à Patre solo omnia prædicata, quæ accipit de facto à Patre simul, & Filio. Quia Pater in eo casu pro eodem priori, eodemque modo esset indiuisim Principium intellectiuum, ac volitiuum proximè, & ageret, quantùm posset. Ergo simul, ac indiuisim ageret intellectu, & voluntate, atque produceret terminum, qui simul, ac indiuisim esset realiter intellectio, & volitio notionalis, sicut essentia Diuina simul, ac indiuisim est intellectio, & volitio absoluta, præcisè quia neutra ab altera procedit, & vtralibet formalitas est infinitæ perfectionis; atque de conceptu obiectiuo, & reali perfectionis infinitæ, & eius, quod est infinitè perfectum, est, vt non multiplicetur realiter absque oppositione reali producentis, & producti, vt dictum est. Qua itidem ratione, omnes tres Personæ Diuinæ simul cum essentia, simul ac indiuisim sunt Principium virtuale terminationum liberarum, tùm pertinentium ad intellectum, tùm pertinentium ad voluntatem, absque reali inter vtrasque distinctione, licet differant, quoad conceptus formales, non secùs, ac differunt intellectio, & volitio notionalis, ac necessaria. Adde consequenter amorem notionalem non habiturum fore in eo casu, omnia prædicata, quæ habet de facto. Quia non esset exercitium, & actus amatorius duarum Personarum, quatenùs amantium se mutuò, nec esset exercitium Personæ intelligentis, quatenùs præintelligentis eo genere intellectionis, cuius generis esset amor productus. Esset enim amor passiuus, & spiratus, non præsupponens intellectionem passiuam, & Verbum mentis. Ex quibus apparet suppositiones, quas superaddit ratio dubitandi suppositioni præmissæ pro quæstione, esse chimæricas, & falsas, non minùs, quàm sit chimærica, & falsa eadem illa suppositio; ideoque falsam similiter, & chimæricam esse illationem indè deriuatam.

Art. 2. Apparet rursùs ex his omnibus vtiliter institutam esse ad hominem, in Concilio Florentino vbi suprà, à Patribus Latinis eam hypothesim, atque optima ratione obiectam esse sequelam realis indistinctionis inter Filium, & Spiritum sanctum, aduersus Græcos negantes Spiritum sanctum procedere realiter à Filio, simulque affirmantes distingui realiter ab eodem. Quia per eam hypothesim conuincebantur clariùs inconsequentiæ, & implicationis terminorum, vt patet ex dictis, nec poterant euadere difficultatem, & sui illius dogmatis consequentiam retinere, propter adhæsionem maiorem ad Euangelium, quatenùs reuelans distinctionem realem Filij, & Spiritus sancti, vt prænotatum fuit suprà quæst. 36. Ex qua apparet præterea clarè, vt hæc quæstio retineat vtilitatem, qua tunc viguit, faciendam, & retinendam esse fideliter hypothesim, iuxta sensum Græcorum, qui aderant Concilio; ita videlicet, vt Spiritus sanctus non procedat à Filio, neque actu, neque potentia, neque radicaliter, neque proximè, solúmque examinetur consequentia, ex vi non processionis, ad distinctionem, vel indistinctionem, retentis iustè omnibus aliis, quæ non dependent formaliter à processione alterius ab altera Persona, & sunt aliundè nota per fidem, vel rationem. Quod quia non præstant exactè, qui contradicunt sententiæ D. Thomæ, aliorumque communiori, cui & nos subscripsimus; propterea non simul refragantur intentioni, & doctrinæ, atque illationi Concilij Florentini, nec errant periculosè, vti nonnulli Thomistæ illis obiiciunt, contradicente meritò Montoya, & aliis. Verùm de tota ista re, recolenda sunt, quæ præmisimus in quæst. illa 36. circa hypotheses impossibiles in genere: vnde etiam deprehendetur, quà de causa breuissimi esse voluerimus circa istam quæstionem, & quàm inutiliter nonnulli alij de eadem quàm fusissimè disputent.

QVÆSTIO XLIV.

Vtrum Personæ Diuinæ sint æquales quoad absoluta, & relatiua, tum ad intra, tum ad extra?

VIDENTVR non esse æquales: 1. Quia prima Persona est maiot quàm secunda Persona, vt patet ex testimonio Christi Domini, Ioann. 14. 28. *Quia Pater maior me est.* Quòd accipiendum esse non solùm relatè ad Humanitatem, & comparatione Christi, vt hominis, sed etiam comparatione eiusdem, vt Persona Diuina est, constat ex Nazianz. Athanas. Cyrill. Alex. & aliis SS. PP. apud Montoyam disp. 50. de Trinit. sect. 2. Minor autem non est æqualis maiori, ergò Filius non est æqualis Patri.

2. *Beatius est dare magis, quàm accipere*, vt habetur ex testim. Christi Domini Act. 20. 35. Præstantius igitur, dignius, & maius est, dare, quàm accipere. Pater autem dat Filio, & Filius accipit à Patre, quidquid habet, vt patet ex Florentino supra citato, & ex illo Ioan. 10. 29. *Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est*, exque aliis eiusmodi compluribus. Eadem porrò ratione accipit Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Et consequenter iuxta dicta superiùs, Pater est ipsum dare, ipsaque datio; Filius verò ipsum accipere, & acceptio ipsa; & similiter de Patre, & Filio comparatione Spiritus Sancti, propter indistinctionem suprà assertam Principij, & termini à productione actiua, & passiua, in Diuinis. Beatior igitur, & maior est Pa-

ter

ter, quàm Filius; & vterque quàm Spiritus sanctus.

3. Non est æqualis creatura Creatori, seu creatum creanti, vt per se patet. Pater autem est Creator Filij, vt colligitur ex 24. Ecclesiastici 14. *Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Et iterum: *qui creauit me, requieuit in Tabernaculo meo.* Et Sap.8.22. vbi vulgata habet: *Dominus possedit me in initio viarum suarum,* iuxta textum Græcum legitur: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Quæ omnia ex communi consensu Sanctor. Patr. & aliorum Interpretum accipiuntur de Verbo Dei, quatenùs est sapientia à Deo Patre procedens. Ergo Verbum Dei non est æquale Patri æterno.

4. Solus Pater est Deus, vt patet ex verbis Christi ad Patrem 17. Ioan. 3. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo nec Filius est Deus, nec Spiritus sanctus est Deus. Deus autem non est æqualis non Deo.

5. Spiritus sanctus non est Deus. Primùm: quia Spiritus sanctus scrutatur, & orat, ac gemit, ex 1.ad Cor.2. 10. *Nobis autem reuelauit Deus, per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* & 8. ad Rom. 26. dicitur: *Spiritus sanctus orare pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; atque ex 4. ad Galat.6. *Pater misit Spiritum filij sui clamantem: Abba Pater.* Deinde Io.1.3. dicitur de Verbo Dei: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso Vita erat.* Ergo & Spiritus sanctus, si quidem est aliquid, factus est per Verbum. Denique ex Matt. 2. 27. *Nemo nouit Filium, nisi Pater.* Ergo non nouit Filium Spiritus sanctus. Deus autem nec scrutatur, aut ignorat aliquid, cùm sit omnium comprehensor; nec postulat, seu orat, & multò minus gemit, cùm sit Dominus omnium; nec est factus, cùm sit ens à se, & principium eorum omnium, quæ facta sunt. Ergo Spiritus Sanctus non est Deus; nec Deus est Spiritus sanctus.

Accedit nomen, quod secundùm se est commune Patri, & Filio, non posse applicari, tanquam proprium, & peculiare alij Personæ, nisi quatenùs per solam participationem talis, qualis significatur per eiusmodi nomen, vt patet ex illo: *Dij estis, & Filij excelsi omnes.* Exque aliis eiusmodi pluribus, in quibus semper subintelligitur limitatio secundùm quid, & secundùm participationem. Hoc autem nomen: *Spiritus sanctus*, quod est proprium, & peculiare tertiæ Personæ, est commune secundum se Patri, & Filio, vtpotè perfectè spiritalibus, & Sanctis per essentiam. Ergo hoc ipsum conuenit tertiæ Personæ tantum secundum quid, & per solam participationem.

Accedit rursùs, Spiritum sanctum esse donum Dei, vt patet ex illo Diui Petri ad Simonem Act.8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Vbi patet ex contextu, nomine Doni intelligi Spiritum sanctum, vti etiam intelligunt Augustinus, & alij apud Ioan.4.10. dum dicitur: *Si scires Donum Dei.* Donator autem est maior dono, quia habet, quod donat, & præterea seipsum; & quia est Dominus doni sui. Patet igitur Spiritum sanctum esse minorem Deo.

6. Æqualitas duorum inter se secundùm quantitatem virtualem, seu secundùm bonitatem, quæ sola quantitas intelligi potest in Deo, includit in se similitudinem eorundem adæquatam, & perfectam, vt dicit D. Thomas q.42. art.1. ad 2. Non sunt autem ita similes inter se tres Personæ Diuinæ. Quia si ita essent similes, nulla superesset ratio, ob quam secunda Persona esset Filius, potiùs quàm tertia Persona, vt patet ex q.42. Vbi totum, quoad id, discrimen fundatum est in similitudine secundæ Personæ, & defectu similitudinis in tertia Persona, respectu primæ. Ergo Personæ Diuinæ non sunt perfectè æquales inter se.

7. Personæ Diuinæ non possunt dici æquales quoad prædicata absoluta. Quia potentia imprimis communicatur Patri cum sufficientia ad gignendum, & Spirandum; Filio verò solùm cum sufficientia ad spirandum, ac demum Spiritui sancto cum sola sufficientia ad effectus creatos. Deinde natura Diuina communicatur Patri, & Filio, sub conceptu intellectus, & intellectionis; Spiritui verò Sancto, sub conceptu amoris. Conceptus autem intellectus, & intellectionis est perfectior, quàm voluntas, & actus voluntatis, vti docet sæpè D. Thomas. Denique Pater habet in se libertatem dominatiuam, & sapientiam propriam Diuinitatis, cum sufficientia præcipiendi Filio, eundemque docendi; vt patet ex illis testimoniis apud Ioan. *Secundum mandatum, quod dedit mihi Pater, sic facio. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit. Sicut audio, iudico.* Ergo Pater præeminet Filio, & vterque Spiritui sancto, quoad prædicata absoluta. Iam quoad relatiua ad intra est quodammodo manifestior inæqualitas. Quia Personæ Diuinæ, per suas proprietates relatiuas sunt dissimiles inter se, non secundùm quid, & accidentaliter tantùm, sed intrinsecè, & quasi specificè, atque essentialiter. Quæ autem sunt dissimilia specificè, & essentialiter, non possunt non esse inæqualia. Quia species rerum sunt, ex Philosopho, sicut numeri, in quibus nequit dari dissimilitudo sine inæqualitate, vt patet. Sunt igitur inæquales Personæ Diuinæ quoad relatiua, sicut homo, & leo, & eiusmodi alia. Ex hac duplici inæqualitate Personarum, quoad intrinseca, tum absoluta, tum relatiua, sequitur inæqualitas quoad effectus etiam extrinsecos. Quia operatio consequitur ad esse, & ad actualitatem, & constitutionem in intrinsecam cuiusque, ideóque oportet illam euadere inæqualem respectu cuiusque, iuxta inæqualitatem istorum. Deinde donatio & missio sunt operationes Dei ad extra, & vtraque conuenit Patri, respectu Filij, & vtrique respectu Spiritus sancti, cùm neutra conueniat, vel Spiritui sancto respectu Filij, vel vtrique, aut alterutri respectu Patris. Ergo Personæ Diuinæ sunt inuicem inæquales quoad absoluta, & relatiua, tum ad intra, tum ad extra.

Art. 1. Resp. Quod attinet ad conceptum obiectiuum, remque ipsam, de qua quæritur, vix ac ne vix quidem aliquid superest, quod circa præsentem quæstionem adiicere opus sit vltra ea quæ hucusque dicta sunt, & quod cuiuis ea consideranti non sponte pateat. Mutatione namque sola terminorum, & locutionis, remanente eadem significatione, adæquatè satisfieri potest quæstioni, vti mox apparebit clarè. At quoad modos concipiendi, & loquendi, tum directè, tum etiam reflexè quoad doctrinam; & varias diuersorum locutiones, quàm plura superaddi possent, & necesse est, vt aliqua superaddantur, tum ad intelligentiam sacri Textus, & SS. PP. tum ad vitandum tutius errores hæreticorum, & illegitimas nonnullorum Catholicorum locutiones in re proposita, quæ tota sita est in comparatione mutua Personarum. Quæ comparatio iure suo succedit considerationi hucusque præmissæ circa easdem Personas: Primum quoad ea, quæ sunt omnibus communia: Deinde quoad singulas in particulari. Ea autem comparatio tota reducitur, re ipsa, ad examen æqualitatis, & similitudinis ipsarum inter se, iuxta triplicem prædicatorum partitionem, quæ proposita est in ipso titulo quæst.

Art. 2. Æqualia sunt, ex Philosopho, quorum quantitas est vna. Similia verò, quorum qualitas est vna. Neutra datur formaliter in Diuinis, vt patet ex dictis supra de spiritualitate, & simplicitate Dei; Datur

tamen vtraque virtualiter, & æquiualenter. Quia datur in Deo magnitudo bonitatis, atque *in his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse*, vti dictum est iterum suprà ex Augustino l.6.de Trin.c.8. ad med. Dantur etiam in Deo prædicata secundaria, & attributaria, quæ concipiuntur à nobis ad modum qualitatis, atque ex doctrina Basilij l. 1. contra Eunomium propiùs ad finem, quàm ad med. *quibuscumque forma, vel figura adiacet, iis identitate qualitatis ineſt formarum ſimilitudo: quæ verò ſine forma, & ſine figura natura eſt, reliquum eſt vt ſimilitudinem in ſubſtantia ipſa, & æqualitatem non in menſura magnitudinis, ſed identitate virtutis poſſideat.* Dicendum itaque primò est: Personas Diuinas esse absolutè, atque omninò æquales inter se. Istud dogma docemur in symbolo Athanasij, dum dicitur: *In hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed tota tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ratio est, quia Diuinitas est tota, & vnica magnitudo, seu perfectio per se æstimabilis omnium, quæ sunt in Deo, nec Personæ Diuinæ adiiciunt vllam præterea eiusmodi Bonitatem, seu magnitudinem peculiarem, vt ostensum est quæst. 40. Atque Diuinitas communicatur æquè omnibus, & singulis Personis Diuinis. Communicatur enim illis tantundem, atque sibi, atque adeò summè, ac infinitè simpliciter, & consequenter perficit eadem tantundem, atque se ipsam, & summè, atque infinitè simpliciter. Sunt igitur omninò inter se æquales Personæ Diuinæ. Hac ratione æqualitatis vtitur D. Thomas q.42. ar.1. atque alij communiter non solùm Theologi ibidem, sed etiam Sancti Patres apud Montoyam disp. 54. à sect. 6. & disp. 66. à sect. itidem 6. & confirmatur authoritate Pelagij 1. in epist. ad Childebertum Regem, in qua circa illud Matth. 28. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, subiungit sic: *In nomine, inquit, non in nominibus, vt & vnum Deum, per indistinctum Diuinæ essentiæ nomen ostenderet, & Personarum distinctionem suis proprietatibus edoceret. Quia, dum tribus vnum Deitatis nomen est, æqualitas ostenditur Personarum.* Qua quidem Pontificis illatione, & illo SS. PP. & Theologorum consensu quoad eandem, non obscurè significatur, & confirmatur validè doctrina ea nostra de Personalitatibus, nullam superaddentibus ex se perfectionem peculiarem, virtualiter intrinsecè distinctam à bonitate, & perfectione propria Diuinitatis secundùm se. Quia si Personis inessent perfectiones peculiares, vltra perfectionem communem, quam habent penes Diuinitatem, non potuisset legitimè inferri absoluta, & perfecta earum æqualitas, ex sola identitate cum natura Diuina, sed probari insuper debuisset seorsim æqualitas quoad perfectiones relatiuas. Cùm potuisset specialiter dubitari de aliqua, ex hoc capite, inæqualitate, eadem ratione, qua ab Auctoribus contrariæ eatenùs sententiæ asseritur diuersitas, & dissimilitudo perfectionis, & bonitatis per se æstimabilis in Personis Diuinis; præsertim cùm sit difficillimum, iuxta doctrinam Philosophi nuper insinuatã, seiungere illam ab inæqualitate quoad bonitatem per se æstimabilem, id est quoad quantitatem virtualem, cuius solius sunt capaces res immateriales. Vt vt autem hoc habeat, æqualitas Diuinarum Personarum non solùm verificatur in singulis, respectu singularum, sed etiam in singulis, respectu duarum reliquarum, tum secundùm se, tum vt coniunctarum cum tertia. Id quod docetur expresè à Concilio Toletano 6. in Professione fidei ante med. *In hac*, inquit, *Trinitate, tanta est vnitas ſubſtantiæ, vt pluralitate careat, & æqualitatem teneat, nec minor in ſingulis, quàm in omnibus: Nec maior in omnibus, quàm in ſingulis Perſonis manet.* Et Augustin. lib.6. de Trinit. c.6. sub finem. *Hìc in rebus corporeis*, ait, *non tantum est res vna, quantum tres simul, & plus aliquid sunt duæ, quàm vna res, Cæterum in ſumma illa Trinitate, tantum eſt vna, quantum tres ſimul, nec plus aliquid ſunt duæ, quàm vna.* Quam verissimam assertionem probat luculenter idem August. ex eadem Personarum identitate cum Diuina substantia, seu natura, l.7. de Trinit. c. vlt. propiùs ad med. quàm ad finem. Probatio autem est procul dubio legitima. Quia cùm identitas Diuinitatis cum vnaquaque Persona sit summa, ac infinita simpliciter, atque ipsa hæc identitas sit tota ratio perfectionis in Personis Diuinis, non potest esse maior in omnibus simul sumptis, quàm in singulis seorsim. Ricardus Victorinus l. 3. de Trinit.c.7. adiungit venustam aliam rationem assertæ æqualitatis, dicens: *Sicut charitas vera exigit Personarum pluralitatem, sic charitas ſumma exigit Perſonarum æqualitatem.* Et præmissa huius doctrinæ expositione quoad vtramque partem, subiicit deinde: *Plenitudo charitatis exigit, vt vterque ab altero ſit ſummè dilectus, & conſequenter ſecundùm prædictam diſcretionis normam, vterque ſit ſummè diligendus. Vbi autem vterque eſt æquè diligendus, oportet, vt vterque ſit æquè perfectus. Oportet itaque, virumque eſſe, æquè potentem, æquè ſapientem, æquè bonum, æquè beatum. Sic ſumma plenitudo dilectionis in mutuè dilectis, exigit ſummam æqualitatem perfectionis.* Præfuit ex parte huic rationi, aliquid præterea superaddens Aug. l. 3. contra Maximin. cap. 7. post med. dicens: *Deus Pater æqualem ſibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus: ſi noluit, inuidus; id eſt, deficiens in dilectione, & charitate.* Eadem porrò ratio est, vt patet, de Patre, & Filio, comparatis cum Spiritu sancto.

Art. 3. Verùm vt redeam ad identitatem Personarum cum Diuinitate, quæ est præcipua ratio æqualitatis assertæ, sciendum est, ratione eiusdem identitatis conuenire iisdem Personis circuminsessionem mutuam, ratione cuius totus Pater est in Filio, & vterque similiter in Spiritu sancto, iuxta illud Ioan. 10. 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Et illud apud eundem cap. 17. 21. *Vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te.* Eadem autem est ratio, ob quam Spiritus sanctus sit in Patre, & Filio, & vterque sit in Spiritu sancto. Sunt igitur Personæ Diuinæ, in se ipsis inuicem, cum intima præsentia, non solùm quoad omnia, & singula spatia, & quoad omnes, & singulas differentias durationis propter identitatem cum immensitate, & æternitate, sed etiam entitatiuè. Quia Pater identificatur cum natura Diuina tantundem, ac perindè, atque identificatur secum, ideoque adest Filio, & Spiritui sancto similiter identificatis cum natura Diuina, perindè, atque si identificarentur inter se immediatè eædem Personæ, quoad ipsas suas Personalitates. Quod quidem est intellectu difficile secundùm viam rationis naturalis, propterea æque dicitur inenarrabile ab Athanasio lib.5. de vnita substantia Trinitatis, propè finem, sed est nihilominùs certum, ac manifestum lumini fidei, sequenti reuelationem Diuinam. Vnde Theologi vnanimi consensu tuentur mutuam istam inexistentiam Personarum Diuinarum sub nomine circuminsessionis, cum D. Thom.q. 42. art. 5. Quibus præiuit consensus in eandem rem itidem communis sanctorum Patrum apud Montoyam disp.107.sect.2. & seq. Confirmatur cum D. Tho. & aliis communiter apud eundem sect. 6. ex conceptu actus vitalis. Quia Verbum, & Spiritus sanctus sunt actus vitales intelligendi, & volendi, vti ostensum, & expositum est suprà. Est autem de ratione eiusmodi actuum, immanentia eorundem in suis principiis.

Ergo

Ergo Personæ Diuinæ, etiam secundùm suas proprietates Personales, & secundùm prædicata relatiua, postulant essentialiter mutuam immanentiam, qualis asserta est inter ipsas. Congruè autem appellata est circuminsessio, intima ea præsentia, ac immanentia, quia pertinet ad dignitatem indiuiduam trium Personarum, quæ per sessionem, quasi iudiciariam, & potestatiuam idoneè ponitur ob oculos, vt sibi inuicem indiuiduè adsint, summa cum concordia, non solùm voluntatis, sed etiam totius sui esse.

Art. 4. Dicendum iam rursùs est, conuenire Personis Diuinis æqualitatem, saltem negatiuam quoad prædicata relatiua ad intra; necnon æqualitatem omnimodam quoad effectus ad extra. Conuenit quidem æqualitas, saltem negatiua, quoad relatiua ad intrà. Quia ex doctrina Philosophi 10. Metaph. à text. 15. ad æqualitatem duorum pertinet, quod neutrum sit maius, vel minus altero: Personæ autem Diuinæ hoc habent, quoad prædicata relatiua; cùm, vt dictum est suprà, ea prædicata nullam in se contineant bonitatem peculiarem per se æstimabilem, ideoque sint eatenus expertes omnis magnitudinis virtualis, qua in ratione maioris, vel minoris constitui possint Personæ Diuinæ. Quoad effectus verò ad extrà, non possunt non esse prorsùs æquales, cum indiuisim eodemque modo habeant in se totam perfectionem Diuinitatis, atque adeò Sapientiæ, Dominij, Potentiæ, & Prouidentiæ, quibus fiunt, conseruantur, atque reguntur res omnes creatæ.

Art. 5. Dicendum postremò est, conuenire nihilominùs Personis Diuinis aliqualem inæqualitatem, seu potiùs quasi inæqualitatem, ex modo nostro concipiendi, & apprehendendi Diuina ad instar earum rerum creatarum, per quarum species cognoscuntur à nobis singula prædicata Diuina peculiariter affinia, atque analoga aliis, atque aliis rebus creatis. Ista inæqualitas rationis fundatur in dissimilitudine reali Personarum, quoad prædicata notionalia. Necesse namque est, vt prædicata Diuina, realiter inter se dissimilia, sint similia prædicatis creatis realiter inter se dissimilibus. Prædicata autem creata realiter inter se dissimilia, eò ipso sunt inter se inæqualia, vt dicetur in loco, & insinuabitur infrà ad 7. Et rursùs prædicata creata, realiter inter se inæqualia, gignunt apparentiam inæqualitatis circa prædicata Diuina, quæ cognoscuntur per species illorum, vt apparet ex dictis q. 5. & 6. Atque ea apparentia inæqualitatis dicitur inæqualitas rationis, seu ex modo nostro concipiendi, respectu talium prædicatorum Dei, vti ibidem notatum, & expositum est. In eadem dissimilitudine reali Personarum Diuinarum, quoad prædicata notionalia, fundatur appropriatio essentiæ Diuinæ ad singulas Personas, quoad prædicata diuersa eiusdem essentiæ. Appropriatio enim absolutorum ad Personas, est manifestatio Personarum per attributa absoluta Dei similia, seu specialiter affinia prædicatis cuiusque Personæ propriis. Quo pacto manifestatur Pater per Potentiam, Filius per Sapientiam, Spiritus sanctus per Bonitatem, & sic de aliis eiusmodi, vti exponit luculenter D. Thom. redigens in concordiam diuersas SS. PP. circa hoc, locutiones, q. 39. art. 8. Quia verò attributa ea absoluta Dei sunt inæqualia ratione nostra, seu sortiuntur apparentiam inæqualium respectu nostri intellectus ex diuersis connotatis creatis realiter inter se inæqualibus, ex eo etiam capite euadunt inæquales ratione nostra Personæ Diuinæ.

Art. 6. In eadem denique dissimilitudine reali, quoad notionalia, fundatur inæqualitas rationis, quoad missionem ad extra Personarum Diuinarum. Missio enim Personæ Diuinæ tria includit in suo conceptu; Primò effectum aliquem ad extrà, qui proinde secundùm se est communis toti Trinitati, & æqualiter, atque eodem omninò modo procedens ab omnibus, & singulis Personis Diuinis, vtpotè habentibus indiuisim eandem omnipotentiam, & virtutem actiuam proximam ad extra. Secundò includit determinationem Personæ missæ à mittente, vt eat, & compareat vbi, & quando mittetur. Quæ itidem determinatio, quatenùs est libera electio missionis, est communis toti Trinitati. Quia terminationes liberæ Diuinæ procedunt virtualiter à tribus simul Personis, vtpotè similiter præditis eadem indiuisim libertate, ac dominio. Tertiò, includit eadem missio originem Personæ missæ à Persona, vel Personis mittentibus. Quæ sola origo est adæquata ratio dissimilitudinis realis, quoad notionalia: vt apparet ex dictis q. 39. Eademque sola conuenit specialiter re ipsa vni Personæ respectu alterius, & dependenter ab eadem reliqua duo pertinentia ad conceptum missionis denominantur inducta à Persona producente in Personam productam. Vnde Pater à nemine mittitur, nec mitti potest, vt docet inter alios August. l. 4. de Trinit. c. 20. Quin ex sua proprietate Personali est innascibilis, ingenerabilis, & improductus intrinsecè, vt dictum est suprà. Quam rationem reddit ibi August. his verbis: *Pater, cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus, non enim habet à quo sit, aut ex quo procedat.* Filius verò à solo Patre mitti potest, missusque est de facto, vt habetur 4. ad Galat. 4. *Misit Deus Filium.* Denique Spiritus sanctus mitti potest, missusque est de facto à Patre, & Filio, vt patet ex 4. Ioan. 26. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, & c. 15. Ioann. 26. *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*, & c. 16. 7. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Art. 7. Mittuntur autem Filius, & Spiritus sanctus, tùm inuisibiliter, tùm visibiliter; Inuisibiliter quidem, per donum gratiæ; Visibiliter verò, per effectum aliquem sensibilem. Missio inuisibilis, alia est missio simpliciter & absolutè; alia tantùm secundùm quid. Missio simpliciter talis sit per infusionem gratiæ sanctificantis respectu illius, qui priùs ea carebat. Qui enim accipit gratiam habitualem, eo ipso habet Deum manentem in se specialiter, iuxta illud Ioan. 14. 23. *Si quis diligit me, Sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Atque ea mansio dicitur missio actiua respectu Patris, & passiua respectu Filij, & Spiritus sancti. Missio inuisibilis secundùm quid fit per auxilia gratiæ actualis, & per augmentum habitualis. Quia collatio auxiliorum actualium gratiæ, est inchoatio tantùm, & præparatio ad inhabitationem, & mansionem Dei in anima. Augmentum verò gratiæ habitualis, est tantùm perfectio, & complementum eiusdem inhabitationis, & mansionis præsupponens per se præexistentiam Dei in anima, ideoque insufficiens ad missionem simpliciter Personæ Diuinæ in animam. Missio visibilis fit per effectus sensibiles, sub quibus apparent Personæ Diuinæ, vti apparuit Verbum per Incarnationem in forma humana, & cum natura humana, atque Spiritus sanctus in forma columbæ. Quia verò effectus eiusmodi sensibilis procedit æqualiter secundùm se, ab omnibus, & singulis Personis Diuinis, propterea Verbum Diuinum, quod secundùm se non potest dici missum ab Spiritu sancto, dicitur nihilominus missum ab eodem, quatenùs homo est, iuxta illud Esaiæ 61. apud Luc. 4. 18. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me* (quoad naturam videlicet humanam) *Euangelizare pauperibus misit me*, vtique secundùm eandem naturam. Eadem porrò, quæ dicta

sunt de missione, subintelligenda sunt proportionaliter de datione, & traditione, qua Pater dicitur dare, & tradere nobis Filium suum, & vterque, ac vtervis Spiritum sanctum. Quia verò in creatis mittens, & donans, eo ipso fungitur speciali authoritatis, & potestatis prærogatiua super eum, qui mittitur, & qui datur, fit, vt Pater respectu Filij, & vterque respectu Spiritus sancti sortiatur apparentiam maioris, & maioritatem ratione nostra, propter missionem, & dationem modò explicatas.

Art. 8. Ex his igitur omnibus constat, Personis Diuinis conuenire perfectam, & adæquatam vndequaque æqualitatem re ipsa; tùm quoad prædicata absoluta, & relatiua ad intra; tum quoad omnes effectus creatos, coniunctam cum apparentia quadam inæqualitatis, quoad eadem omnia, seu cum inæqualitate solùm ex modo nostro concipiendi, & apprehendendi dependenter à connotatis creatis realiter inæqualibus. Inquirunt nonnulli, an relatio æqualitatis assertæ inter Personas Diuinas sit realis, vel rationis tantùm cum fundamento in re; id est, an sit magis, vel omninò similis relationi æqualitatis, quæ est inter duas quantitates, quarum neutra est maior, vel minor altera; an verò sit similis potius æqualitati, quæ est ex. gr. inter immensitatem, & æternitatem Diuinas. Ratio dubitandi est, quia tota ratio æqualitatis est Diuinitas, quæ est vna, & eadem in omnibus Personis. Personæ verò, quæ sunt æquales, distinguuntur inter se realiter. Relatio autem, quæ est penes idem realiter, non potest esse, nisi rationis, cùm non habeat extrema, nisi ratione distincta; quæ verò est realiter distinctorum, est realis, quia versatur inter extrema realiter distincta. Controuersia hæc est leuis, & de modo potiùs loquendi tantùm, cùm de re ipsa satis constet ex dictis suprà, & ex hac ipsa ratione dubitandi. Dicendum verò potiùs videtur esse relationem realem, quia Personæ Diuinæ sunt æquales, non solùm quia habent eandem magnitudinem Diuinitatis sibi communicatæ, sed insuper habent eandem æqualiter sibi communicatam per identitatem realem. Identitas autem realis tàm conuenit Personalitatibus ratione sui, quàm essentiæ ratione sui, ideoque identitas cum Diuinitate, quæ est vna, atque indiuisa formaliter ex parte ipsius Diuinitatis, est simul realiter multiplex ex parte Personarum. Constituit ergò relationem non solùm rationis ex parte essentiæ, secundùm se, sed etiam realem, ex parte Personalitatum; atque hic posterior conceptus exprimitur formaliter, dum Personæ Diuinæ comparantur inter se formaliter, quatenùs habentes in se, non solùm eandem Diuinitatem, sed etiam, vt tantundem illam habentes.

Ad 1. Maioritatem illam Patris accipiunt alij SS. PP. & Interpretes comparatione Christi præcisè, vt hominis, & sic nulla est difficultas, quia, vt dicit Athanasius in suo Symbolo, *Filius est æqualis Patri secundùm Diuinitatem, minor Patre secundùm Humanitatem.* Quòd si accipiatur, vti licet, de Christo, etiam quatenùs Deus est, intelligitur maioritas realis secundùm originem; secundùm diuinitatem verò intelligitur sola maioritas quoad apparentiam respectu nostri, & ex modo nostro concipiendi, cui se accommodat Christus Dominus eo in loco, sicuti & in pluribus aliis accommodantur Scripturæ sacræ, vtpotè dictatæ à Spiritu sancto ad nostram doctrinam, & vtilitatem, ideoque accommodatæ capacitati nostræ, quæ, quoad eum modum concipiendi, habet peculiare fundamentum in re præsenti, vt liquet ex iis, quæ paulò priùs exposita sunt, propter maioritatem realem potestatis, & iurisdictionis, quæ conuenit Patri creato respectu Filij sui.

Ad 2. Comparatione facta inter substantias creatas, beatius est per se dare, quàm accipere, tùm præsuppositiuè, tùm formaliter, tùm etiam consequenter. Præsuppositiuè; quia in creatis per se præsupponitur abundantia in dante, & indigentia in accipiente. Formaliter; quia dare est difficilius per se, atque adeò magis meritorium, quàm accipere. Amittit enim dans, quod dat, & acquirit, qui accipit, quod accipit. Amissio autem est incommoda, ac molesta, ideoque difficilis, cùm è conuerso acquisitio sit commoda, & delectabilis, ideoque facilis. Consequenter denique, non solùm quia maior gloria apud Deum, & homines, maiusque præmium manet, per se, danti, quàm accipienti, propter diuersam conditionem operationum pertinentium ad vtrumque, modo explicato; sed etiam, quia accipiens manet obligatus danti, & patitur aliqualem libertatis suæ restrictionem cum æquali eiusdem ampliatione ex parte dantis. At in Diuinis Personis nihil horum locum habet, quia quod datur, & accipitur ab ipsis, est æqualiter vtriusque ex essentia sua, & neutri ab alterutro præstatur cum libertate aliqua indifferentiæ, sed cum omnimoda necessitate, exclusa sola necessitate coactionis. Et vterque deinde manet cum eadem plenitudine libertatis, & bonorum omnium. Vndè quòd beatius sit dare, verificatur in creatis secundùm realitatem, in Diuinis verò Personis quoad apparentiam tantùm, modo superiùs explicato.

Ad 3. Productio Verbi Diuini à Patre assimilatur creationi propriè dictæ, quatenùs non est ex præsupposito subiecto; generationi verò, quatenùs præsupponit virtualiter essentiam Diuinam, cui immanet, & realiter Patrem, cui circuminsidet, vt dictum est. Differt autem ab vtraque, quatenùs neque est ex nihilo sui; neque ex præsupposito subiecto; quandoquidem Verbum Diuinum est æternum, ideoque esse eius, non succedit post non esse, & nihilitatem ipsius; idemque est indistinctum realiter à Deitate, cui immanet, & non manet in Paternitate, à qua distinguitur realiter, quatenùs distincta realiter, & secundùm se præcisè considerata. Quapropter origo Filij Diuini à suo Patre, nec creatio, nec generatio, prout est actio ex præsupposito subiecto, propriè, & strictè dici potest; sicuti, nec causalitas propriè, aut vllo pacto factio dici potest, quatenùs factio inducit existentiam rei antea non existentis; & causalitas strictè sumpta dicit in suo conceptu prioritatem naturæ: & maiorem indifferentiam in existendo ex parte causæ respectu causati, quàm è conuerso; sed dicitur propriè processio, quæ nullam eiusmodi imperfectionem importat ex suo conceptu. Vnde testimonia obiectionis accipienda sunt de creatione latè sumpta, cum fundamento indicato similitudinis cum creatione strictè sumpta. Quæ est communis SS. PP. aliorumque Interpretum expositio. Quo etiam pacto tribuitur à nonnullis Patribus, præsertim Græcis, causalitas, & ratio causæ Patri respectu Filij, & vtrique respectu spiritus sancti, nempe latè, & cum quadam improprietate talis.

Ad 4. Æternus Pater dicitur solus Deus verus, ad excludendam pluralitatem Deorum, non verò ad excludendam pluralitatem Personarum, quæ sunt Deus. Sermo namque est in eo loco aduersùs Gentiles idololatras, agnoscentes plures Deos. Pro qua re fuisset abs re tàm inclusio, quàm exclusio plurium Personarum, quæ simul omnes sunt vnus verus Deus.

Art. 1. Ad 5. Diuinitas Spiritus sancti apparet clarè ex testimoniis indicatis quæst. 38. sub init. & ex aliis deindè in decursu attactis, & ex quamplurimis, quæ copiosè prosequitur Montoya tota disp.

disp. 66. de Trinit. maximè verò à sect. 3. Quod ad priora testimonia in contrarium attinet, illud de Scrutinio non significat difficultatem, & laborem perueniendi ad perfectam cognitionem, sed intimam & omnimodam vsque ad vltimum penetrationem. Quo sensu dicitur Deus scrutari corda hominum. Hierem. 17. 10. & Sophoniæ 1. 12. & patet interpretationem esse legitimam ex sententia ibidem immediatè subiuncta: *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Ex quibus verbis potiùs colligitur Diuinitas Spiritus sancti, quia colligitur clarè infinita Sapientia eius, qua superat omnem eorum cognitionem, qui inadæquatè cognoscunt Deum, id. óque dicuntur ipsum non cognoscere. Hæc enim Sapientia est propria Dei, cùm cæteri omnes magis ignorent, quàm cognoscant ipsum, vt dictum est suprà q. 9. Quod additur de oratione, gemitibus, & clamore Spiritus sancti, accipitur in sensu causali, & non formali, quatenùs Spiritus sanctus inspirat nobis orationem, gemitus, & clamorem, eoque auxiliante cultum istum ipsi exhibemus, eodemque nobis prouidemus. Hanc interpretationem adhibent August. lib. 1. contra Maximinum inter princip. & med. & Epist. 105. ad med. & Nazianz. orat. 37. quæ est quinta de Theologia, necnon Chrysost. ser. 14. ad eadem illa verba Rom. 8. Eandemque postulat cohærentia verborum, quæ immediatè præcedunt ante ea verba obiectionis. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis.* Scilicet tanquam causa principalis vtens nobis, tamquam instrumento, per gratiam, quam nobis infundit. Quò itidem pertinet, quod superiùs dixerat Apostolus: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Pater.*

Art. 2. Testimonium illud ex Ioan. de omnibus factis per verbum, nihil omninò probat. Primùm, quia si quid probaret de Spiritu sancto, quatenùs facto per Verbum; æquè id ipsum probaret etiam de Patre, vtpotè non minùs incluso inter omnia sumpta sine vlla restrictione, quàm includatur Spiritus sanctus. Quod tamen est contra intentionem obiectionis Græcorum, præterquam quod implicat in terminis, Patrem factum esse per Filium. Deinde, quia dum dicuntur omnia facta per Verbum: *To omnia* solùm extenditur ad ea, de quibus aliunde constat facta esse absolutè, inter quæ non comprehenditur Spiritus sanctus; certè quòd comprehendatur, colligi ex illo testimonio nullatenùs potest, vtpotè non determinante, quænam facta sint, sed per quem facta sint, quæcunque facta sunt, qualiacunque illa sint. Demùm hoc ipsum apparet clariùs ex lectione vulgata, quæ non seiungit interpunctione particulam *nihil*, à particula *quod*, sed particulam *factum est*, à particula *in ipso*, ita vt sit integra periodus, *& sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Et deinde sequatur alia periodus: *In ipso vita erat, &c.* Quo excluditur ex effectibus Verbi Spiritus sanctus, qui videlicet nihil eorum est, quæ facta sunt. Verùm & iuxta lectionem, qua vtitur obiectio, subsistit optimè idem sensus, vt patet ex duplici priore ponderatione.

Art. 3. Quod additur de communitate nominis Spiritus sancti, facilè diluitur. Primùm, quia Spiritus, non tribuitur tamquam nomen tertiæ Personæ Diuinæ, prout opponitur rei materiali, sed prout significat impulsum quemdam, & quasi impetum. Quæ vsurpatio, vti est valdè accommodata ad exprimendum Amorem infinitum, ita est minùs idonea, quæ accommodetur Patri, & Filio, intelligenti, & intellectioni. Deinde significationes, & accommodationes vocum, & nominum, pendent ab intentione, & arbitrio imponentium nomina. Ecclesia autem, quæ innixa Scripturis sanctis tertiam Personam Trinitatis nominat Spiritum sanctum, semper intendit, ac voluit significare ea voce prædicata propria, & peculiaria tertiæ personæ Diuinæ, vt Diuinæ. Hæc igitur significat, quidquid demùm sit de significato vtriusvis partis seorsim sumptæ. Quod demùm additur de donatione Spiritus sancti, & quod ipse sit donum, non indiget noua expositione, vltrà eam, quæ superiùs data est circa Missionem inuisibilem, quia donari, & mitti Spiritum sanctum, ratione differunt, & conceptu formali, & vix plus, quàm voce; re autem ipsa sunt prorsùs idem.

Ad 6. Æqualitas bonitatis inter aliquos continet in se similitudinem eorum, quoad id, ratione cuius sunt ita æquales, non verò quoad cætera prædicata. Æqualitas autem bonitatis conuenit Personis Diuinis, ratione solius Diuinitatis, vt sæpè dictum est, & non ratione prædicatorum notionalium, quæ quatenùs talia, præscindunt à perfectione, & defectu perfectionis, ac proindè ab æqualitate positiua, & à contraria inæqualitate; ideoque relinquitur locus dissimilitudini quoad ea prædicata. Ratio autem filiationis consideratur secundum prædicata notionalia ipsius, quæ videlicet sola verè producuntur, & terminant generationem. Quapropter præsens assertio æqualitatis inter Personas Diuinas, non tollit dissimilitudinem inter secundam, & tertiam Personas, quæ requiritur, vt altera sit Filius, & similis Patri, tùm intentionaliter, ac repræsentatiuè; tùm fœcunditate ad intra; altera verò careat vtraque similitudine cum prima, & cum secunda Persona. Non est prætereundus celebris, circa hoc, Augustini locus, probans similitudinem inter Diuinas Personas quoad Diuinitatem, & prædicata improducta, nihil conferre ad rationem filiationis. *In duobus ouis paribus,* inquit lib. 83. quæstionum qu. 73. *quia ineſt æqualitas, ineſt & ſimilitudo; quæcunque enim adſunt vni, adſunt & alteri: Imago tamen non eſt, quia neutrum de altero expreſſum eſt.* Quia ergo Verbum expressum est de Patre, ad repræsentandum ipsum, atque hoc ipsum non conuenit Spiritui sancto, Verbum est imago Patris, & consequenter Filius, non verò Spiritus sanctus, licet vterque sit perfectè similis eidem Patri, quatenùs non exprimitur de Patre, seu secundùm prædicata improducta.

Art. 1. Ad 7. Quæ obiiciuntur circa prædicata absoluta, solùm probant diuersam eorum appropriationem respectu cuiusque Personæ, & consequenter apparentiam quandam inæqualitatis inter ipsas: nullam verò probant inæqualitatem realem. Nam in primis, quod ad potentiam attinet; sicut Diuinitas reddit Patrem potentem producere, & dare: ita reddit Filium potentem produci, & accipere; atque vtraque hæc potentia est æquè æstimabilis, & æquè perfecta, vt liquet ex dictis ad secundum. Deinde intellectus, & intellectio absoluta æquè communicatur Spiritui sancto, eundemque perficit, ac denominat intrinsecè, ac Filium, & Patrem. Intellectus verò, & intellectio notionales nullius sunt, secundùm se, perfectionis peculiaris. Denique mandatum, & doctrina dicuntur de Patre respectu Filij, vel secundum naturam humanam tantùm, vt volunt plures interpretes, vel accipiuntur de communicatione vtriusque attributi simul cum tota Diuinitate per productionem realem filiationis; & neutro modo minuitur Persona Diuina Filij comparatione Patris, sed retinetur æqualitas perfecta inter vtrumque, iuxta illud ad Philipp. 2. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Art.

Art. 2. Circa dissimilitudinem Personarum, quoad prædicata relatiua, sciendum est Personas Diuinas non ob id differre specie, quia illa tantùm differunt specie, quorum quidditas, & essentia est diuersa. Personæ autem Diuinæ habent omnes indiuisim eandem realiter quidditatem, & essentiam. Iam verò Philosophus, comparans numeris species rerum, loquitur de differentia specifica, propriè tali, nempè quoad quidditatem, & essentiam. Vnde ea doctrina non facit ad propositum, pro re præsenti. Obseruandum autem obiter est, non posse creaturis conuenire vllam inter se dissimilitudinem, absque inæqualitate. Quia non possunt duæ entitates creatæ esse inuicem dissimiles, quin altera sit magis dissimilis Deo, quàm altera. Quia res creatæ secundùm omnia sua prædicata positiua, sunt participationes Diuinitatis, eiusdemque imitationes, tanquam sui exemplaris. Fieri verò nullatenùs potest, vt similitudines, & imagines deriuatæ secundùm omnia, quæ ipsis insunt, ab vno, eodemque exemplari, sint æquè seu similes, seu dissimiles eidem, & nihilominùs sint dissimiles inter se. Quia eo ipso id, penes quod sunt inter se dissimiles, non adesset in exemplari, quod repugnat ei, cuius totum esse est imitatio eiusdem exemplaris. Ea autem entia creata, quorum alterum est magis simile, seu minùs dissimile Deo, quàm alterum, patet esse inæqualis bonitatis inter se; cùm tota bonitas, & perfectio creaturarum consistat in assimilatione ad Deum. At perfectio Personarum Diuinarum non consistit in assimilatione ad Diuinitatem, sed in identitate cum ipsa Diuinitate. Ex quo clariùs apparet, eam doctrinam Philosophi non posse accommodari Personis Diuinis, quatenùs notionalitnr dissimilibus.

Art. 3. Adde differentiam istam, ac dissimilitudinem notionalem esse purè materialem; quia prædicata notionalia, prout distincta virtualiter à Diuinitate, non sunt virtus causatiuæ vllius cognitionis discernentis vnam Personam ab alia, neque vllius amoris specialis circa vnamquamque Personam; sed tota ipsarum virtus motiua intellectus, & voluntatis tam Diuinæ, quàm humanæ, est penes Diuinitatem, penes quam est tota perfectio, & consequenter tota vis communicandi, ac propagandi perfectionem, vt dictum est suprà. At entitates creatæ inter se dissimiles, non possunt non habere dissimilitudinem, formaliter talem, causatiuam ratione sui formaliter cognitionis discretiuæ inter ipsas, & affectus peculiaris erga vnamquamque earum. Quia ratio dissimilitudinis inter ipsas est virtualiter intrinsecè indistincta ab earundem perfectione, & in vnaquaque earum, vel saltem in altera ponit perfectionem specialem formaliter diuersam. Necesse igitur est, dissimilitudinem creaturarum, quoad aliquod prædicatum, esse coniunctam cum non identitate perfectionis, & magnitudinis virtualis suorum extremorum; atque hoc ipsum est impossibile in dissimilitudine notionali Personarum Diuinarum. Quod postremò obiicitur circa inæqualitatem quoad operationes ad extra, nulla indiget responsione. Quia ex dictis suprà circa missiones, & dationes vnius diuinæ Personæ per aliam, satis patet, quid sit dicendum ad illa.

FINIS.



LIBER